
RAS NEC INCERTO FLUUNT MORTALIA CASU
CURANT SUPERI TER
FORTITUDO LEONINA IN UTRAQUE FORTUNA
MAXIMILIANI EMMANUELIS
U.B. AC SUP. PALAT. DUCIS COM. PAL. RH.
S.R.I. ARCHI-DAP. ET ELECT. &c.&c.
Secundum Heroica Majorum Suorum Exempla repræsentata, Eidemque post felicissimum Suum Suorumque in Patriam reditum demississimè
D. D. D.
Ab Universa Societatis IESU per Sup. German. Provincia.
Anno CIƆIƆCCXV.
MULTA TULIT FECITQUE.
Otto Magnus
Ludovicus Bavarus Imper.
Theodo I.
Carolus Magnus
Utilo I.
S. Arnulphus
Pipinus
Cosm. Dam. Asam del.
F. I. Spätt sculps. Monac.

FORTITUDO LEONINA
IN
VTRAQVE FORTVNA
MAXIMILIANI EMMANUELIS,
V. B. AC SUP. PALAT. DUCIS,
COMITIS PALATINI RHENI,
S. R. I. ARCHI-DAPIFERI,
ET
ELECTORIS,
LANDGRAV. LEVCHTENBERGENSIS, &c.
Secundùm Heroica Majorum suorum Exempla
HERCULEIS LABORIBUS
REPRÆSENTATA,
EIDEMQUE
Post Felicissimum Suum, Suorúmque
in Patriam Reditum
Demississimè
D. D. D.
Ab Universa Societatis JESU per Superiorem Germaniam
Provincia
ANNO CIↃ IↃCC XV.

MONACHII,
Apud MARIAM SUSANNAM JÆKLININ, Joannis Jæklini,
Electoralis Typographi, & Bibliopolæ Hæredem
Per SEBASTIANUM Hauser.

)(✠)(

AD
SERENISSIMUM & POTENTISSIMUM
PRINCIPEM
MAXIMILIA-NUM EMMANUELEM,
Vtriusque Bavar. & sup. Palat. Ducem, Comitem Palatinum Rheni, &c. &c.
S.R.I. ARCHI-DAPIF. & ELECT. PRINCIPEM ac DOMINUM CLEMENTISSIMUM.

ORATIO PROOEMIALIS.

NOn arbitror ego quidem, Clementissime Princeps, eam unquam fuisse, aut esse deinceps posse Populi Aquilonaris lætitiam, cùm revertentis ad se post tristissimã

ſex menſium noctem Phœbi deſideratiſsimi faciem diffuſis quaquaverſùm radiis omnia colluſtrantem, omnia ſecum ſuſcitantem, omnia beantem, defixis oculis, animiſq; conſpiciunt, ac millenis inſuper acclamationibus eum velut alterum vitæ ſuæ authorem ſalutant, ac venerantur; Non arbitror, inquam, ego eam gentis hujus tunc eſſe poſſe, aut unquam fuiſſe lætitiã, quæ, quantaque hodie implet, ac penè mergit tuorum non tantùm domeſticorum, & ſubditorum, ſed & bonorum omnium intra terras tuas degentium animos; cùm eum ſibi in Te reſtitutum, & quaſi redivivum intuentur, Quem ſibi dudum, neſcio, quibus fatis ereptum, & infra deſolatæ Patriæ Horizontem tamdiu latitantem, eò magìs doluerunt, quò ardentiùs amârunt, quò avidiùs rediturum expectârunt, quò certiùs, ac manifeſtiùs Tuam, Tuorúmque Solis æmulam Serenitatem, Amœnitatem, Clementiam, Splendorem, ac Virtutem omnem, ùſu fructúque ſuo pridem cognoverunt.

Iam enim (prô quanta gaudiorum ſeges!) exoreris, ac diſsipatis undique bellorum hactenus incumbentium nubibus, lætus exeris Sereniſsimam Faciem tuam. Quin exurgis totus, & neſcio quid clariùs, amœniúſque, quàm aliàs

in

in Te habens nobis obviantibus, & præ gaudij magnitudine quasi hiantibus tandem occurris desideratus millies, nunc millies salutandus, semper stringendus, nunquam amittendus, Sol noster, Gaudium nostrum, EMMANUEL noster.

Hęc in commune cum populo tuo, hęc cum patria universa, Serenissime, ac Clementissime Princeps; nunc autem suo, si per te liceat, peculiari nomine, peculiari studio, peculiari prorsus gaudio, gratulabunda Tibi occurrit tota IESV Societas, hujúsque ea potissimùm Pars magna, quę per Germaniam superiorem diffusa Tuis inprimis, Tuorúmque Clarissimorum Majorum stipendiis DEO militat, ac quotidianis Tuis beneficiis vivit. Hęc, inquã, agnoscenda, quod sperat, quantumvis in * *Populo gravi*, Tibi ad nos unà cum Tuis felicissimè redeunti festina simul ac festiva occurrit. Et en! Fortissime Maximiliane, en! quo, quantóq; Comitatu hęc veniat, stipantibus scilicet, dicam, an ducentibus omnibus Progenitoribus Tuis. Resurgunt enim Hi Tecum, totius Patrię lætis clamoribus excitati, Tuam in Vtraq; Fortuna Cònstantiam & Fortitudinem Leoninam Tibi gratulaturi, eámque in te admiraturi, quâ sunt mirabiles Ipsi; Fortitudinem, inquã Tuam

* *Psalmò 34.*

in

in Vtraque Fortuna. In ea videlicet: quę (* cum Petrarcha loquor) instar Iani Bicipitis, & ipsa sanè Bifrons, quin aliquando etiam effrons alicui videri potest; cùm nunquam constans, nisi in inconstantia sua nunc blandiatur, nunc sęviat, nunc prospera, nunc adversa, nunc bona, nunc mala sit: & fortè nunquam magis sit mala, quàm cùm bona, nunquam magis sit bona, quàm cùm mala esse appareat.

Interea tamen, licèt sæpè invita, semper favet Fortibus Viris, quos Hæc una, seu potiùs Duplex omnes Heroas efficit, dum eos secum certaturos in campum ipsa educit, nec unquam cessat offerre, quod vincant. Hinc oriuntur ex præliis prælia, & ubi Heros, ex Victoriis Victoriæ. Et prœliorum quidem in acie Victor, Huic etiamnum Tyro est. Expugnare Vrbes, transcendere mœnia, profligare hostiles exercitus, primus ipsi ad Heroicæ Fortitudinis laudem, famámque obtinendam est gradus. Oportet assurgere altiùs, oportet ipsam vincere victoriam, oportet & ipsam quasi captivam continere Fortunam, ne limites definitos excedens ipsis adeò favoribus noceat. Dicam verbo: oportet post omnia superata vincere seipsum in prosperis, triumphare etiam in adversis:

Di-

* *L. de Remediis utriusque Fortunæ.*

Nescias, quodnā ex his duobus sit majus, quod Heroi magis proprium, magisq́; necessarium. Dicam igitur, & hoc dicam, quod omnis ætas, quod omnis populus nationum, quod orbis deniq; universus pro certo, exploratoq́; hactenus habuit: Fortiorem scil. esse, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Hoc, qui facit, inquit Romanæ Eloquentiæ Princeps, non ego eum sum̃is ac fortissimis viris, sed simillimum Deo judico. Intelligebat scil. Vir iste sapientissimus, quid esset, quantiq́; constaret, seipsum superare, seu, quod idem est, majorem seipso fieri: stare impavidum, cùm omnia nutant, erecto animo esse, cum fata sinistra toto pondere incumbunt, cùm Fortuna, utut aliàs levis, jam gravis totis Heroem viribus premit, cùm res omnes inclinant in casum, imò & concidunt fragore tanto, ut cœlum unà corruisse videri possit: hîc, inquam, stare, & inter ruinas mundi eminere animo, nil dare naturæ, nil dolori, nil tristitię, nil questibus, gemitibusq́; concedere, sed mente intrepida, & superis ęmula im̃otum persistere, durare, inhęrere Deo, ejusdemq́; acquiescere placitis, im̃orari consiliis, confidere sponsionibus, & consecuturis tempore opportuno credere auxiliis, átq; adeò rebus semet ser-

vare ſecundis, hoc demum illud eſt, quod intelligimus, quando de ſui ipſius victoria, omniū glorioſiſsima loquimur, hoc, hoc illud grande ſpectaculum, Seneca teſte, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: Vir fortis ſcilicet cum mala fortuna compoſitus.

Huc quoq; reſpexiſſe, hoc ipſum communi calculo approbâſſe Philoſophi, & Oratores omnes, Hiſtorici ſimul & Poëtę planè credendi ſunt, quando in hoc unum primò ac pręcipuè inquiſierunt, quo demum pacto, quáve ratione, eventu, atque conſtantia Heros ab ipſis laudandus cum mala fuerit aliquando fortuna compoſitus. Hoc ſemel invento, nil ultra propè ad illius gloriæ apicem deſiderare ſunt viſi. Quòd ſi verò hæc adeò neceſſaria laudum materia ipſos deficiebat, aut juſtô parcior apparebat, non dubitârunt Poëtarum primi ac celeberrimi defectionem iſtam ſua fictione penſare, ipsósque adeò Deos ſuos, tanquam aliàs non ſatis magnos, aut verè divinos, cum mala & pertinaciſsimè adverſante Fortuna componere; riſuri equidem puerilem illam, imperitámq; quorundam formidinem, qui hodie ab eo, quod laudis eſt ſum̃a, velut à ſpinis abhorrent, ſuumq́;, quem celebrare contendunt Heroa

röa rosas inter & lilia collocant, prosperæ duntaxat, & vota omnia secundantis fortunæ buccinatores levissimi; sinistram verò, quâ ferè solâ vir fortis agnoscitur, ita aversantur, ut vel memorię ejus penitùs abolendę ineptissimè studiosi, irascantur eam memoranti potiùs, quàm ut de eâdem ab Heröe suo fortiter triūphata sibi gaudeant, ac Victori Triumphatoriq; suo pro merito gratulentur.

Aliter itaque ac longè aliter judicârunt illi, quibus nec Romulus aliquis, nec Remus, neque Æneas, nec Anchises, nec Hector, nec Achilles, nec Cæsar, nec Pompeius, imò nec Hercules quidem Dîs genitus: parùm dixi, nec Jupiter ipse magnus satis aliquando fuissent, aut hodie essent, nisi quisque eorum, postquā magna & laudanda fecerunt, magna quoque & multa, imò maxima, plurimaque semper tulissent.

Nota referam, & eruditis fastidiosa, si in his enarrandis velim ire per singulos; sed contra injuriosus sim erga TE Heroum Invictissime, MAXIMILIANE, Tuamque Domum universam, nisi Herculis vestri hac potissimùm in causa singularem memoriam singulari studio refricem. Vestri, inquam, Herculis, quem scil.

Boica Domus tanquam genuinum Leoninæ ſeu avitæ fortitudinis Prototypon, Symbolúmque, ſi ullum aliud verè heroicum jam inde à tredecim ferè ſæculis juſtiſsimo utique titulo ſibi vindicavit: Nec enim ſine numine factum eſſe, vel ſine merito, eóque ſummo, maximóq; accidiſſe arbitror, ut glorioſiſsimorum Majorum Tuorum, ipſum Theodonem, Primum Boiariæ Rectorem, præcedentium aliquis Herculis Alemanni nomine glorioſus incederet; quin potiùs & hanc, aliásq; cauſas non idoneas modò, ſed etiam graviſsimas Maximiliano I. ſapientiſsimo Avo Tuo fuiſſe nemo prudens dubitaverit, quando in hac, quam ipſe erexit magnificentiſsima Aula Tua, uti & horto ei vicino, regio ſanè cultu exſtructo, ornatóque Herculis utrobiq; ſimulacrum propè coloſſæum, hinc quidem leoninis exuviis heroicè torvum, inde verò Atlanti cœlo ferendo vix ampliùs pari ſtrenuè ſuccollantē, jucundum Leoninæ Fortitudinis ſpectaculum poſuit. Huic igitur cum quantis, quot, qualibúsve Belluarum ac hominum monſtris luctandum identidē fuit? Et poſtquam nihil uſpiam reliquiſſet invictum, infenſiſsimam ſibi & implacabilem non tantùm fortunam, ſed fortunæ, reliquarúmq;

Dea-

Dearum ac Deorum Reginam Junonē experiri debuit; eo tamen majore triumpho, quo periculo, laboréq; majore. Id, quod ipsamet tandem imperando, & persequendo fessa, victaque Iuno, his apud Tragędum questibus confessa est.

Quid bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica, quidquid pontus, aut aër tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum, atque domitum est. Superat, & crescit malis,
Iráque nostrâ fruitur, in Laudes suas
Mea vertit odia. - - - -
- - - - *Monstra jam desunt mihi,*
Minórque labor est Herculi jussa exequi,
Quàm mihi jubere. - - - -
robore expenso tumet,
Et posse cœlum viribus vinci suis
Didicit ferendo. Subdidit mundo caput,
Mediúsque collo sedit Herculeo Polus.
Immota cervix sidera, & cælum tulit.
Et me prementem. Seneca in Hercule fur. act. I.

Hæc, aliaq; id genus (& quid majus esse possit) in laudem invictissimi Herculis Iuno etiam invita. Et dubitet etiamnum aliquis, liceátne tutò in lucem proferre illa, quę & Majores Tui aliquando, & Tu pariter Horum & Alcidis strenuus Æmulator, post gloriosissima facta, plurimaq; prosperè gesta, FORTVNA PREMENTE, tulisti, & FERENDO vicisti? Quid probro sit alicui, quod olim Lyrici Carminis * Princeps tanti esse putabat, ut nihil majus, aut gloriosius de Heroe à se dici

* *Horat. de Art. Poet.*

 pos-

posse judicaret, quàm suum illud: MVLTA TVLIT, FECITQVE. Enimverò adeò hinc non erubuerunt Majores Tui, ordine propè omnes, & istorum maximè celebres, ut Nominis sui famam, gloriámque nullis deinceps temporibus oblitterandam, rebus non tam prosperè gestis, quàm adversis fortiter exantlatis sibi obvenisse non tantùm fateri semper, sed & gloriari sint visi.

Omitto hoc loco Istorum tibi Catalogum texere, quando hoc ipsum toto penè, quod hîc offerimus, opere agimus. Sed neque Tuam ipsius Majorum æmulam Fortitudinem, hujus unius ad Te Proloquij angustiis circumscribere animus est. Alius huic negotio, ampliorq; infrà apertus est campus, ubi Tu solus inter Heroas Heros, solus Heroum fortissimorum Hæres fortissimus, Maximusq; MAXIMILIANVS, utriusq; Fortunæ Victor, ac Triumphator spectaberis, ubi Tua solius de utráq; faustâ scilicet, & infaustâ, lætâ, ac illætabili sorte parta Trophæa utramque, quod ajunt, paginam explebunt.

Vnum duntaxat hîc adeò præterire non possum, ut vel hoc solùm, vel certè potissimùm nobis ad præfandum idoneum, imò & necessa-

ſarium eſſe exiſtimem. Videlicet illud Tibi Tuæq; glorioſiſsimæ Domui haud paulò veriore, ac feliciore eventu per modò prçteritam rerum turbatiſsimarum tempeſtatem ſempiternis ſuis conſiliis Divinam quçſiviſſe Providentiam, & magnam jam partem prçſtitiſſe, quod ſibi aliquando Cçſarum Primus maris fluctibus ſolus cum ſolo nauta jactatus à fortuna inaniſsima Dea his ſibi periculis quçri ingenti cum faſtu auguratus eſt; his vectorem ſuum metu propè exanimatum verbis compellans:

Sperne minas, inquit, pelagi, ventóque furenti
Trade ſinum. - - - - medias perrumpe procellas
Tutelâ ſecure meâ, Cæli iſte fretique,
Non noſtræ puppis labor eſt, hanc Cæſare preſſam
A fluctu defendet onus. Nec longa furoris
Ventorum dabitur mora - - - - - -
- - - - - - - - - - Quid tanta ſtrage paretur,
Ignoras: quærit Cæli, Pelagíque tumultu
Quid præſtet fortuna mihi: - - - Lucan. Lib. 5. de Bello Pharſal.

Hçc ille ventoſa ſanè, & majore verborum, quàm fluctuum jactatione, de, neſcio, quibus fortunç favoribus per ipſa ſibi adverſa intentis vaniſsimis Augur. ſed enim, quid jucundius, quid verius, & paulatim etiam evidentius de admiranda Divini Numinis Providentia, Te circa, Tuosq; dici, aut excogitari ad comune totius Patriç ſolatium poſsit? Hçc, hçc fortuna noſtra: hçc, hçc eſt, quç cçli, ut ita loquar,

 pe-

pelagíq; tumultu grande aliquid, inexpectatū, admirabile, ſtupendum, Tibi, Tuisque olim præſtandum quæſivit. Hæc, hæc (nil imputemus hominibus, nil ſiniſtris cujuſquam conſiliis, *nil Fortunæ, nil Fato, nil Caſui tribuamus.*) Hęc ipſis adcò rebus perverſis in majorem Nominis ſui gloriam, commodumq́; noſtrum converſis jam inde ab ęterno ſancivit ea, quę nos rerum ignari, gementes, ac flentes doluimus hactenus. Hęc Te à nobis, chariſsimam Conjugem, chariſsimos Liberos, pretioſiſsima Pignora tua à Te, à ſe invicem violenter abſtraxit, abſtractósq; amariſsimis multorum añorum ſuſpiriis ac deſideriis mirè torſit, & cruciavit. Da veniam, Sapientiſsime Princeps, tam triſtia in memoriam revocanti, idq; eo maximè tempore, quo omnia jam tranquilla, omnia ſerena, lętis omnia plauſibus reſonant; Dabis autem, & ampliſsimam, ſcio, dabis, quando unà, quid hoc prævio cœli, pelagíq; tumultu melior fortuna noſtra quęſierit, imò quid jam pręſtiterit, & divinatione minimè vana porrò pręſtitura videatur, multò hinc clariùs, jucundiusq́ue pateſcet.

Horum itaq; enarrationem, quam poſſum, breviſsimam, quamq́; hoc loco omittere nefas

eſ-

esse ducerem, inde exordiar, unde præsens, nullisque satis verbis explicanda lætitia ac felicitas nostra principium suum traxit. Habemus post decennalem, eamque gravissimam bellorum tempestatem, pacem, pacem talem, quam hominum nemo, Cæsarum, Regumque nemo, licèt pluribus jam sæculis suspiratam, dare, nec orbis totus consiliis, viribúsq; suis efficere unquam potuit. Habemus cum hac pace Beneficium ingens, im̃ensum: habemus sancto, æternoq; fœdere conjunctos duos illos potentissimos Orbis Monarchas, quos tamdiu divisos vidit, & lætata est, sua in alienis malis com̃oda, & incrementa quærens impietas; quos tamdiu divisos vidit & indoluit Pars melior totius Orbis Christiani. Habemus, inquam, inviolabili Pacis fœdere conjunctos illos, in quorum viribus est, unum ex universo Orbe facere regnum, unum Imperium. Hoc autem, prô quantum divinę Providentię munus, an haberemus, nisi per Te, & nisi Te simul haberemus, nescio. Illud certè constat Tuâ cumprimis causâ in hoc celeberrimo admirandæ pacis negotio fuisse laboratum, Tibi, Tuisq;, ac toti Patriæ Tuæ potissimùm fuisse consultum. Infinitæ sint Bonis Superis propterea laudes, nostræque inprimis

divinissimę Fortunę, Sapientię ac Providentię ęternę, attingenti à fine ad finem fortiter, & suaviter omnia disponenti.

Pergamus, si per Te licet, ad alia, Te, nósq; propiùs attinentia. Habes, O diu, multúmq; desideratissime EMMANUEL, habes Tu hodie iterum Tuam lectissimam Thori Consortem! Habet Te vicissim Tua. Habetis ambo Felicissimi Parentes dilectissimos Liberos vestros; habent hi Patrem, habent Matrem, alteram Vitam suam; Habet demum (quod admirandam illam, & nunquam sine dulcibus lacrymis legendam Josephi Pro-Regis Ægyptij Peripetiā superat) habet, inquam, vos omnes Beatissima Patria, unáque habet Votorum Summam, Gloriam suam, Coronam suam, unicum post Deum Gaudium & Solatium suum.

Verùm enimverò (liceat liberè effari, communem at minimè vulgarem totius Populi sensum) O quantum quisque in altero jam habet ampliùs, quàm amisit! Magnum, & propè audax effatum. Sed enim planū id fiet, gratúmq;, ut spero, accidet, postquam Marcum Tullium Ciceronem de simili fere argumento eloquentissimè disserentē audierimus: juvat istius verba omnia, & singula, cedro planè, & hoc pręcipuè loco digna, ordine aņumerare.

* *Etsi*

*Etsi, inquit, homini nihil est magis optandum, quàm prospera, æquabilis, perpetuáque Fortuna, secundo vitæ sine ulla offensione cursu: tamen si mihi tranquilla, & pacata omnia fuissent, incredibili quadam, & penè divina, quâ nunc fruor, lætitiæ voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi à Natura datum est, quàm sui cuique Liberi? Mihi verò, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium vitâ sunt meâ chariores; tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit unquam jucundius, quàm mihi meus Frater. Non tam id sentiebam, cùm fruebar, quàm nunc cùm carebam. Res familiaris sua quémque delectat. Hæc, & reliquæ meæ Fortunæ plus mihi voluptatis nunc afferunt, quàm tunc incolumi afferebant. Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique, & dies Festi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. Jam verò honos, dignitas, locus, ordo, quanquam mihi semper clarißima visa sunt, tamen ea nunc renovata illustriora videntur, quàm si obscurata non essent. Ipsa autem Patria, Dij immortales! dici vix potest, quid charitatis, quid voluptatis habeat! quæ species Italiæ, quæ celebritas oppidorum, quæ forma Regionum, qui agri, quæ fruges, quæ pulchritudo urbis, quæ humanitas civium, quæ Reipublicæ dignitas, quæ vestra Majestas? quibus ego omnibus sic fruebar, ut nemo magis.

Sed tanquam bona valetudo jucundior est ijs, qui è gravi morbo recreati sunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt, sic ea omnia desiderata magis, quàm aßiduè percepta delectant. Quorsum igitur hæc disputo? quorsum? ut intelligere poßitis, neminem unquam tantâ eloquentiâ fuisse, neque tam divino genere dicendi, qui hanc magnitudinem, multitudinémque beneficiorum, quæ in me, fratremq; meum, liberósque nostros Dij immortales contulerunt, non modò augere, aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi poßit.

Hęc eloquentissimus simul, & sapientissimus Cicero, cujus singula verba ejusmodi sunt, tanquam non in sua, sed in nostra causa, non de se, aut pro domo sua, sed de Te MAXIME EMMANUEL, & pro Domo tua perorâsset.

Duo duntaxat dicenda mihi superesse video, in quibus scil. Tua, nostráque lętitia illius lętitiam, Tua, nostráque felicitas illius felicitatem tanto verborum ambitu exornatam, magno sanè intervallo superavit. Primum est: non

* Cicero post redit. ad Quir.

 Ci-

Cicero Tibi, non Frater ejus Tuo, non Conjux Tuę, non Liberi ejus Liberis Tuis ullo modo ſunt comparandi; ex quo tamen, quis non videt? ingens, ac penè inexplicabile mutuorū oritur diſcrimen gaudiorum. Eódem pertinet, Ciceronis Patriam utut dulciſsimam, non ſuā unius, quaſi propriam, id eſt non ſuam, ſibiq; uni ſubjectam ditionem, ac Principatum fuiſſe. Romanę Vrbis Incolę, Cives ejus, Familiares ejus, Clientes ejus appellari equidem poterant, non autem ſubditi. Neque enim Cicero, licèt ſępiùs Conſul, horum omnium Dominus erat, non Princeps, non ſupremus Imperator, non Patrię Pater, quę omnia quàm in Te ſint alia, quantò majora, ac illuſtriora, nemo non perſpicit.

Alterum nec minore dignum obſervatione Caput, quo Felicitas noſtra illam Ciceronis mirum in modum ſuperat, iſtud eſt. Non alia, nec meliora, quàm fuerant, cùm amitteret, Romanus hic Orator, ac Conſul recepit: viſa tantùm ſunt alia, melioráque judicata ex comparatione jacturę pręteritę. Tu verò, O longè feliciſsime PRINCEPS! feliciſsime feliciſsimorum Filiorum Parens, prô quàm diverſa, quantò majora, & ampliora non videris tantùm reci-

pere,

pere, ſed planè recipis, Sanctiſsimo Huſsitarū Principi, cui poſt jacturam omnia duplici cum fœnore ſunt reddita, haud im̄eritò comparandus. Recipis ſubditos tuos (ut ab his gradum ad altiora faciam) Tui quidem nunquam non amantes, nunquam non obſervantes officij erga Te ſui, Tibi nunquam non omni, qua par erat, reverentiâ devotos; Sed enim, quoúſque tandem hic amor eorum, hęc obſervatio, iſta devotio ſeſe extenderet, neſciebas Tu hactenus, & propè dixerim illi ipſi, quamdiu cum illis eras, neſciebant. Jactura Tui prodidit, ac manifeſtavit utrumq;; dicam potiùs: illos omnes im̄utavit, alios, eósque longè amantiores Tui, longè fideliores, longéque magìs Tibi devotos effecit. Superi! Vos enim audiſtis, vos Teſtes appello, quanta hoc lugubri tempore, hoc triſti decennio ubique lamenta, qui fletus, qui gemitus, quæ vota, quanta & quàm ardentia ubique ſuſpiria in cœlum emiſſa abiverint, ut ſuum inde MAXIMILIANUM, ſuum EMMANUELEM quodam̄odo extorquerent.

An Te tantum à Tuis amari Tu ſciveris, ego neſcio: Nunc certè ſcis, tot votis concupite, ac demum veluti è Cœlo nobis allapſe dulciſsime

EMMANUEL PRINCEPS PACIS. Scis, inquam, & minimè falleris his talibus, tantísque testimoniis planè convictus, Te tales hodie recepisse subditos, quales anteà vel non habuisti, vel certè non poteras cognovisse satis.

Quid modò de Lectissima Conjuge Tua, Clementissima Domina nostra, quid de Nobilissimis Liberis Tuis, Thesauro nostro, dicamus? an edicere palàm nobis fas erit, eos quoque esse alios hodie, esse nobiliores, illustriores multò, quàm aliquando fuerint? Enimverò & Tu quidem ipse lubens nobis consenties, si, quæ modò dicturi sumus, clementer audieris.

Amisisti CONIUGEM, Regiam Principem, omnibus naturæ dotibus excellentem, virtutibus verè Regiis instructam, & exornatam. Plura, cùm de amissa loquimur, non recensemus, satis hæc ad luctum, quem renovare nefas, ad jacturam verò, quam in ea tunc passus es, plusquam satis; quanquam & horum, postquam prçteriêre, dulce est meminisse, postquam transiêre in lucrum, atque proventum, recordari longè dulcissimum est. Ecce enim! qualem, quantamque receperis! Nominis sui famâ longè jam celebriorem, Virtutibus, quibus ante flore-

florere visa est, jam non ornatam tantùm, sed usu longo, & exercitatione haud paulò magis roboratã; & totã quodam̃odo in adamantem solidissimum conversã. Non enim jam domesticis solùm, sed exteris etiam Nationibus, iisq; Sapientiæ ac prudentiæ existimatione clarissimis nominatissima, laudatissima; verbo: Lucidissimum Christianæ Pietatis, Constantiæ, Integritatis, Munificentiæ, omnisque, quà latè patet, Religionis est *Speculum*. Profectò, si quæ fortè Virtutum eidem aliquando deesse poterat, Fortitudo ea, atque Constantia fuit; hęc quippe vix invenitur in prosperis, aut certè non heroica, non sublimis, aut numeris omnibus absoluta. Adversa hęc petit sibi exantlanda, adversis nutritur, crescit, roboratur, per adversa assurgit Nobilissima hęc Planta Cedri instar, cunctis posthac ventorum injuriis par una futura. Quod solum deesse videri poterat, hoc Illa nunc habet, hoc Tu modò habes in Illa. Rediit enim Seipsa nunc major, Orbi clarior, Patrię illustrior, Tuę, Suęque Regię Stirpi gloriosior, Tibi deniq; Fortissime MAXIMILIANE, etiam similior: Amazon scil. Fortissima, quin Amazonum Regina, quia in *Utraq; Fortuna* incomparabilis Heroina.

An

An ultra ad felicitatis noſtræ, ac communis lætitiæ cumulum dici poſsit aliquid? poteſt. Rediit illa tot Heroum, quot Filiorum Mater. Nam & Hi, prô quantum diverſi ab illis, quos olim amiſerat, rediêre. Abiêrunt inter lacrymas Patriæ, collacrymantibus undique populis omnibus. Abiêrunt ætate parvuli, ſpe ſolùm magni, & ob incredibiles animi, corporiſq; dotes *Fortitudinis Leoninæ*, ſeu avitæ virtutis olim exerendæ ſponſores maximi. En autem feliciſsimi Parentes! En CAROLUM veſtrum! En PHILIPPUM! En FERDINANDUM, CLEMEMTEM, THEODORUM! En quales, quantíque omnes vobis occurrunt! qua quiſque corporis forma, quibus animi ornamentis inſtructi! omnes jam nunc honeſtiſsimarum artium exercitatione, litterarum pulcherrimarum doctrinâ, morum nobiliſsimorum elegantiâ, virtutibus Principe dignis, famâ, quæ præclariſsimos Heroum filios decet, omnibus denique, quę in hac ætate expectari vix poſſunt, *Fortitudinis Leoninæ* documentis commendati, ac ubíq; gentium celebres. Hac itaque jam gloriâ plenos, reduces habes, PARENS SERENISSIME,

Fili-

Filios tuos, Sui Tuique nunquam immemores, &, quod gloriæ caput eſt, omnes Ipſi adeò Auguſtiſsimo Cęſari pretioſiſsimos, chariſsimos.

Sed enim hoc ultimum, beatiſsimi Parentes, hoc vobis CAROLUS veſter, noſtri locô meliùs, pleniúsque enarrabit: Habet enim CAROLUS, quę de CAROLO referat, longè majora, quàm quę nos efferre verbis noſtris poſsimus, habet magis arcana, quàm quę inſpicere, ne dicam, enarrare nobis fas fuerit.

Iam verò Primogenita Filia veſtra MARIA ANNA; Quę qualisque Iſta Vobis Prima occurrens incedit! *Inceſſu patuit DEA*, Poëtę cujuſpiam de, neſcio qua Dearum, effatum eſt, hoc equidem haud dixerim, non quia nimium, ſed quia minus ad commendationem debitam, nec Principe Noſtra ſatis dignum. Sic itaque dicamus: Fuit iſta hactenus, & inceſſu, aſpectuque dudum patuit HEROINA: Hęc enim eſt, cui ſoli tanto tempore glorioſiſsimę Domûs veſtrę moles incubuit: Hęc Vrbem veſtrã principem, Hęc Patriam univerſam ſpe ſua ac virtute ſuſtentavit, Hęc incolas omnes anima-

 vit,

vit, erexit, Hęc una denique jucundiſsimâ ſuâ pręſentiâ, veſtram tam triſtem, tam longam abſentiam, quà licuit, compenſavit, digniſsima, vel ſolo hoc nomine, ac merito, ut Prima, quod & factum, à Sereniſsimo Parente vocaretur in occurſum, quæ ultima, ac conſtantiſsima nobis remanſit ad ſolatium, ſtetítque ſemper admirando FORTITUDINIS LEONINÆ exemplo invictiſsima contra adverſam Fortunam, ſecundam vix hactenus experta, ſed quod Illi votis omnibus exoptamus, eam deinceps cumulatiùs expertura Heroina.

Vnicum jam ſupereſt, ut quæramus, & ad priora tantiſper reſpiciendo, diſpiciamus: an ſcil. magnificentiùs, quàm veriùs dictum, enuntiatúmq; à nobis ſit: Tibi in Patriam poſtliminiò, comitantibus ac ducentibus bonis ſuperis revertenti, longè aliam, longeq́ue ampliorem confluxiſſe lætandi materiam, quàm fuerit illa Ciceronis, tantâ tamen, quâ major excogitari non poteſt, ſermonis elegantiâ ab ipſomet celebrata? quando nec ea, quæ à Te amiſſa ſunt, nec quæ recepta, nec Patriæ jucunditas, nec populorum amor, nec rerum ſtatus, nec perſonarum claritudo, Nobilitas atque Majeſtas,

ut

ut alia multa præteream, cum his, quæ ille quidem ſapientiſsimè inter ſe confert, atque commemorat, ullo modo ſunt comparanda. Habemus in Te non Ciceronem aliquem, ſed Principem noſtrum incomparabilem, Ducem optimum & clementiſsimum, Patrem chariſsimū; Habemus Te MAXIME MAXIMILIANE, & tecū omnia recepimus, eáq; (ſit venia verbis lætitiâ plenis) eáq; haud paulò, quam amiſimus, meliora, omnia duplicia, omnia majora, omnia auguſtiora: ut profectò impletum eſſe videatur de hac Sereniſsima & Glorioſiſsima Domo Tua illud *Sacri Vatis Præſagium in hanc ſententiā loquentis: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit Domum iſtam in Gloria ſua Primæva? - - Nunc autem magna erit Gloria Domûs iſtius noviſſimæ, quàm primæ.*

Atque hæc denique ſunt SERENISSIME ac CLEMENTISSIME PRINCEPS, quę hoc Tibi qualicunq; opere reprçſentare, orbiq; univerſo comonſtrare, ſub feliciſsimum & optatiſsimū reditum tuum laboramus. Fortitudinem nempe illam Leoninam, quam & Majores Tui ordine omnes, Tuque Ipſus ad glorioſiſsimam Æmulationem eorum in VTRAQUE FORTUNA ſumā omnium admiratione palàm demonſtrâ-

* *Agg. 2.*

ſtis, quáque ita ſemper gloriati ſunt Veteres, ut nullam ſine adverſitate Fortitudinem, nullū ſine hac Fortitudine Heroem fuiſſe unquam, aut eſſe poſſe judicaverint. Id quod & nobis tandem perſuaſum fecit, ut cùm de gloria Tua, de multitudine ac magnitudine rerum à Te geſtarum ageremus, ea, quę fortiter paſſus es (ita vertentibus Superis) minimè diſsimulanda eſſe, judicaverimus. Et quidem iſto etiam tempore, quo jam omnia Tecum reviviſcunt, omnia exultant, & propter Te lætitiâ ſummâ exundant; cùm ita naturâ comparatum, & experientiâ certiſsimum ac exploratiſsimū ſit: complementum ſcil. ultimum gaudiorum eſſe, laborum ac dolorum memoriam præteritorum.

Quòd ſi præterea conatus iſte noſter, iſtud quoq; commodi, utilitatisq;, ut bene ſperamus, attulerit, ut quæ, quantáq; ſit Boicæ Domûs Gloria, quàm antiqua Glorioſiſsimæ Stirpis Tuæ Origo, hoc longè nunc, quàm fortaſsis antehac, clariùs ſimul & breviùs legentium, & penè tantùm inſpicientium oculis appareat; ſi inde exteræ Nationes habeant, quod admirentur; ſubditi, quo recreentur, Ipſi Sereniſſimi ac Chariſsimi Filij ac Poſteri Tui, quod ad

eru

eruditionem doctrinæ, ad animi delectationē, ad æmulationem avitæ Virtutis & Glorię, compendio diu hactenus desiderato volvant, atque revolvant:

Si denique Tu Ipse, CLEMENTISSIME PRINCEPS, hunc qualemcúnque laborem nostrum, hoc in Te, Tuósque studium nostrum, ad Tua semper Obsequia, ut hactenus fuit, promptissimum ęqui, boníque habueris, tum enimverò ultimum votorum nostrorum finē, sum̄um, maximúmq; operę nostrę pretium nos inde retulisse gaudebimus: Hoc interim optat, hoc sperat, hoc submississimè efflagitat, unanimi omnium suorum acclamatione Tibiq; Tuísque, totíque Patrię ob felicissimum Reditum Tuum applaudens

SERENITATI
TVÆ

Devotissima

Per Germ. Sup. minima JESU
Societas.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SUnt quædam, Benevole Lector, quibus te ad hoc qualecunque opus nostrum inspiciendum, vel, quod magis optamus, Legendum accedentem prævia quadam admonitione initiandum esse putavimus. Hæc autem ad quinque potissimùm capita revocamus, adeòque velut in pugnum omnia constringimus.

Primum horum ad ipsam operis frontem, titulúmque, in quo rei totius cardo vertitur, attinet. Profert hic, promittitque unà exhibendam Serenissimi ac Potentissimi Ducis ac Electoris nostri, omniúmque ac singulorum Ejus Progenitorum Leoninam in fortuna utraque fortitudinem, *atque adeò omnia vel certè præcipua, quæ sive fortiter, & gloriosè in prosperis gesta, sive fortiter, & æquanimiter in rebus adversis ab His aliquando fuerunt tolerata, quorum utrumque fortibus viris proprium, & alterum quidem etiam necessarium ad promerendum veri, Súisque numeris absoluti Herois nomèn esse monstramus, undecúnq; demum ejuscemodi adversitates humano eas oculo metientibus ortæ esse videantur: Hæc enim arcanis Divinæ Sapientiæ consiliis nobiscum Lector prudens ultrò remittes, ut quæ, teste Magno Augustino, dudum melius esse judicavit, de malis bona eruere, quàm mala nulla permittere.*

Alterum caput est, ut inspectis primo intuitu Heroum simulacris nequaquam existimes, nos hic Brunneri nostri opusculum, quod Tutelares Bavariæ Excubias appellat, rescribere, aut depingere, atque adeò actum agere voluisse; plurimùm enim discrepat hujus qualiscunque operis nostri res, atque intentio. Scribit Brunnerus in memorato eruditissimo opusculo res gestas sexaginta Bojariæ Ducum, ordine sibi succedentium usque ad Serenissimum Ducem ac Electorem Maximilianum primum Serenissimi Maximiliani Emmanuelis Ducis ac Electoris nostri Avum Gloriosissimæ memoriæ, appositis singulorum effigiebus, atque emblematis eleganti sanè scalpro expressis. Et in hac quidem historia Eum minùs fuisse felicem, quàm in annalibus suis Boicis omni laude dignissimis, ex eventu, experientiáque hucusque satis constare videtur; Quando à paucissimis, tametsi latini sermonis, cujus puritatem hic Auctor, si quis alius sectatur, minimè imperitis, legitur, ne dicam, teritur. Obscuritatis tantum scriptorem ego quidem non arguam, injuriam tamen illi facere me non arbitror, si stylum ipsius nescio quid peregrini, ac insolentis, quo profectò etiam attentus Lector non modicè, nec raró impeditur, in se habere, cum alijs multis judicavero. Jam verò alia longè, plurimúmque ab isto diversa, operis nostri est summa, atque intentio, alia scriptionis, stylique ratio. Non Duces nos Bojariæ, quoscúnque tandem, quorum plerique ex antiquioribus saltem, alterius vel nationis, vel stemmatis, vel certè non Avi, non Proavi fuère, puta Agilolfingos aliquos, Carolingos non paucos, Saxones quoque, Mosellanos, Italo-Suevos, Welfones, Austriacos &c. non inquam

quam istos nos Duces, sed eos duntaxat seu Duces, seu Heroës, quocunque demum in statu magnos, & quidem ordine singulos, isthîc producimus, quos hodierna Gloriosissima Domus Bojarica, Parentum, Avorum, & Proavorum, verbo Progenitorum suorum nomine hactenus coluit, hodiéque colit, colendósque in aula sua expositis singulorum variæ artis simulacris palàm omnibus ostentare minimè dubitat. Hos itaque & nos assumpsimus hoc opere laudandos, idque stylo, quod in Brunnero desiderari videbatur, haud paulò faciliore, ac clariore, ideóque etiam, quod bene speramus, ad nostra tempora magis accommodato. Intereà illud paulò antè memorato eruditissimo Authori in acceptis jure referimus, quòd copiosam operi nostro materiam ipse cum primis suppeditaverit, suisque seu symbolis, seu emblematis authoritatem non modicam, si non ab arte symbolica, certè ab antiquitate habentibus, multùm nobis profuerit, quæ proin omnia Heroibus Boicis jam olim attributa, censuimus retinenda.

Tertium animadversionis, quam à te petimus, caput est: ut, dum integram Gloriosissimæ Bojcæ Domûs stirpem, atque propaginem, omnésque ac singulos hujus Progenitores inde à duodecim & ampliùs sæculis non interrupta masculina, eáque rectâ lineâ sibi succedentes in hoc opere resplendere conspexeris, hoc solum nobis tribuas, laboris scilicet & industriæ nostræ fuisse, ut quod hactenus quidem valde desideratum, nunquam tamen & nuspiam, nisi fortè dispersim, & quasi per frusta è diversorum Authorum libris, picturisque parietinarum ætate jam multùm corrosis, erui colligique poterat, à nobis denique multa indagine erutum, collectum, & æris simul ac typi adminiculo corruptioni porrò subtractum, atque adeò æternitati quodammodò consecratum fuerit; nam quod nuperrimè mantissæ locô in lucem prodijt, factum est ab ijs, qui cùm in laboris nostri communionem notitiámq; venissent, rem publico gratissimam facturi, sicutquidam lætiora solent nova, citatis veluti cursoribus divulgârunt. Tardiore prælo jam nostra sequitur Genealogia, sed, ut speramus, tantò magis ad perfectionem elaborata, ac firmissimis illustrata documentis; quanquam id nobis attribui non petamus, quòd Genealogicæ litis, siquæ diversos inter authores est, diribitores, ac judices esse velimus; hoc enimverò à nobis, Benevole Lector, ne exigas velim; neque etiam ut confidimus, hoc prudens lector exiges, ipsemet probè gnarus, quæ quantáque ad hoc genus scribendi & requiratur, atque sufficiat dignitas Authorum, quibus si non abundamus, minimè tamen destituimur, fulti scilicet, ut reliquos accuratè in operis contextu citandos taceam, ingenti quadam, omni exceptione majore, & penè sola sufficiente Authoritate: Ipsius nimirum Sereniss. ac Sapientissimi Bavariæ Ducis ac Electoris MAXIMILIANI, I. dicti sui ævi Salomonis: qui sanè hanc ipsam Majorum Suorum seriem & picturis elegantissimis, & statuis pretiosissimis in sua à seipso magnificentissimè exstructa Æde Principali omnium non vulgi solùm, & domesticorum, sed exterorum quoque Regum, ac Principum, Oratorum etiam inde à summis maximisque Orbis Capitibus huc missorum, aut mittendorum oculis atque judicijs neutiquam exposuisset, nisi rei veritas, quanta quidem in rebus humanis, ac temporum vetustate haberi potest, satis comperta, exploratáque fuisset. Quod igitur huic sapientissimo simul & æquissimo Principi ad illustrandam antiquissimæ stirpis suæ famam, tuendámque unà sui nominis Authoritatem sufficere poterat, Tibi quoque accedente hac ipsa nova Tanti Viri Authoritate suffecturam haud immeritò speramus, imò confidimus.

Sed enim non Historiam tantùm (sit hoc quartum annotationis Caput) non historiam, inquam, tantùm, verùm omne propè genus litteraturæ politioris isthic collectum invenies. Exercitationem Oratoriam non unam, Poëticas complures, si non planè omnes, symbolorum quoque, & Emblematum non exiguam copiam, quæ si non omnia supremum artis hujus apicem attigisse tibi videbuntur, memineris primò, ea, quæ historiæ nostræ inserta, singulisque Heroibus præfixa sunt, è veterum monumentis, sicut & versiculi istis adjecti, excerpta, suum ab antiquitate potiùs, quàm à nova inventione pretium, æstimationémque mereri. Deinde si de nostris, quorum viginti quatuor numerantur, quæstio est, cogita, non unum sed plures in hac arte perfectionis gradus esse, nec indecorum videri aliquando, maximè ubi ea, quæ circumstant, aliud vix admittunt, etiam secundo, ac tertio loco consistere: Adde exercitationes singulares totidem styli, ut cum appellant, Lapidaris, quo in Elogijs Serenissimo Principi ac Electori nostro pangendis usi sumus. Cujus quidem, ut apud multos magna ignoratio, ita ejus peritia valde utilis, summéque laudabilis est, testimonium ac exemplum præbente Emmanuele Thesauro hac in arte Magistro, cui nescio an quoddam aliud scriptionis genus, licèt in omni mirùm excellat, plùs laudis ac famæ pepererit, quàm illa, quæ veteris Legis Heroibus concinnavit, Elogia, admirandi ingenij in Laconica brevitate amplissima ac luculentissima documenta. Denique stemmatographicæ etiam eruditionis specimen pro historiæ complemento dedimus, & istud quidem huic loco maximè proprium, ac penè necessarium, in quo sanè genere peregrinari, vulgo utut concessum sit; Principibus tamen, aliisque illustri loco natis non solùm peregrinis, sed etiam mediocribus esse non homines, non Dij, non concessêre columnæ.

Ne autem (postremum hoc ad te sermonis nostri caput esto) jactantiùs nos ista dixisse existimes, en hoc ipsum à te deprecaturi accedimus; rogamus enim & obsecramus, ut Sphalmata nobis nostra, quorum plura fortasse reperies, benignus indulgeas, tuáque Benevola seu interpretatione, seu excusatione, quà licet, emendes, quæ & nos sanè, si per tempus licuisset, emendaturi eramus: fuit autem istud pro Operis suscepti magnitudine, rerúmque varietate adeò breve, ut fidem excedere videatur, id etiam à pluribus viritim, qui suas huc symbolas strenuè contulerunt, potuisse absolvi. Quatuor enim non plures transiêre menses, intra quos hoc totum quidquid est operis, inceptum, & si non perfectum, ad finem certè usque perductum est. Hoc si tecum ipse, quod iterum iterúmque rogamus, perpenderis, veniam à te saltem pro laude speramus, vel si laudare conatus hos nostros pro tua humanitate volueris, satìs supérque ad nostram commendationem dixisse id fuerit, quod Ovidius de Phaëtonte currum Paternum animosiùs, quàm feliciùs regente cecinit: Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. *Vale.*



THEO-



And. Math. Wolfgang Sculps. Aug. V.

THEODONI
PRIMO
BOJORUM RECTORI,
GLORIOSISSIMÆ BOJARICÆ DOMUS
PATRIARCHÆ,
HEROI
IN UTRAQUE FORTUNA STRENUISSIMO.

ORATIO.

VRbs Urbium, Orbis Domina, ROMA tot populorum, tot Regnorum Mater, Regúmque Regina, ſuum ut Conditorem ROMULUM in omnem retrò poſteritatem, ad omnium Sæculorum memoriam redderet Clariſſimum, Statuam Ejus opere magnifico elaboratam, ac Stella quadam lucidiſſima in fronte inſignitam reliquo Deorum ſuorum numero dicitur adjunxiſſe, eâ, niſi fallor, ratione, palàm omnibus demonſtratura, Pho-

ſphorum hunc eſſe ſuum, Lucis & Diei prodromum, omnis felicitatis anteſignanum, qui poſt longam gentium obſcuritatem, poſt infelicium temporum noctem, ROMANI NOMINIS ortum, cúmque hoc claritatem, ſplendorem, gloriam attulerit immortalem. Quod aliud BOJARIA tot & ipſa Heroum, Principum, Regum, Cæſarúmque Mater glorioſiſſima, quod aliud Primo Illuſtriſſimi Stemmatis Sui Patriarchæ Signum ſidúsque appingat? Quo eum meliùs appellet nomine, quàm Planetarum Principis, radiantis Signiferi, Phosphori ſplendidiſſimi? Cujus ter felix in Patria ortus, prodromus fuit, & Auſpicium SERENITATIS per totum latè Orbem cum infinita Boici Nominis gloria diffundendæ. Erat ante Hunc Bojaria ſine ſplendore; THEODO diſpulit tenebras, & primas DOMUI nondum tum cognitæ portas aperiendo, Solem introduxit, qui in hæc usque tempora, & ſecutura, ut ſpes eſt, plurima, Luce ſplendet pulcherrima, & quot GENITOS, tot Orbi radios ad ſummam utilitatem ſimul & felicitatem diſpenſat. Hoc igitur Te Nomine, ceu Diem exorientem ſalutamus FORTISSIME THEODO, Tibi lucis noſtræ exordium adſcribimus, Tu noſter ROMULUS es, Tu Stirpis Bojaricæ Conditor ſplendidiſſimus.

Quòdſi Romanos conſulimus faſtos, atque hujus, de quo meminimus, Romuli, famoſos exortus, atque progreſſus diſquirimus, jisdem planè gradibus Romulum ad illam ſideris, quo fulſit, Dignitatem, atque ad eam celebritatem Nominis evaſiſſe comperimus, quibus & TE, Magne Theodo, ad iſtum, quem cernimus, Boicæ gloriæ ſplendorem, Domúsque faſtigium aſcendiſſe Annales Domeſtici confirmant; FORTITUDINE nimirum, & MAGNANIMITATE, & eâ quidem tali, quæ DURIS potiſſimùm aſperiſque rebus tum agendis, tum perferendis cernebatur; ut hinc velut à primo fonte Romanum illud, nunc Boicum profluxerit Apophtegma: AGERE, & PATI FORTIA.

Nata-

Natales Romuli inſpiciamus; Non Matrem habuit, ſed Novercam FORTUNAM. Regnum ipſi jam in cunis eripitur; imò, ne in Regnum adoleſcat, projicitur in torrentem. *His*, inquit Livius, *Debebatur fatis tantæ Origo urbis, maximique ſecundùm Deorum opes Imperii Principium.* Non poterat Heroum fieri Genitor Romulus, niſi ipſe in Heroëm à teneris per dura formaretur. Quæ futura ſunt Magna, neceſſe eſt, ut per magnas difficultates ad incrementum perveniant; Roma ut fieret Maxima, præcedere debebant Junonis odia, errores Trojanorum, infinita laborum ſeries, cædium tragœdiæ, urbium ruinæ, regnorúmque excidia: *Tantæ molis erat*, teſte Virgilio, *Romanam condere gentem!* Qui fundamentum huic ædificio erat poſiturus, priùs in adverſitatum igne excoquendus, in aquarum rigore, gelúque fuit obdurandus. Itaque Romulus, etſi ſubinde protractus ex undis, ſpe tamen regni excidit, in ſtabulo educatur, & ſi famæ credendum aliquid, etiam lactatur à fera. *Ita genitus, ita educatus, cumprimùm adolevit ætas, nec in ſtabulis, nec ad pecora ſegnis, venando peragrabat ſaltus; inde robur corpori animóque ſumens, jam non feras tantùm ſubſiſtere docuit, ſed in Latrones prædâ onuſtos impetus facere;* poſteà tyrannum deturbare throno, avum Numitorem reſtituere, urbem denique in Palatino monte ædificare, ſtatuere leges civibus, regnum gerere & Imperium. Livium audiſtis de Romulo, jam & poſterioris ætatis celebriores ſcriptores de THEODONE noſtro diſſerentes audite. Et huic Regius in venas defluxit Sanguis; ſed Patre Adologerio à Gothis Gallisque in exilium pulſo, junior Theodo Sceptrum jubetur deſperare. Jam in cunis FORTUNAM ſenſit PREMENTEM, ſeque Regno, quod ſæpè vitâ plùs æſtimatur, ſpoliantem Alcides novus: Senſit, & riſit INIMICAM, ruptíſque faſciis parvos extulit lacertos puſio, ubi primùm hi adoleverint, pugnos & pugnas, vindictam & Victoriam FORTUNÆ minitatus. Cunis deinde egreſſus parem cum Romulo, imò cum omnibus Heroum Filiis vitæ tenuit conditionem;

tionem ; Venator lustrare saltus, excutere cubilibus feras, tendere volucribus casses, superare immensa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre. Hoc modo adolescens sibi corpus paravit vegetum & robustum, membra compacta, artus enodes, & militari palæstræ, maximisque, quos erat exantlaturus, laboribus pares. hic ILLI ludus puerilis; hæc exercitatio fuit; sic præludebat Fortitudini; sic ibat in alta Nobilium pectora; hæc posuit triumphorum rudimenta; uti Victor in sylvis, sic dextrâ non impare prostraturus hostes; Uti compulit aves in retia; sic adversarios intra mœnia quasi caveam conclusurus; sicut in ludicris Magnanimus; quia sui nunquam immemor: ita in seriis & arduis penè jocosus, quia Magnitudinis conscius excelsa quæque altiore è culmine despecturus. Tam generosum venandi studium, uti pronum est arbitrari, eam Magnanimo Principi cogitationem injecit, ut pro gentilitio suo scuto symbolóque RETE sumeret (quo etiamnum Bojaria Albis & Cæruleis filis distincto gloriatur) eámque æternam sui studii tesseram memori Posteritati transcriberet; In hoc quoque Romulum æmulatus, qui orta cum Fratre contentione, uter novæ urbi Nomen daret, rem avium augurio permittendam censuit, & prior ipse in Aventino monte vultures, quos alii Aquilas dixêre, pro felicibus sibi Auspiciis vidit advolare. Eas idcirco Aquilas crediderunt nonnulli in Romani Imperii Insignia fuisse acceptas. Quod ROMULI AUSPICIUM, non dispar fuit THEODONIS AUCUPIUM; imò AUCUPIUM illius, huic extitit ter felix AUSPICIUM, quando vel ipsas Romanorum Aquilas, tum temporis in Germano Solo prædantes Theodo cepit, suóque RETI conclusit, & ablatas è Boica Regione manubias, quas jam tenebant, unguibus extorsit. Ecce enim è Sylvis in agros, ab antris ferarum in apricos Martis campos, è ludicris nemorum cædibus ad serias hostium strages jam progreditur THEODO, è Francia movet in Germaniam,

FOR-

FORTUNÆ insultat, & ereptum Patri Regnum, sibi vindicat. Opponebat equidem FORTUNA adversùm hanc THEODONIS virtutem, ne felices sumeret progressus, quidquid obstaculorum poterat; rapidos objiciebat torrentes, munimenta firmissimis cingebat aggeribus; Romanæ Magnitudinis famam ad terrorem extollebat; Duces in Victoriæ castris enutritos, sub laureatis galeis senescentes milites in arenam adducebat. Theodonis verò ex parte nondum alia tum claritas nominis spargebatur, nisi quam per umbratiles olim velitationes sibi pepererat; Duces habebat & paucos, & urbium capiendarum inexpertos; exigui militum sequebantur manipuli, quíque in viis per inaccessas sylvas aperiendis jam vires defatigârant. Arma propè nulla, nisi quæ casus aut necessitas ministrabat. Anceps profectò Martis alea; præpotens hostis; iniqua fortuna. Sed nihil impervium virtuti, nihil Herois animo formidabile. In Germaniam penetrat, Bojariam tenet, Romanos aggreditur, cædit, vincit Theodo; Et Duces ille suos, quos inexpertos adhuc rudésque collegerat, imperio & exemplo confestim validissimos efficit, & à suo pendentes nutu, quoquò collubitum est, victores dirigit. Miles gregarius, jam Martem semel fortunatum expertus, facilè palmas metit, quas impressa à Theodone vestigia gloriosè præmonstrârunt. Armorum, & multiplicis propugnaculi locô insurgebat plusquam aheneus Theodonis animus, síque fractus etiam illaberetur Orbis, impavidum pectus. Cum undis, infido elemento, primò omnium certandum fuit. Obstabant Alemannus*, Rhenus, Danubius, aliíque amnes, violenti, & impositos pontes indignati. Mirum! Theodonis Rete etiam hos in cataractas adegit, in angustias conclusit. En ut Danubius & Rhenus Piscatoriis æquè, ac Venatoriis cassibus intercepti, aquam sibi inter Decumanos fluctus hærere palàm demonstrent! En ut attoniti consistant in Magnitudinis illius obtutû, quæ prehensum aliquando hostem nullâ permittat viâ effluere! En ut trium-

* Altmül.

phali THEODONIS quadrigæ se substernant Altmüla & Isara, suum aperiant alveum, transeunti vadum præbeant, hodiéque monumentum Victoriæ esse gaudeant, ac dici THEODONIS VADUM!

Thüett-furt.

Superatis amnibus jam RETE suum ulteriùs explicat, toti Vindeliciæ, ac Norico superinjicit, & Romanos vel in nassa tenet captivos, vel elapsos fugâ intra muros, & valla Augustæ Tiberii concludit. Pluribus & levioribus primùm aggressus præliis, atque simul in diversis partibus irruptionem minitatus, hostilem exercitum, quò se priùs vel potiùs converteret, ignarum ita dissipavit, ut solutos Romanorum fasces facilè singulos potuerit confringere. Erat hoc aliquid FORTUNA majus, quod nisi suppeditâsset Prudentia Consilium, hosti tam potenti succubuisset Theodo; Jam ergo & Romanos, & in his ipsum superat Romulum. Augustam Tiberii & mœnium robore, & propugnatorum industriâ penè impenetrabilem perrumpit, exscindit, reædificat, suæque de Conjugis Nomine appellat Reginoburgum, ut non solùm hostes, sed & eorum memoria deleretur. Plura dein per Bojariam suæ fortitudinis erigit trophæa, quæ illustri etiamnum antiquitatis Documento superbiunt. Unam condidit urbem Romulus; plurimas Theodo. Nam & Neoburgum, & Angilostadium, Neostadiúmque, Altaichium, Geissenfelda, Geiselheringa, aliáque non pauca, oppida & urbes suam tunc originem noménque à Theodone ejúsque commilitonibus accepêre. Victoria ipsa, quæ Latino tantùm sermone hactenus resonare consueverat, in Germanicam linguam ac laudem translata gloriosum THEODONI Pœana ad SIGEMBURGUM Romanis tumulis memorabile, accinuit. Atque ita in Bavaria pedem sedémque fixit Theodo, sua MAGNANIMITATE ac FORTITUDINE habens FORTUNAM esse SECUNDAM, quæ hactenus in tot laboribus, periculis ac difficultatibus se opposuit

Regen-spurg.

Sigen-burg.

fuit ADVERSAM. Bojariæ nomen dedit; illi ſimul & Fortunæ jugum impoſuit. Fortunam Regni ſciebat ſtabilem eſſe non poſſe, niſi ſolido nixam Bonarum Legum fundamento. Vulgus enimverò ſemper mutabile, ſuâ inconſtantiâ Principum quoque fortunam præcipitat, niſi diſciplinâ contineatur. Armis licèt debellentur populi, animis tamen ſubeſſe impatientes, injectas iterùm excutiunt habenas, niſi fræno juſtitiæ gubernentur; Hæc intelligens THEODO Prudentiſſimus, quia Fortiſſimus (vera enim Fortitudo in animo ſita Prudentiam ſemper habet Sororem) ubi primùm pacata Regione, potitus eſt ſceptro, armis, opibus, & authoritate à Theodorico Veronenſium Rege firmatus, animum adjecit Imperio Boico à fundamentis erigendo. Neque in hoc minor Romulo, qui gentem à ſe conditam ſine legibus diu florere non poſſe credidit. Subditos ergo ſuos cum barbaris hucúsque computatos redigit in ordinem, forum conſtituit, ſeligit Judices, civilia ſaluberrimis decretis adſtringit, præmiis & pœnis ex æquo ad blandimentum & terrorem propoſitis; erga ſtrenuos munificus, adversùs improbos nec extra juſtitiam miſericors, nec extra miſericordiam juſtus; Sagace cura in omnibus Rempublicam fovens, Agere Magna, & Acta tueri ſe poſſe commonſtravit. Paucos intra annos, quibus vita ſuperfuit, acceptum è Sylvis Regnum, & Sceptrum cum Reti mutatum (quanquam nec illud tanquam gloriæ ſummæ inſtrumentum omninò poſuit) eâ publici boni procurati claritudine decoravit, ut fundatam bene Bojariam, longa poſteritas ei cum glorioſis encomiis debeat & adſcribat. Edicite, quoscunque ad civilium rerum gubernacula prudentiæ & experientiæ meritum admovit, edicite, an potior gloriæ palma THEODONI adjudicanda, quia gentem adhuc feritate barbaram imperio ſubjugavit? an quia ſubjugatam immanitate exuit, iisque legibus & moribus induit, quos cultiſſimi etiam populi venerentur? Ceſſit ei tot retrò ſæculorum conſuetu-

dine roborata pervicacia. In amoribus eſſe cœpit obedientia, dum IPSE eorum Imperator communi ſervire utilitati non eſt dedignatus. Lætus mox diffluebat ſubditis in terra excolenda ſudor, dum Princeps Ipſe laureato ſimul vomere, aut agros ſubegit, aut docuit ſubigere. Nova ubique munimenta ad Patriæ præſidium naſcebantur eo in pulvere, in quo ideam operis Sceptro deſignabat THEODO. Subinde municipiorum ſuccreverunt ordines, in ſocietatem confluxêre vagantium turbæ, opificum ſtruebantur officinæ, ſuo unumquémque jure dignabatur Magiſtratus, & procul luctu, procul timore vivebant univerſi. Attolle vultum Bojaria, & in tuo hoc Romulo Bonæ felicitatis contemplata exordium, agnoſce, cui SIDERI lucem, cui PATRI, Patriæ eximiam debeas culturam. Terra es terris penè omnibus felicior, cui excolendæ, atque ditandæ impenſiùs quàm cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſiſſe videtur; fœcunditatem geſtas in ſinu, tam læta proventu tritici, quàm celebrata Poëtis Gargara; egregiis nites civitatibus, flores populis, viges commerciis. Liberales in te artes tanquam nativa ſede educantur. Tu milites duriſſimos, tu præclariſſimos Duces, tu orbi toti utiliſſimos pariter & glorioſiſſimos viros peperiſti. De Principibus quid dicam tuis, eorúmque Illuſtriſſimo Sanguine, per tredecim jam ſæcula continuo tramite ad usque hæc tempora feliciſſimè propagato? Laudum ingredior mare, & patior ex copiâ difficultatem. Tua eſt hæc Domus, quæ triumphis & trophæis Regna ornavit omnia, quæ omnes totius Europæ Principum Regúmque Familias arcto conſanguinitatis ſuæ fœdere illuſtravit, quæ Eccleſiam Virtutibus, Imperium Cæſaribus, Heroibus mundum, Cœlum amplificavit Sideribus. Tot decora Auſpicium habent in Theodone, qui te Primus hac inauguravit felicitate; ab hoc Sidere Lucis exordium Tuæ. Non Regia tantùm flumina, ſed eorum maximè fontes, ut eſt adagium, coronamus; Radicem earum arborum

com-

commendamus, quæ hortis Elyſiis dant ornamenta, quæ ſpirant in ſtatuis, quæ fructibus regales inſtruunt menſas, quæ militant in navibus invicto robore. Lætitiam agricolis pariunt meſſes ditiſſimæ, ſi fœcunditate ſua, ipſa interdum disrumpant horrea; At ſemen virtute fuit maximum, hoc gaudii ſegetem dedit. Admirationem aſpicientibus excitant turres altiſſimæ, ſi culmen inter aſtra videantur inſerere; at ſuus ſtat fundamentis honor, quibus ornamenta omnia innituntur, & eminentis ſuæ laudis menſuram ex illorum profunditate ac firmitate accipiunt. Tua ſunt hæc elogia, Heros fortiſſime Theodo! Salve igitur Boicæ Gloriæ fons uberrime! Altiſſimi Stemmatis Radix fœcundiſſima, Gratiarum Semen immortale, Auguſtæ Domûs fundamentum plusquàm adamantinum! Salve Bojorum Cæſarum Parens, Regii Sanguinis Origo, invictæ Potentiæ Author, atque ut verbo laudum faſtigia conſtringam, tot Boicorum HEROUM IN UTRAQUE FORTUNA Maximorum, Phoſphore, Anteſignane, Patriarcha! A te in poſteros defluxit hæc Fortitudo, qua per inſignem rerum difficillimarum Patientiam, per Victoriam in ADVERSIS, illam Bojariæ tenuerunt felicitatem, quæ Bonis omnibus applaudentiqus, hodiéque novis exemplis cernitur confirmata. Tu viam præiviſti ad aſpera, & per aſpera primùm cœpiſti SORTEM BONAM, dein eadem ſuccedentibus reliquiſti veſtigi;a Tu, lucidiſſimum veluti Sidus, iter deſignâſti, quo iretur ad veram Lucem; è tenebris, ex adverſis nimirum, emicuiſti velut Phosphorus; publicam, totíque orbi ſplendentem Bojariæ claritatem his initiis conſecrâſti. Te Conditore ſtant inconcuſſa BOJARICÆ fundamenta DOMUS, ſtabúntque æterna, ut quibus ipſe Temporum Rector DEUS, *Nec rerum metas poſuit, nec tempora; Imperium ſine ſine dedit.* Tu itaque, O FORTUNA, manus abſtine ab hac DOMO ſubruenda; actum agis. Adversùm te, quemcunque vultum præferas, Suâ ſat munita eſt FORTITUDINE; *Hæc Domus*, Claudiani

ferè verba uſurpo, *Invidiæ*, quin & *Fortunæ fines* Virtute *reliquit*, *Humanúmque modum: quis enim liveſcere poßit, quòd nunquam pereant Stellæ?* THEODO Stellarum Coryphæus, quotquot poſteros in ſua trahit orbita, tot trahit SIDERA. Subducunt ſe aliquando Sidera noſtris oculis; ſed nunquam liveſcunt ipſa; Cœlo ſemper fixa manent; Ita ſemper Bojorum Principum Series

ÆTHERA SIDERIBUS, TERRAS VIRTUTIBUS IMPLET.



EIDEM

EIDEM THEODONI

CARMEN EPICUM.

Augusti Cineres! æternæ semina stirpis!
Atque VIRI exuviæ, superûm quem parturiebat
Longo Sæclôrum, Divorúmque Ordine Patrum
Ipse Pater, summo dignam se Numine Prolem,
Et Dignum Heroas genitura Prole Parentem!
Augusti Cineres! quos hac in Imagine marmor
Exhibet, æternum servans per sæcula nomen;
Vos & materies, fatorum & postulat ordo
Durare æternùm; quin vos jubet esse perennes
Fatorúmque, SUIQUE potens, in UTRAQUE quietus,
Et nunquam Varius variata in SORTE THEODO!
Prôh! quantum Herois quanti, quantíque PARENTIS
In nova continuò se attollens Nomina Nomen!
Nempe decet, Noménque, VIRUMQUE hac fingere forma,
Marmoreúmque Orbi monstrari, & dicier, HIC EST,

Debitus HEROUM GENERI PATER, inclyta TANTÆ
Hæc Sunt FUNDAMENTA DOMUS; Diverſus ab iſto
Non fuerat, talem Divûm ſibi cura creavit;
Marmor erat, Pario ſteterátque ex robore corpus,
Altáque mens inerat, mentémque armaverat ardor
Igneus. Et talis BOJOS genuiſſe MONARCHAS
Debebat; Talis tandem fuit aptior unus,
Qui Marti invidiam, qui terris Numina, & ipſis
Victorem pareret FATIS, qui exempla crearet
Regibus, & Regum celebres quondam Domitores.

Audiat hæc inimica VIRIS, atque audiit olim
Fœmina, non meritis malè famigerata ruinis,
Nomen fortuitis ſortita à caſibus: Hoſtis
(Nam Fortes Magnósque premit) jurata LEONUM,
Móxque vagam, variam ſine mente, & numine bilem
Indecores mulier fatalis cogat in iras,
Innocuáſque petat turpi convellere bello
Cunas, AUGUSTAM STIRPEM exciſura ſub ortus.

Vagieras imbellis adhuc (nam ſpecto lacertos,
Non animum) tenerámque ligabat faſcia dextram,
Quando tuis primas FORTUNA illiſerat iras
Cunis: Spéſque tuas & res efferre Paterno
Tentârat feretro: Tanti ne conſcius ortûs
Tu Stirpem, Stirpíſve Decus, ne Jura Parentum,
Et grandes Atavûm titulos doceâre THEODO,
Colligeréſque parem paria in molimina mentem.
Hinc Patrem, hinc Patriam, faſces atque arma feroci
Aſſultu extorſit, ſpoliavit, ut Orphanus eſſes;
Nec ſupereſſe illum paſſa eſt, qui fingere ad alta
Te Auguſtum vellet Puerum, qui maxima Patrum
Facta enarraret, qui æqualibus incrementis
Creſcere Suaderet: Non, qui te milite cinctum
Plauderet in pluchras igneſcere ſubditus iras.

Adelgar, ſive Adolgerius Theodonis Pater, olim jam Bojorum, tum Avarorum Rex deturbatus eſt poſſeſſione à Gallis & Gothis.

Sci-

Scilicet, ut primus furor inſanabile ferret
Vulnus, Fata Patrem tibi quæ rapuêre THEODO,
FORTUNAM infanti juſſerunt eſſe novercam.
Verùm age: contrà ſume animos, O Parve THEODO,
Sit modò ſit genitor, ſit miles SPIRITUS ille
Immenſus, magno tibi qui ſub corde fovetur.
Non unum te fata petunt, tu Pectore in uno
Circumfers gentem immenſam, certè omnibus UNUM
Caſibus & fatis in prælia ſuffecturum.

Hunc noſtris debes annis, noſtríſque THEODO
Temporibus, tantúmque tuo ſub Corde recondens
Alciden, Juvenem te cunctis objice fatis.
Et donec validos hoſti intorquere lacertos
Anni concedant, animos & fœdera firma,
Et medio in rerum diſcrimine ſtare docetor.

Fulſit & in puero Virtus hæc BOICA, Sortis
Ut variæ patiénsque feréns que, ita neſcia casûs.
Sícque ſtetit vix ſtare valens; hac mente PREMENTEM
Riſit FORTUNAM, armatámque eliſit inermis,
Donec ſentirent ſat firmum brachia robur.
Ac jam ferre enſem ſe ſenſit poſſe THEODO;
Tum pulchros artus, vultúmque animúmque recentem
Atque Viro dignos primò collegit in æſtus;
Et, ſat ferre tuos didici Fortuna furores,
Inquit: Te noſtros jam nunc ſentire mucrones
Cogam; quæque mihi rapuiſti ſceptra Parentis,
Jam debes Palmas, debes Victricia ſigna.
Dixit, & in Gothico mergit prima arma cruore.

Jam tua, jam Gothicum concideret agmina ferrum
Gallia, & amiſſos plorares Regis honores,
Hoſtili compreſſa jugo, non mite Tyranni
Miſſa ſub imperium, & ſortes ſubitura dolendas;

(Quales nempe ſuis ululat tumulata ruinis,
(Et nimiùm ſævos Alarici experta furores
Et nimiùm paſſa indignas Aquitania clades)
Nî ſuffeciſſet vel mille in prælia Solus
Et plura, armatus Sola virtute THEODO.

Alaricus Gothorum Rex tũ temporis Aquitaniam ferro & igne populatus.

Hinc non una mali facies, non una ruentis
In præceps regni fuit, aut ſatìs eſſet Imago,
Dum premit immani Gaſconidis arva tumultu
Mars Alarice tuus, dum tu Liger ire cruentus
Cerneris; attonitas ſiſtit perterritus undas
Sequana, Lingonnésque truces, Heduósque Sagatos
In nova raptari fatali turbine bella.
Hæcque eſt diſcordum turpis concordia Fratrum,
Hos furere eſt fixum tibi Gundebalde furores,
Hásque alere in clades bilem ſtat Gondegiſille.

Nomina vetuſta Burgundionum, Rauracorum, & incolarum Inſulæ Franciçæ.

Et ſtaret porrò mens hæc, & tu cecidiſſes
Francia! nî pro te, pro Rege THEODO ſtetiſſet:
Non ille æratas fert ſecum in prælia turmas,
Non haſtis haſtas, non pila minantia pilis
Anxius opponit: Sola eſt mens grandis & ingens,
Mens Idea Ducum, mens non aſſueta moveri.

Hæc conjuratos petit in certamina Reges,
Et ſibi vult Comites, quos ipſa pericula firmant,
Quos acuunt enſes, animátque in vulnera vulnus.
Ocyùs excedat caſtris, ſponſore ſalutis
Quisquis miles eget; poſcit ſibi prodiga vitæ
Pectora, præſentem vult contemnentia mortem.
Híque Theodonis ſenſus, hic Spiritus illi eſt
Corpore non ùno celandus, protinus omnem
Galliam, & armatas rapturus in aſpera bella
Turbas: ac jam Signa volant; Tuba verberat auras,
Jámque Theodo moræ impatiens, jam primus arenam
Ingreditur, primúsque gradus in pulvere ſignat.

Gundebaldus & Gondegiſillus Burgundiæ Reges impetunt ex altera parte Clodovæum, ſed & hi à Theodone profligati.

Mens

Mens foret Heroëm media inter ſpicula, & ipſas
Inter decantare neces, auſúsque notare
Et Ducis, & Regum, & pulchros narrare triumphos.
Sed vetat infirmas nimiùm VICTORIA Muſas
Hoc audere nefas, calamo temerare triumphos;
Hoc, ait, exequere, & Regum ſtragésque fugásque
Fortunámque parem non impare concine penna:
Ut vagus exerret ſine lege, atque Ordine miles,
Ut fluat averſo probroſum in tergore vulnus,
Ut ſua Lingonnes fugitivi caſtra relinquant;
Utque renitentes Heduos nova funera frangant;
Ut Gothici Diadema cadat de vertice Regni,
Ut miſer indecores ſubeas Alarice catenas;
Et victi faſtus ponant, frontésque minaces,
Intortásque iras, injuſtáque fœdera damnent,
Attonitíque fugam, tenebrásque, atque invia Fratres
Tesqua petant Reges, deſertáque ſola ſequantur,
Soliciti tacitis ſtragem celare latebris.
Hæc ubi feſtivo ſubridens ore locuta eſt,
Pluribus in curſus aptam Victoria famam
Erudit, & Boicas Noricásque ablegat in urbes.
Juſſa THEODONI eſt meritos ornare triumphos,
Hoſtibus, & juſſa eſt celeris dare ſigna receptûs,
Poſſeſsísque diu juſſa interdicere terris.
Sed paribus Victor, paribus fama utitur alis,
Ambo Vindelicis unà ſiſtuntur in arvis.
Tentat Fama tubam, ſonitúsque ſonare parata,
Qualis amat magnis ſonitus comes ire trophæis,
Deficit, & cæptos frangunt nova claſſica cantus:
Quin nova bella tonant: & ferro poſcere fata
Aggreditur Victor: patriósque THEODO penates
Poſcit, & ereptas olim, nunc RESTITUI RES.

Nec Dea prædatrix, tacitísque exercita technis
FORTUNA immenſos Herois ſuſtinet auſus,
Ocyùs excedit terris, & non ſua linquit.
Mox illos etiam, quos Mars avulſerat agros
Celticus, hos BOICI francus jubet eſſe LEONIS,
Ut non dona, ferat ſtricti ſed præmia ferri,
Atque ſui lytrum, clari monumenta triumphi.
Intereà patrias PRINCEPS ſibi ſumpſit habenas,
Curam, & Jura ſuas Diſpenſaturus in oras.
Quando novas egit Bojarica ſidera circum
Nubes, atratæ mendax prænuntia ſortis
Fortuna, antiquas iterum meditata ruinas,
Et ſecum Italicas ad claſſica concitat urbes,
Et rapit in Noricas, bella haud felicia, clades.
Audiit ærifonas, armorum nam fragor alpes
Concuſſit, Lycúmque exterruit: audiit iras,
Indocilíſque minas tremere, aut tremere arma THEODO,
Atque idem medius Bellíque & Pacis, UTRAQUE
IN FORTUNA Heros, iterum ſibi fata, vicéſque
Fatorum ambiguas, diſcrimina mille ferenda
Cernit: nec tentare ſuos, nec ferre recuſat
Hoſtes: Magna PATI, Magna & ferre omnia promptus,
Sed non ferre jugum, non vectigalia ferre.
Jámque togam exutus, celeres Martémque Sagúmque
Artus induitur: ſalit in certamina ſanguis,
Auditúrque LEO patrios rugire per agros,
Rugitu hoſtiles, meritáſque trahente ruinas.
Qualis ab ætheriis ſuevit prænuntius oris
Ire fragor, donec flammas & fulmina mittant.
Sic cecidêre tuis, Leo Boice, diruta dextris
Valla, olim Gothici, nunc vaſta ſepulchra Gradivi,
Rudera nunc, ſævi quondam tentoria Martis.
Te ſolam voluit ſervari, mitius uni
Fatum, Bojariæ quæ pridem portio terræ

Nobi-

Nobilior reliquas inter caput extulit urbes
Reginoburgum! pariter ſubitura malignam
Cum paribus ſortem. At voluit ſupereſſe THEODO
Contentus ſuperâſſe, & teſtem extare triumphi.

Sed non & Gothicos, & qui ſe ferre Latinos
Sunt auſi, voluit ſervatos ARBITER ille
FORTUNÆ & SORTIS: cervices frangere conto
Stat nimiùm duras, & maturare ruinas.

Sic quò Digna DEO MENS te vocat, & tua virtus,
Perge genus Divûm: Patrios trans conjice fines
Italiam, quæ mixta Gothis noſtra errat in ora,
Mergit & injuſtas in prædam, & funera dextras.
Protinus & validis disjectos ictibus hoſtes,
Quà data porta fugat, miſcétque in pulvere fœdum
Et Ducis & Servi non diſpare ſorte cruorem.
Mœnia vallato munimine, valláque nudat
Aggeribus, viduátque exterrita milite caſtra;
Turbatósque ſolum non uno vertere cogit
Tramite, & in plures fugitivos disjicit oras.

Concidit ergo iterum BAVARO feriente LEONE,
Concidit adverſis ſociata ferocia fatis,
Et ſeſe AUGUSTÆ DOMUI Fortuna ruentem
Dat fundamentum, ſecum Gothicáſque ruinas
Subjicit! At renuit, necdum ſatiata, quietem
Virtus, ínque novum rapitur LEO Boicus æſtum.

Non viles ſatiant animæ, non robora vulgi;
Prælia vult Regi, vult ſigna cruenta coronis
Miſcere, & trabeâ madidum vult tergere ferrum.

Jámque artus operi parat, & jam brachja tentat;
Sed non qui fuerat, nunc eſt; non vividus ille
Dividitur membris iterum, ſuccúſque, vigórque.
Morbus enim ſubitus, mors atque pediſſequa morbi
Inſidias & tela parant. Stat pallor in ore
Et ſudor per membra fluit, jam jámque labare

Corpus, & occiduos porrò vix ſpiritus artus
Vix GRANDEM ſufferre animam. Nihil illa remittit,
Heroëm ſed ſpirat adhuc; Dum membra fatiſcunt
Corporis, atque necem admittunt, cum morte Duellum
Intrepidus tentat; gaudet ſupereſſe triumphum,
Ipſa quem de morte ferat, ſi lætus agonem
Hunc ſubeat, ſi naturæ ſua debita ſolvat
Intrepido vultu. Pulchrum labia ergo ſerenat
In riſum, placidus lethalem & pertulit ictum.
Et probat æternam FORTUNA IN UTRAQUE mereri
Se famam, BOICOQUE & Nomine & Indole Dignam.
Sed vos O ſuperi! moderatos fundere queſtus
Nam liceat calamo, paucóſque adſcribere verſus,
Vos, inquam, O ſuperi, quî tantum odiſſe poteſtis
Heroëm, EXTREMOS, & quî invidiſſe TRIUMPHOS?
Scilicet hæc vobis ingens, & debuit eſſe,
Et quoque cura fuit, foret ut non MAXIMUS ille
Qui ſe MAJORES multò pariturus, & eſſet
Felix ille PATER, naſci ex quo MAXIMUS Orbi
Heros deberet, FORTUNA IN UTRAQUE Serenus,
Triſtia ducturus clarum inter fata Triumphum.

FOR-

FORTITUDINIS LEONINÆ
IN
VTRAQVE FORTVNA

EPITOME HISTORICA
EXEMPLIS HEROICIS

GLORIOSISSIMÆ ET ANTIQUISSIMÆ

DOMUS BOJARICÆ

Juxta Seriem Temporum,

AC

MAJORUM OMNIUM, ET SINGULORUM

Maſculinâ, eadémque Rectâ Lineâ deſcendentium
Ordinem
Illuſtrata,

Necnon

Plurium, eorúmque celeberrimorum Authorum teſtimoniis, & Authenticis Aulæ Electoralis,

Ejusdémque Bibliothecæ Monumentis, documentísque variis Comprobata.

THEO-



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES A THEODONE I. BOIORUM
RECTORE USQUE AD CAROLUM MAGNUM.

I.

THEODO
PRIMUS BOJORUM RECTOR
ET
PATRIARCHA.



Armatæ ſemper Patriæ fuit unica cura,
Teſtis erit Tiberis, teſtis & Iſter erit.

Reuſnerus.
in Sylvula Princip. Boj.

H*Ic Vir, hic eſt*, qui primam Heroicæ Fortitudinis imaginem, prima tot Heroum Succedentium Idea, Magnus *utriusque Fortunæ* Domitor, ſuo Nomine, ſuo Symbolo, réque ipsâ pulcherrimè adumbrat. Theodo primævâ Celtarum linguâ, à quibus ſuam originem traxit, Heroëm ſignificat; Nomen auſpicatiſſimum, Principium felix Boici ſanguinis & ſtemmatis, argumentum optimum: *Fortes creari fortibus.* Pro Symbolo ei jam olim attribuêre Boicorum Annalium Scriptores bicoloribus diſtinctum maculis Rete, quod in perpetua Bojariæ Inſignia eſt receptum. Varietas coloris fortunæ deſignat varietatem; candidus, albo notandos calculo dies, vitam felicem, aut glorioſam denotat Pacem; Color cæruleus quem pro luctu ſuo certis anni temporibus noſtra ſumit Eccleſia, triſtiorum aliquantò temporum videtur imago. Cœleſtis imò hic color eſt, & cœli æmulus, animum ſignificat verè cœleſtem, qui nempe rebus humanis altior, nubibus adverſitatum interdum quidem obſcuratur extrinſecùs, interiùs

A Theodone Stemma Caroli M. & Ducum Bavariæ deducit Elias Reusnerus in Baſil. Genealog. Ed. Francofurti Anno 1592. fol. 179. & ſeqq.
Bucelin. part. I. Germ. f. 13. ex Hier. Henning. in Theatr. Genealog. Franciſc. Calen. in tab. [illegible] Dedicat. Sereniſſ. Elect. Ferd. Mariæ

> Confirmatur Authoritate Sapientiss. ac Eruditiss. Bav. D. & Elect. Maximil. I. tituli sui ævi Salomonis, cujus jussu extant imagines Omnium Progenitorum in Regia Monacensi. Authores alii multi, infrà citandi.

riùs tamen suam sibi propriam tenet serenitatem, colorem non mutat. Geminum hunc colorem lætæ & illætabilis fortunæ in tessellatum Rete conclusit Theodo, hoc velut instrumentum posteris suis relicturus, ad omnes fortunæ incursiones excipiendas, quo & eas ipse excepisset feliciter. *Multa egit*; *Tulit multa* Theodo; *Bonis* æquè, ac *malis avibus*, hoc est, faustis & infaustis, ut loquimur, rebus obtingentibus, eandem semper *Virtutem* opposuit, & *Fortitudinem*. Spectata hæc initio fuit in fortuna etiamnum humiliore, quando exigua sorte contentus in asperis, horridisque saltibus Venatorum potiùs, quàm Populorum Dux vitam aliquamdiu inglorius consumpsit, precariam parvámque tenens ditionem; sed dein à Ludovico Francorum Rege verbis opibúsque animatus, cùm ad terrarum regnorúmque *Aucupium* generosum animum adjecisset, ita fortunam prosperam sub sua tenuit virtute, ut Vindeliciam totam, magnámque Norici partem, quam Romani priùs insederant, in nassam suam, potestatémque redegerit, ac Boiariam de gentis suæ nomine compellârit. Pluribus hostes fudit præliis, victoriæque signa in hæc usque tempora reliquit duratura; *Sigenburgum* à Victoria ita compellatum, campos *Perlacberhayd*, qui à perditis ibi Legionibus nomenclaturam acceperunt, *Dietfurtum* oppidum ad *Alemannum* amnem, qui nunc *Altmüla* dicitur, à *Theodonis Vado* & transitu ita compellatum; pluráque alia loca gloriosis factis illustrata. Augustam Tiberii, tunc temporis munitissimam urbem, & Romanorum receptaculum expugnavit; atque mutato veteri cognomine Reginoburgum à nomine uxoris suæ Reginobirgæ (celebre hoc in fastis est) appellavit, quod Germanicè in eundem quidem modum adhuc sonat, Latinis autem dicitur Ratisbona. Inter hos bellorum conflictus quis dubitet, quin Theodoni cum adversa Fortuna sæpè etiam fuerit confligendum? quis non arbitretur summas Duci exantlandas difficultates, qui, ut perhibet historia, per avia & invia prævivit suis, primus steriles calcavit arenas, primus in pulvere gradus posuit. Rerum autem vicissitudini hoc præcipuè est adscribendum, quòd cùm in medio victoriarum cursu esset Theodo, mors felicitatis & vitæ Filum abrupérit. Tranquillo eam excepit animo circa orbis servati Annum quingentesimum undecimum.

> de Theodone Lazius l.7. f. 234. Aventinus l.3. an. Boj. Brunner in Excub.

> A.DXI.



II. UTI-

II.

UTILO
THEODONIS FILIVS
DUX BOJARIÆ
MARCHIO ANTVVERPIENSIS.



Æmula me virtus, Armis, & Pace probata,
Præfecit ripæ, Lubrice Moſa, Tuæ.

Reuſnerus.

VTilonem hunc Theodonis Filium, & præclarum pariter Heroëm extitiſſe, probata Hiſtoricorum fides aſſerit. Succeſſit non ſolùm in Bona Patria, ſed etiam virtutes; parta conſervavit, amplificavit, in omne bonum Bojariæ nuper obtentæ pervigil. Oportebat illo tempore plenum oculis eſſe, & Argo ſimilem, qui contra Prædones & tyrannos tum in Germania plurimos, ſe, ſuósque volebat defenſos. Dormire non licuit, aut eſſe ſegnem, inſigni erat opus *Fortitudine.* Tota illa tempora tot bellis perturbata, & Bojariæ quoque fines undequáque impetentia, adverſantis utique fortunæ grandes fuerunt impetus; ſed ſtetit adversùm hos Magnus Utilo; tot Clypeos pro patriæ tutela objecit hoſtibus, quot *Argus* habuit oculos. Fortitudinis non parvæ genus eſt, quiete ſibi & ſomno interdicere, *non dormire*, ſed perpetuis

Brunnerus in Excub

Adelsreit. p. 1. lib. 6. fol. 135.

Reiſnerus in Baſilico. fol. 183.

Bucelinus p. 1 Germ. f. 13. & alii.

ſtare

ſtare in curis, ut ſubditorum utilitati proſpiciatur; id, quod egit Utilo, *connivere*, hoc eſt palpebras breviter ac modicè ſolitus demittere, nec longum ſibi permittere ſoporem, quò magis tuta quietáque Patria permaneret. Plures autem oculos tum maximè adhibebat, quando publica Europæ poſcebat neceſſitas, ut adversùs Danos Piraticam tunc exercentes relictâ tantiſper Patriâ Bojaricus hic Heros procederet. Per fideles interim Adminiſtros, tanquam centum oculos eminùs quoque videbat, & regebat Bojariam. Ipſe cum Theodoperto Auſtraſiæ Rege terra maríque Danos invaſit, fudit, debellavit; prædam, quam egerant, eripuit, captivos innumeros liberavit. Egregia hæc fortitudo jam duris ac difficilibus ſatis exercitata laboribus, novam felicitatem, novos honores merebatur. Itaque rebus contra Danos tam proſperè geſtis honorariam limitis inter Scaldin & Oceanum Præfecturam primus obtinuit à Theodorico Francorum Rege Theodoperti Patre, & Marchionibus, ſive Satrapis Antvverpienſibus initium dedit, quæ dignitas ab eo tanta ſubinde incrementa ſumpſit, ut ex hoc Marchionatu plures procreati ſintMajores Domûs, ſive Palatini Franciæ, & Præfecti aulæ, qui ad Regiam quoque pervenerunt Galliæ Dignitatem. Ab hac ſurrexit Magnum illud Orbis ac Heroicæ Fortitudinis prodigium Carolus Magnus, & ex Carolo tanquam ex Nobiliſſima ſtirpe Rami illi aurei, qui in tot regnorum coronas nexi ornârunt Franciam, Italiam, Lotharingiam, Aquitaniam, Germaniam. Ji ipſi feliciſſimi Rami extenderunt ſe per varias temporum viciſſitudines ad Principes Wittelsbacho-Schyrenſes, & in hæc usque florent tempora, fructúsque propignunt Orbi admirandos. Uxorem habuit Clotildem Utilo Theodorici Auſtraſiæ Regis Filiam; ex qua Filium genuit Hugobertum. Ipſe cum vita oculos clauſit anno DXXX.

VVolff. Laz. de Transmigr. gent. fol. [illegible] Franc. C. Calin in tabul. Genealog.

Ab Utilone Duces Brabantiæ etiam deduc. Seculum Gloriæ Auſtr. usque ad Carol. M. f. 80[illegible].

A DXXX.

III. HU-

III.

HVGOBERTVS *SIVE* SIGEBERTUS, MARCHIO ANTWERPIÆ.



Successi Patriis, Patri non impar, habenis
Filius hæc hæres me moriente capit.

Reusnerus.

Hugobertus, quem alii dixerunt Sigebertum, Filius Utilonis, jam & ipse, & Patre quidem adhuc vivente, Marchionis Antvverpiensis dignitatem gesserat, sed immaturâ morte, & ante Patrem subreptus, suo eam Filio reliquit; Patri Utiloni, avo Theodoni *non impar*; ergo *Magnus in ungue*, Proles *Leonum* non degener; qua ratione in Symbolo exprimitur. *Patrios assurgit in ungues*; in parentis & avi vestigia generosum promovet gressum; *Leo* est in sanguine; Leonum Soboles. Illo enim jam tempore, si non in scutis gentilitiis, at animis saltem Boici Heroës *Leonem* præferebant. Creditur quidem à nonnullis, Leones è Palatinorum insignibus in Boica primùm scuta translatos; sed qui antiquiora inspicient tempora, reperient, ut Palatinos, ita Bavaros à Pipinis,

Hugobertum Utilonis Filium habent Lazius fol. 90. Reusnerus in Stirpe Carolina fol. 183. Bucelinus ex Hieronymo Henninges in Genealog. Not. Germ. f. 13. & 14. Speculum Gloriæ Austr. & alii.

nis, Palatinis Galliæ, Francóque Sanguine descendere, qui lapsu temporum in varios divisi rivos, sub Ottonibus & Ludovicis rursus in unum veluti mare confluxerunt. Francis porrò regibus, atque Pipinis Leonem pro insignibus fuisse, Hunibaldus tradit. Quin imò vel ab ipso Hercule gentilitii Leonis insigne derivant aliqui. Non enim est Poëtarum duntaxat fabula, quidquid de Hercule narratur; sed fuit omninò antiquissimis temporibus, & in ipsa quoque Germania nostra inclytus Heros Alemannus, cognomento Hercules dictus, quem ob virtutem in cœlos sublatum crediderunt ethnici, & pro Deo coluerunt; hic devicti Leonis exuvias pro veste usurpavit; Leonem ipsum ei pro Symbolo adjunxit antiquitas. Scribunt hoc Authores non pauci. Unum adducamus Reusnerum, satis, ut credimus, idoneum, qui præ aliis junioribus fidem obtineat; ut cujus opera in re Genealogica maximi sunt laboris, & diligentiæ pluribus laudatæ. Ipsa ejus verba sunt hæc: *Alemannus cognomento Hercules, postremus Regum Germaniæ Magnæ, Conditor primus Bojorum: Ob Virtutem Divorum albo adscriptus. Ejus insigne fuit Leo, unde alere Leones adhuc Gentilitium est Bavariæ Principibus. Galli sive Celtæ, omnes Germanos vocant Alemannos.* Sive jam ab Hercule, primo, quod nonnulli existimant, Bojorum Authore, Leonem, Fortitudinis tesseram acceperint Progenitores Bavari, sive propriis sibi factis comparârint, certum tamen id est, generosi Leonis, Generosam fortémque prolem, Heroëm Herois Filium, fuisse Hugobertum. Erat de stirpe Leonum; hoc suffecerit; absint libri, absint Documenta; defuerit ætas rebus magnis exequendis; non defuit animus & indoles. Fortitudo *in Utraque Fortuna* per Leonis Symbolum bene adumbratur. Leo fortis est in agendo, fortis in patiendo: invicto robore maximos aggreditur hostes; eâdem virtute patitur, & excipit in se irruentes. Et hos & illos debellat, major omnibus. Leo & ductus in triumphum ipse, & triumphans de aliis, est magnanimus. *Leo Bestiarum fortissimus ad nullius pavet occursum*, ut habent sacræ paginæ; inter arma magis ardet; non tam prædâ, quàm gloriâ trahitur; *tantùm ardua poscit.* Leo, ut est proverbium, non *terretur larvis, neque à fabula excipitur.* Si quando febre laborat, aut læsus corpore vitium patitur, æger est, *nec tamen debilis*; nihil à pristina fortitudine remittit; Fractus viribus, non frangitur animo. Hæc est *Fortitudo Leonina in Utraque Fortuna*; hanc Junior Hugobertus traxit in sanguine, quámque ipse per longiores vitæ annos mundo exhibere non potuit, derivavit in Filium Ansbertum qui Genealogiæ Heroicæ jam seriem continuabit.

Marq. Freher de Orgin. Palat. c. 13.

Reusn. Basil. fol. 178.

Prov. 73.

Obiit circa annum Christi DLXIII.

IV. ASO-

IV.

ASOBERTUS
SIVE
ANSBERTUS
TETRARCHA ET SATRAPA ANTWERPIÆ.



Gloria Magna quidem, gentes devincere bello,
Non minor est, victas Lege tenere bona.

TRophæum huic Ansberto ſtruimus Symbolicum, non tam ex reportatis hoſtium Spoliis (etſi & iſta non deeſſent) quàm ex rerum in Republica bene geſtarum ornamentis. Nam & *hoc* quoque *Victoris opus*, & æquè ac illud, quod ex victricibus armis, aut cæſorum manubiis componitur. Fortitudini non in bello duntaxat, ſed & Pace locus eſt. Victoriæ non in campis duntaxat ferro metuntur, ſed & in urbibus vel ſceptro vel calamo obtinentur; exuviæ ſceleſtis detractæ, rebellibus excuſſa furoris inſtrumenta, gladii juſtitiæ, Jurium legúmque tabulæ, faſces Conſulum, togæ eruditorum, præclariſſima ſunt monumenta, & digniſſima, ut pro trophæo ſtatuantur. Glorioſum eſt ſplendidos in campo circumferre gladios, urbes obſidere, & capere, hoſtiles exſcindere regiones, dilatare imperia; æquè magnum, æquè præclarum rempublicam conſervare, populorum

Reuſn. in Baſilico vocat etiam Hausbertum & Ambertum. fol. 183.

VVolffg. Laz. f. 77.

Bucelinus in Germ. Genealog. f. l. 14.

Hieronym. Henning.

Calin. & alii.

lorum utilitati, incolumitati urbium, ſacrarum & profanarum ædium ſplendori providere. Heroës Bellici humana expugnant corpora, muros diruunt Saxeos; Rectores urbium hominis ſubjugant animum, arcem pectoris Victores ingrediuntur, quantò majore cum difficultate, tantò excellentiore gloria. Hi effigies ac ſtatuas ſuas, rerum factarum monumenta in ipſis erigunt humanis mentibus, quæ nulla unquam conſumit vetuſtas, aut delet oblivio. Talis & tam Bonus Reipublicæ Gubernator fuit Aſobertus; Tetrarcham & Satrapam Antvverpienſem, multarum urbium Rectorem egit; quod officium ſat amplam ei generoſæ virtutis occaſionem, nobis eximiæ laudis dedit materiam. Licèt arma quieverint foris, & extra muros, intra ipſam tamen civitatem Principi noſtro patens aperiebatur campus, in quo ſuam exerceret fortitudinem. Dum clavum reipublicæ ita moderatus eſt, ut illa neque involveretur fluctibus, neque ventorum inclementiæ cederet; dum frænavit impetus ſceleratorum, dum neglectis adulatoribus favebat virtuti, contra perfidos juſtitiam defendebat, pugnas habuit cum *diverſa Fortuna* ingentes, Trophæum ſibi ipſe erexit, & Decora collegit in ævum victura. Diem objit ſuum Gubernator hic fortiſſimus Anno quingenteſimo ſeptuageſimo nono, poſtquam ex Pluthylda conjuge, Clotarii primi Francorum Regis Filia, genuit Arionulphum, ſeu Arnoldum, qui ſuam ulteriùs virtutem in poſteros transfunderet.

A.DLXXIX.

V. AR-

V.

ARNOLDVS
MARCHIO ANTVVERPIÆ
DUX BRABANTIÆ ET HASBANIÆ.



Clarus avo, proavóque fui, clarúsque Parente,
Sed mea me clarum laus facit esse magìs.

Reusn.

BOici Sanguinis hæc est prærogativa, & rara gloria, ut vel eludant, vel obliterent plebeium illud Proverbium, quo dicitur *Heroum Filios* esse *noxas*. In quos enim hic sanguis fluit, Heroës sunt. In tam longo stemmate tot *sunt probati, quot geniti*, ut ajebat quondam Cassiodorus. Habuit Arnoldus qui & Herconoaldus & Buggisus dicebatur, Majores Clarissimos, sed jis ipse non fuit Minor. Vivebant in eo Majores, & ipse in illis. Collegit Priores intra se, & addidit se illis. Nec eorum duntaxat auxit gloriam; sed & potentiam, Dux Brabantiæ simul & Hasbaniæ factus. Noverat enim alienis duntaxat Patrum factis neminem verè magnum effici; magnitudinem veram esse, esse magnum de suo. Quantarum porrò virtutum Arnoldus fuerit, non tam in libris, quàm liberis suis Orbi reliquit, *Pulchra Prole parens, Arbor bona*, quæ fructus genuit optimos. Ex Oda conjuge Gunzonis Sueviæ Ducis Filia progenuit Beatum Arnolphum, de quo posteà,

Authores jidem qui suprà. LL. cit. item tabulæ recentissimè Augustæ editæ apud Joan. Stridtbeck sub titulo Reg. Gall. Meroving.

ex Duce Brabantiæ, Epiſcopum, uti & S. Verioldum Metenſem Præſulem, Modericum pariter Epiſcopum, & Tarſitiam Religioſam Virginem, ipſum quoque inter Sanctos poſteà relatam. Generatio felix! educatio Sancta! námque *ſi radix Sancta, & Rami.* à venenata radice fructus ſalubres non pullulant. Filiorum decora à parentum ſtirpe ſuccum habent, & incrementum. Aptiſſimum itaque huic Heroi adumbrando Symbolum eſt *Malus Punica*, quæ ſuam in pulchris fructibus virtutem oſtentat, & eam quidem non unam, ſed in tot ſpecies diſtinctam, quot grana *malum* habet *granatum*; numeris enim abſoluta debet eſſe omnibus Virtus illa, quæ Sanctos facit; atque adeò nec illam deſiderabis, quæ *utramque fortunam* moderatur, invictam animi *Patientiam.* Speciali hæc ratione in Malo granato reperitur adumbrata, cujus ſapor & guſtus tantò nobilior eſt, quòd dulcedinem ſimul & acrimoniam habeat commixtam. Non dubium, quin in hac mortalitate multas guſtârit acerbitates Arnoldus, donec ſibi tanquam Malo Granato propriam Coronam, æternam nempe in cœlis felicitatem acquiſivit. Vixit circa annum ſalutis DCI.

Rom. 11. 16.

A. DCI.

VI. S. AR-



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES A THEODONE I. BOIORUM RECTORE USQUE AD CAROLUM MAGNUM.

VI.

S. ARNULPHUS
MAJOR DOMUS FRANCIÆ
DUX AUSTRASIÆ, MOSELLANIÆ, &c.

DEIN

EPISCOPUS METENSIS.



Cœlum, & celsa peto; Sola immortalia quæro,
Parva humiles; altos alta decent animos

NOn terreſtres tantùm, ſed & cœleſtes habet Hercules Bojaria. Factis alii mundum implent Heroicis; alii cœlos ſuis accendunt radiis, neque ſolùm ex alto terras illuminant, ſed & ſalubri virtute influunt, infrà ſe poſitos fovent, protegunt. Tale ſidus Herculeum Sanctus Arnulphus eſt, cui Bojaria non modò Principum ſuorum vetuſtiſſimam debet Originem, ſed præſidium cœleſte, tutelam Patriæ, multáſque, quas ipſa fortè non agnovit, gratias in acceptis habet referendas; pronum enim eſt credere, quòd jam de cœlo influat in Sanguinem, & Stirpem ſuam, à qua profluxit ipſe in terra. Arnulphus hic Arnoldi Filius Dux Auſtraſiæ, & Moſellaniæ, opibus potens, Majoris Domûs ſive Palatini Franciæ Dignitatem erat adeptus, Regibus Franciæ pœnè par; nam univerſum Francorum Regnum adminiſtrabatur eo tempore per Domûs Majores, ut vocabant, ipſis

De Genealogia Authores ut ſupra item Tabulæ Geneal. Strubek. [illegible] næ Auguſt.

Regibus genio & voluptati indulgentibus. Felicitatis apicem tenere putabatur Arnulphus, & profperam fortunam ad quidvis fibi poffe reddere obnoxiam; fed ipfe humanarum rerum viciffitudines menti fuæ præfentiùs objiciens, quámque nihil in multa fæcula duraturum nofter hic orbis calamitofus habeat, contemplatus, afpirare cœpit ad immortalia. Mundi itaque faftu calcato, uxoris atque filiorum affectu fe expediens, in eremum conceffit, ibidem de feipfo, déque caduca humanarum rerum fortuna triumphos acturus pulcherrimos. Poft aliquot deinde annos invitus inde retrahitur, & Medio-Matricum, qui hodie Metenfes dicuntur, creatur Epifcopus. In hoc quoque vitæ ftatu virtutum præcipuarum exempla reliquit plurima; profufus in pauperes, fibi parcus; per labores facros, per vigilias & jejunia, per dura & afpera ad cœli femitam enitens. Qua ratione non folùm ipfe fibi varias corporis animique adverfitates, quibuscum decertaret, in arenam produxit, verùm & aliunde obtingentes generofo pertulit animo. Erant obtrectatores (non enim unquam virtus fine adverfariis fuit) qui integerrimam ejus vitam peffimè traduxerant, hominémque occultis deditum voluptatibus palàm criminabantur. Id cùm æquo tuliffet animo Arnulphus, non tulit cœlum, flammáque divinitùs immiſsâ homines maledicos fœdè ambuftos caftigavit, virtutem viri fancti clarè afferuit. Plura & in Vita, & à morte prodigia, quibus mundo inclaruit Arnulphus, facri & antiquiffimi recenfent hiftoriographi: Vincentius *in Specul.* Beda, & alii, quos Baronius in fuo Martyrologio Romano adducit Nos cœleftis hujus Herculis virtutem, & fortitudinem paucis attigiffe contenti, Genealogiam perteximus, cui fanctus Arnulphus, antequam in Sacerdotem confecraretur, nobilem ramum dedit, Angifum Filium, quemadmodum auctorum plurimorum certa perhibet fides; ipfe ex hoc mundo demigravit Anno Dñi DCXL. Ob res præclarè fanctéque geftas, meritò fiderum cœleftium & Sanctorum numero adlectus, ut

Baronius in Martyrol. Rom. ad Diem 18. Julii. Vincent. in Speculo lib. 23. cap. 72. & fequent. Beda tom. 3. Paul. Diac. de geft. Longob. lib. 6. cap. 5. & alii plures ex recent.

A. DCXL.

Cui virtus in aftra, & ipfos fecit ad fuperos iter.

Seneca.



VII. AN-

VII.

ANSEGISUS
DUX BRABANTIÆ
S. R. I. MARCHIO.



Strenuus in Venetos ultricia ſigna feroces
Dum paro, crudeli cæſus ab hoſte cado.

Reuſnerus.

ANſegiſus, vel Angiſus, nomen à Trojano Anchiſe derivatum, ſancti Arnulphi Filius, in matrimonium duxit Beggam ſanctæ Gertrudis Sororem, & ex illa Filium genuit Pipinum. Marchio erat Antvverpiæ, & Dux Brabantiæ creatus eſt à Dagoberto Francorum Rege, Magnus Magni Parentis Filius, duorum ſanctorum Lutolphi, & Waldiſii Frater, proximus affinis celeberrimæ Virginis Gertrudis. His utique titulis apud Hiſtoricos ſat clarus, Boico Sanguini ingens addidit ornamentum; verùm intelligere cupient aliqui, quid ab ipſo hoc Heroë præſtans ac magnificum ſit peractum? De vita parùm equidem tradunt libri, fortunæ credo, & temporum iniquitate intercepti; mors verò generoſiſſimè obita, quæ vita fuerit, luculentè commonſtrat. Nomine Regis Franciæ mittebatur Angiſus ad compeſcendos Venetos, qui tum defectionem à legitimo ſuo Rege moliebantur, in eâque expeditione cæſus ab hoſte vitam poſuerat. Facinus tam inſigne ſufficiat ſolum, ut de tota ejus vita judicium fiat; quodſi enim Martialis Poëta, præclari ingenii vir, ex uno Mutii Scævo-

deGenealogia Reuſnerus fol. 183. & alii omnes, qui ſuprà.

læ facto, quo is propriam suam dexteram erroris infelicis ream ad lentum incendium damnaverat, totum Romani Herois animum metiri potuit, & exclamare:

Scire piget post tale decus, quid fecerit antè;
Quam vidi, satis est hanc mihi nôsse manum. Mart. lib. 8. epig. 29.

Perinde ac si diceret: non peto vetera Mutii facinora, non est necesse, ut intelligam, quas jam olim palmas messuerit, quæ trophæa statuerit in Capitolio, *scire piget, quid fecerit antè*, unum hoc tam insigne facinus satis indicat, quis qualisve heros jam antè fuerit; Quantò certiùs Heroici animi argumentum nos inde desumemus, quòd tanti Nominis & Dignitatis Vir, Dux Brabantiæ Angisus, non manum duntaxat, sed se totum generosæ morti consecrârit. Ad hunc summæ fortitudinis apicem non uno ascenditur gradu; necesse est per multa egregia facinora viam sibi ad maximum stravisse. Quanta hæc fortitudo, si Princeps Maximus repudiatis aulæ florentis deliciis ipse progrediatur in campum, ferat Solem & pulverem, sudet & algeat, suâ præsentiâ robur & animos dispenset in omnes? quid magìs Heroicum, quàm si Dux ipse alacri animo in obstantes hostium globos se immittat, aciem perrumpat, animámque propriam utilitati populorum, & posterorum gloriæ impendat? An non continuæ hæ sunt de se, déque omni fortuna Victoriæ? Mors denique in his discriminibus obita, diu antè prævisa, fortiter quæsita, quid est nisi triumphi toties relati subscriptum sanguine testimonium? Dum itaque Angisus gloriosa morte cecidit, novum surrexit Boicæ gloriæ monumentum, in quo Fortuna adversa ab illo ipso cernitur superata, qui ab eadem sinistro prælii ictu prostratus esse putatur.

Anno DCLXXIX.

VIII. PI-

VIII.

PIPINUS CRASSUS,

QUI ET HERSTALLUS

DUX BRABANTIÆ

MAJOR DOMUS FRANCIÆ.



Pace fui felix, felix fulgentibus armis,
Nec tamen hoc pietas impar utroque fuit.

Reusnerus.

Clypeus hic, quem Pipinus pro Symbolo præfert, geminos in usus, repellendis nimirum, & inferendis armis peropportunus est; protegit adversùm hostes, & hostes quoque prominente ferrata cuspide impetit, læditque, *gemino spectabilis usu.* Hocipsum in Pipino celebri Heroë licet admirari. Belli fuit & Pacis clarus artibus, pietate insignis, & fortitudine, ad prosperam & adversam rectè compositus Fortunam; modum & moderationem ubique tenuit. Angisum habuit Patrem, Fratrem Martinum, cum quo Austrasiam aliquamdiu pacificè rexit. Uterque dein à Francis excitus, ut juncta manu inferrent arma Ebroino, qui tum temporis Magister Equitum seu Palatii Præfectus à Theodorico Rege dictus, crudelitate infamis, Rege Regisque nomine in omne nefas abutebatur. Conferitur atrox pugna, multáque strage hinc inde patrata Duces Austrasii

Authores qui supra.

Bussier historiæ Francicæ p. 1. lib. 03 ad an. 67. fol. 19. & seqq.

Pipinus & Martinus in fugam compelluntur. Martinus Laudunum se receperat, sed inde per astum ab Ebroino evocatus, pertractúsque in retia, perfidè est interemptus. Pipinus majore periculo, sed tutiore receptu in suam pervenit Austrasiam, ibidémque tacitus expectavit, dum novam fortuna jaceret aleam. Et brevì mutatio rerum subsecuta est magna. Sceleratus Ebroinus ex insidiis noctu in lecto jugulatus; substituti alii Aulæ Præfecti, sed æquè improbi; relegati in exilium viri optimi, Franci passim malè habiti, opportunitatem causámque præbuerunt, ut Pipinus cum exulum Francorum collecta manu, Bertrarium sub idem tempus omnia sed indignè gubernantem, ipsúmque Regem Theodoricum novo prælio aggrederetur, & triumpharet. Bertrarius à suismet Comitibus in fuga occisus est. Et tunc Regem ipsum capere pronum erat, sed intra fugam sospitem esse vel hosti placuit; adeò prosperâ quoque fortunâ moderatè uti voluit Pipinus. Devinxit ea res Theodoricum magnópere, atque ideò Pipinum Majorem Domûs Franciæ designavit, suo totiùsque Regni emolumento maximo; suo quidem, quòd Rex cæteroquin ignavus, quique sub servitute hominum pessimorum hactenus erat constitutus, jam tandem se justo & forti Domino in obsequium traderet; Rex enim nomine erat, Regnum, ipsúmque Regem Major Domûs gubernabat; ab hoc jus Belli & Pacis, vitæ & necis potestas summa exercebatur. Emolumentum regno inde accessit, quia Pipinus rem fideliter ac fortiter administravit; ejus consilio ac fortitudine Francia interno carens hoste, pacisque diuturnæ bonis perfruens floruit diu, & foris quoque pristinam dignitatem recuperavit. Lambertum virum Sanctissimum, Episcopum Trajectensem ab Ebroino sede pulsum, in priorem locum restituit Pipinus; fundavit, restauravítque sacras ædes, Frisios, atque eorum Principem Ratbodum bello devictos ab idolorum cultu ad Christum adduxit, submisso Clemente Viro Sancto, qui Dei legem promulgaret. Inde Suevi aliæque gentes sub jugum missæ; sed dum terrorem armorum latè in externos circumferebat, domi simul paci & ornamento Galliæ prospicere non omisit. Publicam tamen felicitatem, ut rerum humanarum perpetua est vicissitudo, privatus in Pipino imminuit dolor. Drogo ejus Filius, in quo spem maximam collocaverat, febri correptus vivere desiit; Grimoaldus pariter spei paternæ anchora, cùm Patrem Leodii ægrotantem inviseret, precésque funderet ad sacros cineres Divi Lamberti, à Rantgario sceleratissimo percussore est interfectus; & ipse paulò pòst, cùm Filium Carolum cognomento Martellum Austrasiæ Ducem instituisset, mœstitiâ morbíque vi oppressus animam egit vicesimo octavo principatûs sui anno, postquam & Regibus, & quod majus est, sibi in diversa fortuna sæpiùs imperavit.

Joan. Buzelin. S. J. In Annalibus Gallo-Flandricis f. 54. & seqq.

Anno DCCXIV.

IX. CA-

IX.

CAROLUS MARTELLUS MAJOR DOMUS, *ET* PRINCEPS FRANCIÆ.



Sequana, Mosa, Liger, Rhenus, Garumna, Visurgis
Devicti, laudis sunt monimenta meæ.

Reusnerus.

Hic est Carolus, cui pòst advenit Martelli cognomen, sive Malleum tuditémve hostium dixeris, quos cecìdit, prostravitque pugnis assiduis, sive à fabuloso DEO Marte appellaveris *Martem Francicum*, qui bellica re, palmísque plurimis veram falsi Numinis gloriam promeruit. Utrumque convenit; nec Malleus duntaxat durissimorum extitit hostium, sed ipse se Fortunæ gravissimis ictibus, rebúsque difficillimis incudem præbuit, quæ ferreo robore immota *duraret* semper, quemadmodum adumbrat imago symbolica. Spiritus autem Martii, qui Martelli nomen ei tribuere poterant, tam generosi fuerunt, atque in tantum coràm orbe toto splendorem exarserunt, ut diei solem ac-

Authores Genealog. ut suprà & plures aliì.

Bussier. hist. Franc. p.1.à f.204.

cen-

Jo. Bazelin Annal. Gallo-Flandr. f. 89. & 90.

cendere tentent, qui eum verbis voluerint amplificare; pauca aliqua in compendium mittimus; atque ut constet, fortissimos quosque Heroes per sinistra interdum prælia ad summam rei bellicæ peritiam erudiri, adversam ejus Fortunam initio perstringemus. Potentia & dignitas Pipini, quem Martellus parentem habuit, ita multos ex Franciæ Magnatibus in invidiam odiúmque pertraxerat, ut ab ejus morte Raganfredus Magister Palatii, collectis multorum viribus, & icto cum Ratbodo Frisio fœdere, ad universas Pipinianas reliquias continuò delendas se accinxerit. Tyro adhuc & Adolescens erat Carolus, & quamvis amicos clientésque plurimos in aciem secum eduxerit, commissâ tamen pugnâ acerrimâ gravi damno vincitur, fugatúrque. Occasionem Carolo iniqua præbere voluit Fortuna, id discendi, Magnorum Imperatorum hæc esse tyrocinia, ut ab adversis metum & securitatem edoceantur, animisque crescant in infortuniis. Crevit profectò Carolus; cùm enim victores eo fugato, ceu jam penitùs debellatum foret, soluto in Franciam agmine redirent, Antæus ipse novus è casu fortior, positis clàm insidiis in loco, quem Amblana dicunt, palantes intrepidè aggressus magnam stragem edidit, docuitque viro forti & sedulo fieri prospera ex adversis. Paulatim deinde alias ex aliis messuit palmas, subegit Coloniam, expugnavit Andegavum, rebelles Saxones magna celeritate occupavit, Suevos & alias ad Danubium gentes armorum suorum terrore domuit, & copiis ultrà Danubium actis, Bavariam à Plectrude ad defectionem sollicitatam rursum Francis adjunxit. Omissis aliis solum illud memorabimus bellum, quo non Franciæ modò, sed universæ Europæ imminentem à Saracenis interitum felicissimè depulit. Circa annum septingentesimum vicesimum sextum Saraceni, gens barbara, tam portentoso numero per claustra Pyrenæi in Franciam irruperant, quasi non homines, ut historiæ referunt, sed Vesparum examina ibi sedem positura adventâssent. Jam una alteráve clade admonebatur Carolus, in quo discrimine & Europa & Ecclesia tota versaretur; solita igitur celeritate ex Germania, Neustria, Austrasia atque Burgundia gentium robur florémque colligit, & in campis Turonicis adversùs hostium plusquàm quadringenta millia numerum longissimè inferiorem educit, confligit, triumphat. Cum ipso Rege Abderamo trecenta septuaginta quinque millia sunt cæsa, Christianorum paucis duntaxat desideratis. Gens pessima inundâsset orbem, nisi jam maris & Pyrenæorum victrix occidisset sub Carolo, spésque immodicas in effuso sanguine demersisset. Nec statim in uno Hydræ capite debellatum fuit; plura excetræ colla resecare oportuit. Ad Avenionem receptam, ad Narbonem captum Francicus Hercules monstrum perniciosissimum eoúsque pressit, donec Galliâ purgatâ penitus, Phocensem Provinciam & septimaniam Maurorum spolia duxerit in triumphum. Quin & suâ non contentus Galliâ Martellus, in Italia quoque authoritate pugnavit, Luitprandum Longobardum ab Romæ obsidione revocans, summóque Pontifici libertatem parans. Misit subinde honorificam Legationem Gregorius II. Pontifex cum clavibus S. Petri & Litteris, in quibus gratias dixit Martello, eúmque Filium *Christianissimum* appellavit, & Ecclesiam primùm servatam à Saracenis, dein ab Iconomachis contra Leonis Isaurici furorem & minas defensam in beneficiis Martelli se habere significavit. Tandem post alia plura gloriosissimè facta anno ætatis quinquagesimo quinto, Regni in Reges usurpati vicesimo quinto, tabe ex febri contracta vitam clausit multis adversis felicem & inclytam, Alexandro & Cæsare non minor futurus apud posteros, si scriptorem sui temporis obtinuisset, qui præclarè gesta posteris ritè traderet, nisi & ipsi posteri, Liberi, & Nepos Martello pro scriptore sint, & Panegyricus suprà omnem laudem.

Anno DCCXLI.

X. Pi-

X.

PIPINUS BREVIS, REX FRANCIÆ, DUX BRABANTIÆ.



Aspera vindicibus confeci prælia signis,
Testis erit Ligeris, Sequana testis erit.

CArolo Martello successerunt Filii duo, Carolomannus Natu Major in Regna Austrasiæ & Thuringiæ, Pipinus Major Domûs in Regnum Franciæ; hic posteà potitus est tota Patris hæreditate; nam Carolomannus abdicata spe mortalium rerum spontè Principatum suum Fratri Pipino reliquit, & Monasticum institutum in Cassino suscepit, sui victoriâ tantò majore, quantò difficilius est adolescenti, abjicere mundum inexperto, quàm viro post plurima sinistræ sortis experimenta. A majore autem gradu honoris & potentiæ creverunt quoque Pipino majora bella, & in bellis plures calamitates; in quibus tamen omnibus se verè magnum præbuit Heroëm; etsi enim staturâ pusillius quaternos suprà dimidium pedes vix impleret (unde illi Brevis, aut Parvi cognomen) animus tamen parvo in corpore magnas obtinebat dotes, & exiguo corpusculo ita non concludebatur, ut ultrà Franciæ terminos se latè protenderet. Eminebat in eo ingenii atque consilii incredibilis quædam vis, probitas mentis eximia, Religionis sacrarúmque rerum amor & studium, rei militaris cum felici-

Authores Genealogiæ ut suprà. Specul. Austr. f. 862.

Bussier. hist. Franc. à fol. 232.

Jo. Buzelin. Annal. Gallo-Fland. fol. 91.

tate peritia, virium etiam ſuprà corporis modum robur eximium. His aliíſque dotibus tam excelſis omnium Francorum amorem æſtimationémque in ſe provocavit, digniſſimúſque viſus eſt, qui regnum non alieno tantùm, ſed ſuo Nomine & Regia cum dignitate adminiſtraret. Tædebat Francos multo jam tempore, tam inertes habere Reges ex Familia Merovingiana, tam diſpares Clodovæis atque Clotariis, quíque à Majorum ſuorum laude tantópere defeciſſent. Itaque exauthorato Childerico Pipinus à S. Bonifacio Moguntiorum Præſule Rex Francorum inauguratur, Clero, Nobilitate, populo, ipſóque Pontifice Romano aſſentiente. Elatus in hoc altiſſimum faſtigium Pipinus (quanquam altiùs attolli vix potuerit, qui ipsâ priùs Fortunâ fuerat altior) ut antè, ita deinceps multa pro populo, pro Religione, pro Deo egit, tulítque. Expertus eſt multorum perfidiam, ac defectionem; ingentibus periculis evaſit ſuperior, ſua partim magnitudine, partim ingente fiducia in Deum, qui Principes etiam adverſis inſectatur, ut ad ſe trahat. Quondam è Saxonia reducem ingentes Weſtphalorum copiæ anguſto in calle concluſerant, inſeſſis omnibus viarum compendiis, intercluſis Francis, & aliis vel pugnâ imminutis, vel itinere feſſis, extrema Regi minitantes. Quo in rerum articulo, cùm Pipinus ad cœlum confugeret, & flexis ante exercitum genibus Suniberti Epiſcopi famâ ſanctitatis clariſſimi auxilium edito voto imploraret, aiunt ſplendidiſſimam repente lucem ſuper Francos effulſiſſe, cujus fulgore Barbari (& ji omnes idololatræ) non modò exterriti, ſed perſtricti oculis, & excæcati propemodum, ſe ſuáque arma Pipino ſpontè ſubmiſerint. Plura de tanto Heroë paſſim hiſtorici referunt, quibus anguſtæ hæ paginæ non ſufficerent. Sufficiat in ſymbolica imagine Eum ceu novum videre Jaſonem, qui generoſi animi typus eſt præſtantiſſimus. Jaſon ut aureum obtineret vellus, ingentia non horruit diſcrimina in navigatione Colchica exantlare, terrificum Draconis monſtrum non timuit aggredi & ſuffocare. Generoſus enim animus, & laudabili gloriæ cupiditate incenſus non modò difficultatibus his non terretur, ſed acuitur magis, & inflammatur. Habent hoc ſublimes Spiritus; per templum virtutis, ad Summi honoris apicem aſcendere ſolent. Hanc & non aliam viam, ut ad Coronam Regiam pertingeret, ſibi Pipinus novit ingrediendam. In hac via pro Dignitatis ſuæ faſtigio conſervando ſtetit ſemper; ab indefeſſo labore ceſſavit nunquam; oppoſuit ſe periculis, inſidias & terrores proculcavit; Maximo utique dignus Elogio, niſi Brevis ipſe, breviſſimum amâſſet, quod ejus tumulo in æde S. Dionyſii antiquitas inſcripſit: Pipinus Rex Pater Caroli Magni. Hoc eſt Pipinus, qui paravit poſteris regnum, qui Carolum genuit, inſtituítque, Magni Amnis fons, Magni rivus, nec ipſe parvus, ſi Pater aut Filius minor foret.

Defunctus Anno DCCLXVIII.

Vita quinquaginta quatuor annis conſcripta eſt, ut omnia Brevia præter facta eſſent.

PRI-

PRIMIS
GLORIOSISSIMÆ STIRPIS THEODONIANÆ
DECEM-VIRIS
ODE.

MItte funeſtas lachrymis rigare
Orba Cupreſſos: ululantis atros
Præficæ cantus, gemitúmque triſtem
BOICA mitte.

Aſperet infandas licèt, & fatum aſperet iras!
Non ſimul in cineres abiit, tumulúmque THEODO
Integer, Ille tuus vivit meliore ſuperſtes
In Prole; haud animam, mentémque ille abſtulit Orbi,
Mutavit Vultus, alióſque migravit in Artus,

I. THEODO.

UTILO magnum Jubar! Orbis ingens
BOICI Splendor! melioris Author
Sortis, & primos pariter LEONES
Gignere dignus.

UTILO! cæpta Patri certamina pergito fractis
Hoſtibus, & Fatis pertexere: Nominis ingens
Imple BOIARICI ſpatium: Te mille perîclis
Heros intrepidum rigida cervice ſub-infer,
Indomitúmque tuis fac PATREM vivere membris;

II. UTILO FIL. THEODONIS.

Et facit: Grandes imitatur auſus,
Filius præbet ſpecimen PARENTIS:
Ipſe MAIORES, Juvenis Minórque
Inter habendus.

Erigit in ferrum dextram, in ſpes erigit Orbem
UTILO; fatalem non uno murice Dextram!
Cúmque tuam ſcindet Trabeam Rex Dane, cruorem
Cúmque tuum ſparget, mergétque in corda Sariſſam,
Cúmque tuo fundet crudeles ſanguine turmas.
Tanta patravit Juvenis virili
Impetu Miles, reperire promptus
Inter atratos cineres beatæ
Semina Pacis.

Cochelaricus Daniæ Rex terra maríque ab Utilone victus & necatus.

Victor ubi ferrum furiale, atque integra ferro
Agmina, corraſam turpi cum milite prædam,
Et fractum Diadema, & Regis Sceptra minacis,
Et triſtes Dani tædas, flammásque vagatas
Rhenó Heros, tenebrísque, immensóque æquore merſit;
Tunc nigros terſit cineres furentis
Daniæ Scaldis, placidóque vecta
Alveo feſſo bibitur Triumphîs
Moſa LEONI.

Ipsúsque Auſtraſiæ laceros eſt faſſus amictus
Sartos Bojarica ſibi virtute Induperator.
Se Mediomatrix BAVARO debere ſtratego
Atque ſua agnovit: Debent huic FRANCICA florem
LILIA, & in pretium cedunt ANTWERPICA RURA.
Subditus Scaldis ſaliat ſonoris
Fluctibûs, Tanti reſonétque Palmas
Principis, pulchros fluido labores
Garriat ore.

III. SIGEBERT. FIL. UTILONIS.

Aſt heu! erravi! fluctúsque, undæque ſilete!
Statéque Lymphatæ Lymphæ; Pæana canorum
In mœſtos torquet ſors immitiſſima Leſſus.
Heu! Noctes Aurora vehit! SIGEBERTUS in ipſo
Heſperus eſt ortu: Tua Spes! tuus, UTILO, Natus!

Filium

Filium ad Patres rapuère Fata,
Perdit ante annos SIGEBERTUS annos,
Ne Virum indutus valeat vel ipſa
Perdere fata.

Et tamen immotus tanta inter funera mentem
Stat Genitor: Natíque ſuper ſe membra reclinans,
(Ne cecidiſſe putes) generoſos ore reſumit,
Quos dederat ſpirare, animos, ne fortè ſub umbras
Irent: Quippe umbras Stirps hæc vel mortua neſcit.
Spiritu plenus gemino, recentes
Cùm ſibi Palmas Superos negare
Audiit, feſſos poſuit mucrones,
Armáque miſit.

Tranſmiſitque, ASOBERTE, tibi clara arma Nepoti,
Et tantò Major vivat modò ſpiritus in Te
Chare Nepos, inquit, quo *fortunabis* Utrumque
Eoum, occiduúmque Polum; Te Lilia poſcunt,
Téque Aquilæ; per te ſperat pars utraque Palmam.
Móxque Victrices tibi ROMA Lauros
Enſe reſciſſas ASOBERTUS offert.
Dum trucum fregit nimis inquieta
Arma Gothorum.

IV. ASOBERTVS Filius SIGEBERTI.

Hieron. Heñinges Theat. Geneal. Quartæ Monarchiæ part. prior. f. 11. & 18. & 166.168

Et prima hæc Latio BAVARUS LEO prœlia certat.
Altera pro Francis in Francos arma capeſſit,
Inque pias ſurgit Regíſque Patríſque tuendo
Et Caput, & Sceptrum pugnas: GRANIQUE rebellis
In Patrem ſobolis nimios domat ignibus ignes.
Hanc ubi terris peperit quietem
Fertili Laurorum ASOBERTUS enſe,
Vindice & flamma Clotharij reſarſit
Jura Thronúmque.

Ecce! novo petitur Victor certamine: Bella
Servatus movit Magno cum Cæſare Gallus,
Bella bonos inter ſemper certata Monarchas.
Ambo Victori dare certant prœmia, ferre
Dona Triumphanti, fructúsque appendere Palmis.
Cæſar ut faſces Bavaros adoret,
Quà patet, Rhenum jubet: Et feracem
Gallus Heroi BAVARO Moſellam
Creſcere mandat.

V. ARNOLDUS Fil. ASOBERTI.

Sic quoque ſic creſcit Merovingis ferreus ille,
Aureus at Superis ARNOLDUS: Quando fugatos
Fudit ferro Illos: His Aras quando vocatis
Ex Auro poſuit, poſuítque ex Marmore ſedes,
Et nova fundamenta Sacris dedit Auſpice Cœlo.
O Ducem fauſtum, docilémque BOIO
Stemmati Divos facere auſpicatos!
Perge ſic auro fabricare ſortem,
Aurea fata.

Munificus in Ecclesias, juratus Merovingorũ hostis, quibus pulsis Hasbaniæ Dux inauguratur. Hieron. Henninges loc. & f ſuprà cit. &c.

Scilicet his fatis BAVARAS Hasbania habenas,
Et ſubiit BAVARAS Brabantia: Túque Ducales
Et Pileum & Titulum ſumpſiſti Arnolde, daturus
Altera Dux Primus præcelſæ exordia ſtirpi.
Stirps matura fatis, dum Ramos Faſcibus aptet.

VI. S. ARNULPHUS Filius Arnoldi. Epiſcop. Metenſ.

Hactenus Divis Genus hoc LEONUM
Æmulos ſemper valuit creare:
Et meros BOIUM Superos videres
Stemma referre.

Nunc verè ut Divûm Genus eſſet BOICA, Divum
Fert Illa; O hoſtes toties fera colla ſubacti
Flectere: Vos BAVARO faciles nunc flectite Sancto,
Ne vos arma manu, ſævum ne tendite ferrum
Ultrà: diſcatis BAVAROS non temnere DIVOS.

Scili-

Scilicet vibrant nimiùm potenter
Cœlites ferrum, ſine ferro & armis.
Et canunt certùm, ſimul atque clangunt
Claſſica leſſum.

Hucuſque eliſos iterum reparare furores
Nec fortuna ſuos, nec fata infeſta valebant;
Sátque diu innubi cælo Sol BOICUS ivit.
Nunc agite, ínque novam vóſmet firmate LEONES
Fortunæ rabiem, fatíſque intendite iniquis.

VII. ANSEGISUS S. ARNULPHI Fil. Occiſus in Bello ab Henetis ſeditioſis.

Actus in fædas Henetûm catervas
Vah quid ANSEGISUS agis? cruore
Nobili ne haſtas populi trucis dignare rebelles.

Sed rapitur monitis, oculíſque in prælia Princeps,
Et cecidiſſe flagrat, quando Victoria ſtare
Arma injuſta jubet, tollítque rebelle Triumphos
Vulgus. Nec fleviſſe licet; decet edere plauſus,
Dum BAVARUS, dum Jura pari cecidére ruinâ.

Omen O Cæli date rebus eſſe!
Et Ducum Rhombos Superi hoc cruore
Pingite, & tandem BAVARIS jubete, ut
Purpura creſcat!

Sed bona vota iterum jugulant mala fata, piáſque
Spes fallunt: fatîs donec melioribûs æqui
Fortunent Cæli: qui cùm bona grandia noſtris
Parturiant Ducibus, vix feſtinare licebit.
BOIARICE interea Genus almum, obnitere ſorti,

VIII. PIPINUS CRASSUS Fil. ANSEGISI MAJOR FRANCIÆ.

Tertius Francûm è BAVARIS PIPINUS
Regiam Majórque Domum regebat.
Hunc ferit fatum, decumana preſſat,
Iráque Regis,

At regali iræ miſcet LEO BOICUS iras,
Et miſcet dextram: fatalis Dextera Regi!
Nempe tibi faſces quæ dextera ferre miniſtros
Hactenus aſſuevit: caveas, ne Dextera ferrum
Jam ſtringat Dominum! Domino ne Marte triumphet.

Et triumphavit, Domino cecîdit
Galliam ferro: referénsque Palmas,
BOICÆ fasces retulit priores
Juráque stirpi.

At Regi, & Sceptris excelsa mente pepercit:
Et vicisse satìs fuerat. post prælia prædis
Vexare obtritos non consuevêre LEONES.
Hoc Suevi Frisiíque sciant, victíque PIPINO
Servatique simul. sic succubuisse juvabat.

IX. CAROLUS MART. Fil. PIPINI CRASSI.

Jam semel metris liceat quietum
Spiritum fessis trahere, & parare
Ferreum immensis calamum triumphis,
Ferrea verba.

Mars trepida! MARTELLUS adest, jámque ære sonoros
Circumfert artus; quos primos conterat hostes,
Et quos postremos, armati, malleus Orbis
Hæret. Mox uno plures simul impetit æstu,
Et frangit plures; plures fracturus, & omnes.

Ipse nec frangi dubiis Novercæ
Se sinit technis: Frisij movere
Nec feræ possunt acies Tyranni,
Ternáque clades.

Regemfredum, Clotharium, & Chilpericum.

Vulnera Martellum durant, magís inde ferocit,
Fortior adversis tres trino cum agmine Reges,
Et Frisios, Suevos, Alemannos, & Saracenos,
Téque Abdiramam, truculentum Téque Amoresum;
Saxoniámque omnem victricibus obterit armis.

Tot fatigatur titulis, egétque
Spiritûs vates. populis tot unus
Non fatigatur BAVARUS domandis,
Pluribus instat.

Et

Et Patrias repetit ferro, quas Tertius Hæres
Indoluit raptas, repetit ſibi CAROLUS oras,
Et Bojos Vindex ulciſcitur enſe Penates.
Nempe LEONINÆ eſt Virtutis & Indolis Hæres,
Ipſus & Hæredum eſt Idea & Imago ſuorum.

Te modò Galli celebrent Monarchæ
Eſſe Majorem: reliquæ fatentor
Maximum Gentes! ego te Minorem
EMMANUELE.

Stravit uterque pares numeróque, furoréque gentes,
Implet uterque ſuos annales, vicit uterque
Et fata & Martem. Sed tu cùm craſſior iret
Orbi ætas. NOSTER ſub noſtra at tempora vicit,
Et mala, quod demum mireris, tempora vicit.

Pôrge jam victas inimicus orbis
Dexteras tandem. BAVARÆ Coronam
Francicam defert Procerum Corona
Sceptráque ſtirpi.

X. PIPINUS BREVIS REX GALL. Filius MARTELLI.

Conſcendit ſolium, Regníque Inſignia tractat
MARTELLI ſanguis; parvo ſub corpore Magnus
Magnorum Genitor, ſe Nato regna daturus
Omnia: ſe Natos Regnis quondam omnibus, Almus
Ille Pater Regum, Bavara de Gente PIPINUS.

Hunc Brevem dicant alij, & Puſillum,
At mihi Magnus nimiùm videtur
Grandibus factis, Sobole & PIPINUS
Maximus eſſe.

QUámque mihi longum, quos Longobardia paſſa eſt,
Quos Petragoricus, foret enarrare triumphos.
Quàm manibus longis tendas Rex ſceptra PIPINE,
Quámque Orbem pacâris, quàm tremefeceris armis,


Una manus Alpes impacto findat ut enſe
Italicas, versétque ſolo victa agmina & urbes:
Hoſtibus hæc nunquid viſa eſt manus eſſe ſiniſtra?
Dextera dicetur manus altera, Firma, tuúmque
Suſtentare potens, & ſuſtentare Tiaræ
ROMANÆ ſolium, Galeam ſupponere Mitris.
Atque Pedo famulum primò conjungere ferrum,
Et quæ, vena tuis, non audet, laudibus impar.
Hoc ſatìs, hoc ſuperet. Magnus te Patre PIPINO,
Et BAVARO naſci debebat CAROLUS Orbi.
Sed quò metra ruunt? incepti Carminis Ordo
Cur ſub fine alius? nempe eſt indigna PIPINO
Tibia cantando, poſcunt immenſa Tubarum
Facta hæc clangorem, & tanti prænuntia Partûs
(Muſæ mandàrunt) ut Buccina longior iret.

CAROLO
MAGNO
MAGNO IMPERII GERMANICI
AUCTORI,
MAGNO DOMUS BOIARICÆ
PROPAGATORI,
HEROI
IN UTRAQUE FORTUNA GLORIOSISSIMO.

ORATIO.

Plaude Bojaria, adorna Triumphos, Trophæa erige, lætare, gratulare! FORTUNA EST SUBJUGATA! THEODONIS AUCUPIUM successit felicissimè; ROMANÆ AQUILÆ in BOICO hærent RETI; Qui cladem olim intentaverant fasces, jam ad triumphi pompam præferuntur; Ipse adeò Ter Magnus Christianorum DEUS, quem unicum profana Religio civitate non donaverat, Minores, Medios, Magnósque Deos contrivit; &

gradibus per eversa idola stratis ad Capitolij verticem ascendens Marti gladium, & Jovi fulmen eripuit! Sedet in Augusto solio MAGNUS, DIVUS, BOIARICUS IMPERATOR. At quò me Eloquentiæ æstus abripit? Veniam nempe non indulgeres, MAGNE CAROLE, nisi in laudem tuam ita peccâssem. Primo Bojaricæ Domûs Patriarchæ, ejusdémque glorioso RETI & AUCUPIO Te suffragante adscripsi, quæ Imperatoria Tua Majestas evolvit omina. Parentem Generis Tui lubens agnoscis Theodonem, qui & Ipse encomium omne non vicisset, nisi à Magnitudine Tua superatus; Nec Serenissimis altior Nepotibus Pater incederet, nisi eminentem inter maximos Heroem progenuisset. Cavisus olim fuit Rex Macedonum Philippus, quòd nato Filio Alexandro Regale Nomen purpuratis cunis intexeretur, solâ sibi Ducis appellatione relictâ. Gaudeat & THEODO, se BAVARIÆ largiri potuisse, quod non acceperat, ac se ipso majus Imperatoris nomen; neque propaginem suam unquam decrevisse, quæ ad summum gloriæ apicem evecta, in hujus radice positos conspexerit Pompeij Victorem Julium, & Julio majorẽ Augustum. Tua fuerunt MAGNE CAROLE THEODONIS auguria, quæ ipsa tamen Tua non æstimares, nisi Gentilitia Domus radios à Te haustos in Teipsum rursus reflecteret. Certant interim de origine Tua præclari Populi, vel quòd nutantes ad salutem erexeris, aut quod gloriæ locuples argumentum sit, de Natalibus tuis contendere. Inprimis lætatur Italia, se Titulis tuis posse crescere, vel eum in modum, quo Scipionibus devictæ Provinciæ Asia & Africa gloriosa dedêre nomina. Regnaverant tunc à sylvescente mento, aut novi spiculi genere dicti Longobardi, qui horribilium Draconum instar plus quàm Hesperios florentissimæ Italiæ hortos custodiverant, dicam, an everterant? Testem appello Urbium Reginam Mediolanum, inter rudera sua consepultum, sale insuper à Barbaris conspersum, ne tantæ injuriæ ultor è cineribus posset exsurgere. Jámque alterum extremæ Tyrannidis effluxerat sæculum; Deerant crudeli-


Ecclesiæ Fulcimentum
Imperij
Bojariæ
CAROLUS MAGNUS
Magnus Imperij
Germanici Auctor
Magnus
Domûs Bojaricæ
Propagator.
Fundamentum.
Ornamentum.
HEROS IN UTRAQUE FORTUNA GLORIOSISSIMUS.
Cosmas Asam delin. Monachij.
And. Matth. Wolffgang Sc. Aug. Vind.

delitati funera; & ſola feralem plauſum edebant diruta Romanæ Magnificentiæ Theatra. Tandem melior Phœbus Superûm auſpiciis reductus eſt. Advolas gemino cum exercitu, ipſe pluribus exercitibus ſuppar. In una urbe Ticino integrum Longobardorum regnum obſides, expugnas, & iisdem Italiam vinculis eximis, quibus *Deſiderium*, poſtremum Gentis Longobardicæ Regem in captivitatem, & cum illo ferrea ſæcula in exilium abſtraxiſti ultimum, coronâ his priùs ademptâ, quam ut ut ex ferro conflatam ſucceſſores jam Cæſares præmium Virtutis Tuæ pluris æſtimant, quàm Aſſyriorum Tiaras, Perſarũm Cydares, ac quibus Græcia, & antiqua quondam Roma ſuperbiverant, Diademata. Sed reportatum Gloriæ Decus, quæ minimè debuit, B O J A R I A invidit. Arma contra Te ſtringit inteſtinus hoſtis, cùm exteri, qui ad bella provocando novos Tibi triumphos adornarent, haud ampliùs ſupereſſent. Reddidiſti Tibi, & ſibi Patriam, feliciſſimâ audaciæ pœnâ, dum delatam à ſummo Sacrorum Antiſtite Imperatoriam Lauream, ac univerſi occidentis ſceptrum avitis illius theſauris intuliſti. Tuâ opus haberem facundiâ Imperator ſapientiſſime, ſi reliqua, quibus Eccleſiam Orthodoxam, Romanum Imperium, ac ipſam denique Sereniſſimam Bojariæ Domum tutatus es, extuliſti, ac illuſtrâſti, facinora, non dicam pro dignitate laudare, ſed vel in numerum redigere vellem. Diſceptent de his nobiliſſimæ Academiæ, Lutetiana, quam fundâſti, Ticinenſis, quam inſtituiſti, Bononienſis, quàm inſtaurâſti. Unde autem victoriarum initium ducendum? Finem enim non niſi cum vita inveniemus; an ab excuſſis Vaſconum clypeis, vel comminutis Hunnorum telis; an à retuſis Saxonum enſibus, vel extincta Saracenorum Luna? Canat fortitudinem Tuam Laureata Poëſis, cujus Tu ipſe plectrum non minori dexteritate, quàm haſtam tenuiſti. Eloquentia virtutem extollat ſupra aſtra, quorum curſum doctiſſimis vigiliis es dimenſus. Immortales faſtos conſcribat Hiſtoria, cujus veritati irrefragabilem fidem conciliâſti, majora patrando, quàm quæ de ce-

leberrimis etiam Heroibus fingi posse credebantur. Age igitur MAGNE CAROLE, & condito Te digno symbolo Primi è Germania Imperatoris faustissimam memoriam seræ Posteritati transmitte. Quadrigam solis, cœlestes Aquilas, Leonum agmina, Palmarum sylvas, Colossæas statuas, adamantinas rupes, utrumque Oceanum in gloriosi operis instrumenta assume. Fodinas auro, murices astro, thesauros margaritis, decantatas Apellis, ac Phidiæ officinas marmore, coloribus, scalpro & penicillo, arte omni evacua. Nullius exspectationem superabis, si summa omnia transcenderis; implebis omnium desideria, si votorum Te non capiat amplitudo. Sed DEUM immortalem! renovata, ut video, est Babylonicæ Turris machinatorum confusio; abrupta Heroicorum Lemmatum texta; triumphales soni à vocibus divulsi; non litera cohæret literæ. Prima linguarum elementa, *Alphabetum*, elegisti ad genuinam Augustissimæ mentis Tuæ ideam orbi universo exhibendam: An eo fortè consilio, ut Heroum præcedentium elogia ad exile Magnitudinis Tuæ rudimentum redigeres? An potiùs, quòd disertissimis etiam rostris ineluctabilem adeò laudis materiam velles subministrare, quanta scilicet è transversis, vel combinatis literis vocum, ac periodorum varietas, & immensa copia potest emergere? Eloquerer profectò ista, nisi me ipsæ literæ arcerent, quæ in Corona Tua, antequam fatis concederes, prodigiosè expunctæ apparuêre. Evanuit ibi Magnum CAROLI PRINCIPIS Nomen, quod Ipsemet quidem jam priùs obliterâsse videbaris, dum insignibus tuis Meritis totum detrahens, alienæ gratiæ, quam ædificatis in Cælitum honorem tot magnificis adeptus es templis, unicè, ac omnia attribuisti. Evanuit inquam; sed planè fallor: Faces enim sereno ante vultum Tuum cælo simul emicantes Te Imperatoribus verè Divis adscriptum, ac etiam Templis augusta manu construendis dignum, quot vatidicis radiis, tot luculentis testibus comprobârunt.

Unum

Unum, pace tua id liceat, MAGNE CAROLE, unum inquam, quod Famæ Tuæ immortali umbram interponat, & infra reliquos Te Heroas deprimat, videor mihi hactenus detexiſſe. Tibi enim ſoli non interrupta fide ancillata eſt fortuna; atque penè volubilis eſſe deſiiit rota, quam perpetua felicitate, quaſi clavo, affixiſti. Sed quò incautus temerè prolapſus ſum? Quid? adverſi caſus, & magna Heroicæ Virtutis experimenta defuerint? Afferat hoc, per me licet, quisquis rerum Tuarum eò uſque ignarus eſt, ut neſciat, Imperatorum Maxime, quòd cùm expugnato victrici dextera Eresburgo caſtra moviſſes, Te ipſum obſidione cinxerit ingens terræ ſiccitas, & penuria aquarum ultima. Hìc cùm humana omnia deficerent conſilia æquè, ac auxilia, præpotens Dei manus largiſſimum repentè innovatis antiquis miraculis flumen excitavit, quod non tam fluctibus, quàm prodigiis turgens exantlatam ipſo adeò triduo ſitim extinxit copioſiſſimè. Officioſum ſanè hoc elementum ibi fuerat, ſed ultima omnia alibi minitabatur hoſtilis, qui ad Friſtoriam exarſerat, ignis; Verùm ecce advolantes quamprimùm duo Cælites, terribili forma conſpicui, eodem halitu & ſævientes flammas oppreſſerunt, & hoſtiles turmas in præcipitem fugam conjecerunt. Quid jam de Wedekindo Saxonum olim Duce dicam? Inſtabilis hic Lunæ in morem jam ad partes tuas acceſſerat, jam retrograda fide defecerat. At divinus Agnus non ſub triticea tantùm nube abſconditus, ſed humana etiam, eáque elegantiſſimâ formâ conſpicuus, inimicum ultra ſex luſtra vafritie ſua illudentem, amicum cælo, & Tibi conciliavit. Quamvis & hæc ipſa Cæleſtis Aulæ ad opem ferendam promptitudo eximium ſit Heroicæ Tuæ in adverſis Patientiæ argumentum. Non enim opitulari ſolet Cælum, niſi humana, extremis quidem viribus impenſa, oneri tamen ſuccumbant auxilia. Delectatur illud Palæſtrâ, in qua Heroes cum ſiniſtra fortuna compoſiti decertant acriter, & vincunt glorioſiſſimè; non otioſi tamen ſpectatoris more ſerios ſubinde ludos arbitratur. Interpoſita novi prodigii fide confirmat,

quòd invictæ Fortitudini Coronam jam decreverit, imponendam quoque, si ad ultimas usque virtutum metas decurrerit. Et ecce, quale rursus Tibi in proprio Filio monstrum objicitur, MAGNE CAROLE? Scyllam dicerem Megarensium Regis interfectricem, nisi illa in mare præcipitata, ut non inscitè fabulantur Poëtæ, ac in scopulum conversa, parricidii sui pœnas dedisset, hic verò indultâ licèt infandi sceleris veniâ abominanda impietate Tibi porrò insultaret. Poterátne gravius vulnus & Patris & Regis animo infligi, altius in viscera adigi? Certè palmaris etiam patientia in lucta tam insolenti succubitura fuisset, nisi CAROLI, veréque MAGNI fuisset. Jam se deceptum fateatur Romulus, qui soli parricidio, utpote nunquam, ut inquiebat, eventuro, supplicium nullum constituerat. Pipinus cognomento Gibbosus, ut rem apertiùs eloquar, vitæ insidias struebat, (horresco referens!) à quo vitam acceperat. Ignoscis tamen Filio, commeritam, justissimámque vindictam paterno animo exarmante. Resumit immanem parricidii telam degener Pipinus, & exulceratæ jamjam Justitiæ, sacræque Nemesis feralia instrumenta gladios, rotas, culeósque secundò malè gratus provocat. Sed O mitissimam severitatem! Iterum veniâ donas filium attentatæ secundò necis paternæ reum, sanctiore tamen subinde Sacramento obstrictum, ut optimus è pessimo evaderet, Deóque mutatis piissimè signis integrâ, eâque perpetuâ fide militaret. Jam quidquid ex malorum omnium Iliade contra CAROLUM in arenam produceres, nomen & naturam posuisse videri posset; dum quidquid adversum, fortunatum; quidquid horridum, amabile; quidquid luctuosum, jucundum; quidquid ferale, vitâ & salute plenum Tibi sancto, ac inter Sanctos Cæsari insonabat. Unde ad Heroicam Tuam Fortitudinem consummandam ipsa pariter, necesse est, infausta evadat felicitas, inops copia, depressa sublimitas, exanimata victoria. Hoc unum deerat, ut ad plenam victoriam CAROLUS SECUM Ipso committeretur. Jámque conspicio Antagonistam, qui solus TE IPSO non minor incedat, ad singulare certamen pro-

vocan-

vocantem, ne exercituum robur, ac multitudo vires & animos possit addere, vel palmam cum Victore partiri. Et quem illum Antagonistam? Eum sanè ipsum, qui non tantum Deos ab insana Gentilitate adoratos delubris, statuis, Thure spoliavit; verùm & Divinissimum Numen, propè dixerim, nutibus ac votis suis omnibus reddidit obsequiosum. Virum indigito, eo corporis robore præcellentem, ut equitem cataphractum, equúmque uno ictu medios diviserit. Pugilem dico, cui ut mors ipsa metum posset incutere, palatii tremorem, porticûs lapsum, pontis incendium, ac solis denique, & Lunæ deliquia in auxilium nequicquam advocavit. Ducem appello artis militaris adeò peritum, ut hanc eâdem operâ & primò invenisse, ac numeris simul omnibus perfecisse diceretur cumulatissimè. CAROLUM intelligo Hostem CAROLI, Hostem SUI IPSIUS. Adversùs hunc in arenam procedit, formidabilis dicam, an mirabilis Palæstrita. Robustum certè prodit contracta ex longa inedia macies. Generosum loquitur Servatoris sui cruciatibus collacrymans vultus. Constantem ostendit ad Divorum limina peregrinantis baculus. Implacabilem demonstrat prona in hostes clementia. Victorem canit nocturna ad sacras ædes fuga. Plaudentem notant erectæ versùs cælum supplices palmæ. Triumphantem exornat vestis à plebeia non abhorrens. Hem æquum certamen! Imò dubiam rei aleam! Pugnam ancipitem! Accurrite, & opem ferte periclitanti Pugili, quos largissimis eleemosynis cumulavit, Pauperes. Auro vitam redimite Præsules, quod pia in vos effudit prodigalitas. Et cur modò moramini Cælites, quos hic à stellatis sedibus non semel excivit, Basilicarum recèns ubique surgentium pulchritudine ac majestate illectos? At cur Cælites evocemus, in quorum consortium CAROLUS SE IPSO jam major, jam sui ipsius victor gloriosissimus, aris ipse jam dignus, pridem transcriptus est; nisi fortè lubeat sacras ipsius exuvias relatæ toties de se ipso victoriæ testes inspicere. Certè apparuit sacrum Illius cadaver horrente è setis veste circumdatum, crucis insignia Coronæ Imperatoriæ raro fædere conjuncta. Hoc

 [gemi-

geminum ſpolium, quod de felicitate in ærumnas ſpontè converſa retulit, nec mors etiam beata potuit avellere. Factus proinde eſt orbis prodigium, Ducum Corona, Regum gloria, Cæſarum ſplendor, novum Cælitum decus. Sed unde tandem in talem, & tantum evaſit CAROLUS, ut verè Magnus, & eximiè Sanctus irrefragabili Orbis teſtimonio habeatur? Viam aliam non reperio, eámque magìs regiam, quàm quia ſuperavit auguſtam ſuam Magnitudinem magnanima ſui ipſius demiſſione, regalem pompam Divino Regi concolore caducæ proſperitatis contemptu, militarem fortitudinem fortitudine Chriſtiana. Extollat jam proſtratum, conculcatúmque ſuum robur Fortuna, quæ nec inſolitæ proſperitatis blanditiis, longiſſimáque victoriarum ſerie, nec decumanis adverſitatum fluctibus evincere potuit, ut CAROLUS mortalis conditionis eſſet immemor, ut non ubique eſſet Magnus & Sanctus. Superior omnibus, omnia SEQUE IPSUM triumphavit, ita ut ejus famam nulla terrarum vel ſæculorum oblivio non tantùm ſepelire non potuerit, ſed neq; contemerare. Vivis fortunæ utriuſque Domitor Magne, Sanctéque IMPERATOR CAROLE, vivis in Romanorum Cæſarum Faſtis, quorum ſolium firmiſſimis Columnis impoſuiſti, illibatæ nimirum religioni, ac Divorum radiis coronatæ ſanctitati. Vivis in Bojaricorum Ducum annalibus, quorum Gentilitiam Arborem ipſis regalibus Aquilis ita in nidum apparâſti, ut ibidem Aquilæ cum Leonibus ſacro Auguſti Sanguinis nexu in maximum Romani Imperii emolumentum æterno fœdere conjungerentur. Vivis in immortali omnium ordinum, & ætatum memoria Propagator fidei acerrimus, Legum conditor juſtiſſimus, ſubditorum amor fideliſſimus. Vivis denique, ac æternùm vives in Glorioſiſſima Poſteritate, quæ deducti à Te Cæſarei Sanguinis maximum documentum & ornamentum venerabunda, ut par eſt, æſtimat, ac æmulatur hodiedum Leoninam, hoc eſt, ſemper invictam, & incomparabilem, in utraque fortuna Tuam Conſtantiam & fortitudinem.

EIDEM

EIDEM
CAROLO
MAGNO
IMPERATORI.

CARMEN
EPICVM.

SAt ferro, *Rex Boje*, datum, dedit omnia ferrum
Imperia, & fortem dextram teſtabitur enſis
Sæpiùs in coſtas, ruptis thoracibus, actus.
Sta proin, O fulmen, ſta vera Herois imago;
Aut ego te deſpero ſequi, nimis obrutus actis:
Et ſic ipſe tuis nimiùm laudabilis obſtas
Laudibus: ergo inhibe gladium; ſat CAROLUS orbi
Intonuiti. ſat opum, ſat mundi, & honoris abunde eſt.
Verbo: Rex ſat habes MAGNI: Victoria porrò
Vix ſpatium, quò creſcat, habet. jam noverit hoſtis,
Quàm LEO ſis, quàm ſis FORTIS, quàm MAGNUS agendo;
Quàm forti niſu, quàm fortia brachia vibres.
Hinc, quia penè deeſt vincendus, vincere ceſſa
Pertæſus litui; poſt arma quietus ab alto

Deſpice, quantus eas, quantùm decreverit infrà
Gloria priſca Ducum, Latium quos vidit, & Hellas.
Sub juga jam Rhenus, jam Mauricus ivit Iberus,
Et quiſquis populus naſcenti conſcius Albi
Saxo, Brito, Avares, Wilſi, Sclavíque, Gothíque
Te Dominum didicêre pati, per bella coacti.
Quin Longobardi (gens imperterrita ſtare
In belli medio, gens neſcia cedere Campo,
Gens fera, *Barda* atrox, quæ jam duo ſæcula rapto
Vixit in Auſonia, & Narſetis poma voravit)
Ejecti vertêre ſolum. Jam dicere de te
Lippi, & Tonſores notiſſima carmina nôrunt:
Hic vir hic eſt. *Longas* qui ſcivit radere *Barbas*
Et Capite, & mento avulſo. Data regula ſæpè
Nos hodiéque manet, quàm tunc cecinêre Pelaſgi:
Τὸν φϱάγκον μὲν φίλον ἔχης, ὀ γείτονα: *Francum*
Non nimis affinem, ſed habe prudenter amicum.

Avares, qui deinde Hunni, nunc autem Hungari dicuntur

Longobardi à Narſete miſſis pomis in Italiam vocati ſunt.

Bojus adhuc reſtat, ſed non niſi Milite Bojo
Expugnandus erit. Rex CAROLE, Sanguinis hujus
Et Pater, & Natus, cognata in vulnera fortem
Huc impende manum, ſi viceris omnia, Magnus,
Si Bojos, æternus eris. Gens iſta ſuperſtes
Perpetuum faciet te Patrem, ac (cætera poſtquam
Stirps tua deſierit) reſides ex ſtipite ramos
Soli ex te ducent Bavari; nam ſicut avitum
Stemma tuum Bojis debes, ſic ſe tibi quondam
Boicus EMMANUEL debet; quo nemo potentûm
Plus poterit debere tibi: geret ille calentem
Bellô animam; ſimilémque tuo, Mundique capacem,
Et Mundo Majorem animum. Nil fortiùs illo,
Nil ſolidum magìs incumbens Fortuna videbit.
Jámque facem rotat ambitio, & gliſcentia ſpargit
Semina; & iſta tibi ſuadebunt ſumere ferrum

CARO-

CAROLE, cùm neque te Majorem Taſſilo poſſit,
NecTu ferre parem. dici jus debuit enſe,
Et placuit liquido cauſam decidere Marte.
Jam vexilla volant: in BOJUM Boja canuntur
Claſſica: ad arma vocant hic Taſſilo, Carolus illic,
Heroës ambo, & clari virtutibus ambo,
Ambo Agilolfingi, & Bavari Natalibus ambo.
Et quid jam petimus Superi? Num vincere præſtet,
Num vinci, ambigimus; Pietas vota utraque damnat,
Quæ facit. hoc etenim caſu tam vincere durum,
Quàm vinci miſerum: Bavaro certatur utrinque
Sanguine. ſed vinci, vinci patiare, rogamus
Taſſilo, Bojaria hanc tibi cladem ignoſcere ridens
Gaudebit; Tonſam pro vera ſume Coronam
In Monachum raſus. jamjam ſuaviſſimus æther
Ambroſiàs tibi delicias, melioráque Regnis
Munera promittit. Tua ſpes declinat *ad imum.*
Cede igitur Regnum, ne, cùm modò ſurculus ex te
Deficiat, propriis Dominis res Boja laborans
Externis aſſueſcat Heris, diſcátque ſubeſſe,
Nata præeſſe aliis regio. Num fallor? an ignem
Senſim vertit amor? jam non placet Heſperus, orto
Lucifero; cæpit jam Bojus Carolum amare
Fortiùs; oblitus ſenſim, quem pronus amavit
Antè Ducem, captúſque capi jam ſpontè volebat
Hoc à Rege ſuo, quaſi præſentiret in ipſo
Quid WITTELSPACHIUM, quid grande, quid EMMANUELIS.
Et quis non amet hîc? paucis dicam omnia: Bojo
Jam tum immortalem Numen dictavit amorem
Erga Carolidas, nullum tolerare volenti
Æquo animo, niſi Carolidum de ſtemmate ſtemma.

Taſſilo Rex Bojar. ex Agilolf. contra Carol. M. pugnat.

Victo Taſſilone Bojaria devoluta eſt adCarol. Magn tum jure belli, tum ſanguinis, quia Carolus itidem ex Agilolfingis deſcendit, & ſtirps Taſſilonis defecit.

Juxta proverb. de Taſſilone:

Taſſilo Dux primùm; pòſtRex, Monachus ſed ad imū.

Jam

Jam verò congreſſæ acies ; & quid moror ? ardent
Prælia; Belli erat iſta Theſis, num Taſſilo Rex ſit ?
Merguntur gladii capulo tenus. Alea belli
Ad votum cecidit. cecidit penultima tantùm
Ex Agilolfingis Soboles , ſtirps ultima reſtat,
Jam ſtirpis Pater, & Patriæ mox jura daturus
CAROLUS. Iſte ſuos ſibi victos denuò Bojos
Aſſeruit. Victa es: ſed & hanc tibi Boica ſtragem
Gratulor: in lucro eſt ævi fortuna ſequentis.
Nam non viciſſes toties, niſi victa fuiſſes
Hac vice. quippe tibi Magnos à *Cæſare Magno*
Non finitura ſerie promitto Nepotes,
Ut deinceps Aquilas Aquilis, fortésque creari
Fortibus (ut deſint ſexcenta exempla) vel unus
Maximus huic mundo, mundo Tibi charior ipſo
EMMANUEL, Natíque & longo ſanguine ducti
Carolides pro teſte forent. Huc ergo triumphans
Flecte oculos Cæſar: toties ſpectabilis Actor
In Martis ſcena, demum ſpectator & ipſe
Specta , quàm tua currantur (licèt ardua curri),
Fortiter à Bavaris veſtigia trita Monarchis,
Ut patres imitentur avos, Natíque patriſſent,
Quis ſit amor belli, quanto ſudore perennis
Palma laboretur, nec non propè tota natentur
Flumina, ſanguineo crudele undantia tractu
Ne tua perpetuo laus ſucceſſore careret.

Sed cur (præcipitis linguæ temerarius error!)
Cur te ſecurum , qui nondum tutus es, eſſe
Imprudens jubeo? nondum Rex Maxime, nondum
Bellorum finis. FACIENDO hucuſque fuiſti,
Poſthac Magnus eris PATIENDO, & magna ferendo.
A te ſæpè ſtetit Fortuna volubilis; axem

Jam

Jam vertit, jam præteritos ulciſcitur annos,
Jam caſum, & dentem invidiæ, tormentáque centum,
Imò ſuam Dea cæca rotam cum morte minatur.

Atqui Virtutis cos eſt per *acerba probari*,
Non flecti adverſis, ſed contrà audentiùs ire,
Dum quatitur, crebro robur ſolidatur ab Auſtro.
Stabat Roma, quoúſque ſtetit Carthago, Quiritum
Æmula; capta proin nequaquam mœnia vertat
Scipio, ſi ſapit; in Corio Bovis omnia pendent
Proſpera Romulidum, & prodeſt urbs Byrſa, quòd obſit.

Carole, non ſecùs adverſis, ac ignibus aurum
Exercende, para mentem præ marmore firmam.
Jam magna tibi parte viri, totóque LEONE
Rex, opus eſt, ut magna feras; ne pectore nutes,
Ne retrahas humeros, terræ, cælíque ruinam
Suſtentaturus totis cervicibus Atlas.
Te ſpectat tua poſteritas, laudabere, ſi ſtes,
Te ſpectat tuus EMMANUEL, *verúmque laborem*;
Virtutémque tuam vult diſcere, téque Magiſtro
Vult adverſa pati. Jam circus panditur ingens;
Mappam ſors mittit. procedunt funera: Nati
In flore extincti, (prò quanti in corde dolores,
Corde Patris!) ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus;
Immixti veniunt luctúsque, labórque, timórque;
Invida fraus, ſimulatus amor; tum deinde cavilli,
Quæque probris reprobant ſanctam mendacia vitam;
Hi tibi vincendi ſunt hoſtes, CAROLE, circum
Hunc tibi ſors aperit; poſtquam te vidit aperto
Marte triumphantem ſemper, privata repoſcit
Prælia nunc; ſunt hæ magnæ, mihi credito, pugnæ.
Non equidem *Deſiderius* jam provocat iram
Impare Marte tuam, nullus Wedekindus ad arma
Incitat, Albigenis fretus; jam nullus Hunoldus

Bella movet contrà, nulla eſt Germania, nulla
Gallia, quam ſubigas. Jam nuper Transfuga mundi
Taſſilo detumuit; jam ſceptri incurius, intùs
Secum habitat, cæli plenus, cellæque, ſuíque
Solicitus cuſtos; ſumpſit pro torque cucullum,
Ut deinceps privatum hominem componeret ExRex.

Peſtis nulla forìs, cave monſtra domeſtica, poſtquam
Per tot luſtra tibi fuit hactenus aura ſecunda,
Mox aliquo turbanda Noto: Nothus evocat atras
Ex Phlegetonte Deas, tempeſtatémque cruentam
Attonito Plutone ciet. quæ cauſa maniæ?
Quis furor, O Franci Proceres veſtrum impulit enſem?
Hoc decus Europæ (de quo jam litigat orbis,
Unde ſit, ínque ſuum civem ambitioſiùs optat)
Bojariæ caput uſque adeò venerabile, velle
Tollere de medio (ſi quo tamen ille fuiſſe
Dicitur in *Medio*, ſummum qui culmen honoris,
Virtutisque ſimul tenuit) quæ cauſa, Pipine,
Tantum odiſſe Patrem? num tantùm odiſſe? necem ipſam
Sacrilega tentare manu? proh! dedecus aulæ!
O ſcelus! O furias! illi te tollere vitam
Qui dedit? uſque adeò tibi viluit ortus, ut auſum
Oedipodis ſuperes, non jam vulgarè ſceleſtus
Proditor, Herois tam Magni maxima noxa!

Pipinus Gibber, non ille, à quo deſcendunt Wirtelſpachij.

Pró Purus! pró Putus amor, pietásque paterna
Adversùs Natum, Nati delevit amorem
Adversùs Patrem. quid enim niſi forſan amorem
Ulturus, patrios inquirere cæpit in annos
Filius, in facinus jurans, quod Gallia plangat,
Boica deploret, ſtupeat Germania, Tellus
Nauſeet, ipſa tremat natura, ipſe horreat orcus?
Reginburga locus ſceleris, pro cæde patranda
Eligitur templum; nempe hoſtia ſpectat ad aram.

Ara

Ara placet ſceleri, quaſi non ſine Numine quodam
Hunc nimis enormen fureres, inſane, furorem.
Sed quid ad hæc Bojus fortunâ major utrâque?
Contraxítne animam? ſolio virtutis ab alto
Num ſe demiſit? num ſorti ceſſit iniquæ?
Non ita qui MAGNI; vel qui de ſtirpe creantur
Boiarica; non ſic CAROLUS; ſtetit ille; nec ulla
Aut ſcelerum timuit monſtra, inſidiáſque ſuorum.
Deſpexit furiale nefas, gladióque necandus,
Ipſum contemptum potuit contemnere victor,
Dignum ſe Magno, Bavaræque notabile genti
Credens eſſe decus, facere ardua, & ardua ferre,
Magna pati, & multis cum riſu ignoſcere poſſe.
Novit enim extemplò truculentos Carolus hoſtes
Evaſitque necem, non tam ſe vivere ſalvum
Gaviſus, tantam quàm poſſe remittere culpam.
Neu quid inexpertum furiata relinquat Erynnis,
Tota ferè Europa unanimes juravit in haſtas,
Ut peſſum cum Rege daret Noménque, Domúmque.
Immenſos populos furor imploravit, & omnes
Promisêre mori, modò Carolus enſe ſubactus
Diſceret ire minor, modò Regno, & denique vitâ
Exutus morderet humum, vel perderet exul
Omnia, tum demum fore lætum occumbere letho.
Imò quis id credat? vix quiſquam in murice vixit,
In quem plùs licuit, potuítve licere protervis
Dentibus invidiæ, nec enim fuit ullibi major
Materia, ut meliùs paſci Aulica poſſet Hyæna,
Maſtygum nutrix; nec ego petulantiùs unquam
Latratam memini, dum toto à fratre tumeſcit,
Nocturnis Phæben canibus: Te Carole multùm
Latravêre canes: at tu nihilominùs iſtis
Inconcuſſe malis, ceu rupes alta, rigebas

Saxeus, & gemino pede ſtans, ſtaturus eodem,
Sive pluat cælum jaculis, ſeu grandinet haſtis,
Seu ningat gladiis, ſeu te circumtonet imber
Ferreus, in caſus ultrò caput obvius offers,
Dira pati, duriſque premi, ratus eſſe Leonis.

Tanti erat, ut poſſes BAVARÆ præludere Stirpi,
Ut poſſes Dux eſſe *Ducum*, qui maxima *Magni*
Ferrent, atque *agerent*, *fortuna in utraque* potentes.





GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES A CAROLO MAGNO
USQUE AD OTHONEM MAGNUM WITTELSPACHIUM

XI.

CAROLVS MAGNVS
PRIMUS IMPERATOR GERMANORUM, REX FRANCIÆ, ITALIÆ, BOIARIÆ, PIPINI FILIUS.



Induperatores inter Tu Carole Magnos
Das Magno Boiis ſtemmate, Magne, Duces,
Portio Celtarum Boji mutare priores
Nobiliùs Dominos ſcilicet haud poterant.

Gevoldus in Genealog. Duc. Bojar.

GLoriare Bavaria, tuos inter Conſanguineos Magnum illum & Divis adſcriptum habes Carolum. A tanto & per omnes terras celebratiſſimo Viro tuorum habes Principum Sanguinem Nobiliſſimum; imò à Nobiliſſimo tuorum Principum Sanguine ſuum traxit Carolus Magnus, Imperator Maximus. Neque enim eſt, quòd in tanto Scriptorum conſenſu unam unius vel alterius, errorem dicam, an ignorantiam magni facias. Et quàm exile demum hoc eſt dubii argumentum

Author. Geneal. Lazius. Reuſn. Bucelin. in Germ. Heñing. Gloria Specul. Auſtr.

Gevoldus in Geneal. Duc. Bavar. post Gevoldum plurimi Calm. in Tab. Genealog.

tum? natale ſolum & locum, quo Carolus ſit natus, ignorat aliquis: ergo totum CAROLINUM Stemma reſcindendum? dubius Nativitatis locus num dubios quoque parentes reddet? Non Boicorum ſolùm & Francorum, ſed exterorum quoque ſcriptorum teſtimonio Parentes & avi Carolo ji fuêre, quos hactenus dedimus; ſunt & illi poſteri, qui poſito à nobis Ordine ſequentur; id, quod agnoſcent omnes, qui non errabunt in Bernardo, aut Arnulpho, de quibus infrà agemus dilucidè. Maneat ergo Magnus hic Carolus in Bojorum gloria, & Heroico ſtemmati decus addat, decus ab eodem accipiat. Neque exiſtimet quisquam, Carolum eâ duntaxat ratione tam Magnum extitiſſe, quòd Fortunam habuerit in innumeris, maximiſque Victoriis, inoffenſo felicitatis curſu, ſuo ſemper lateri adhærentem; non cum hoſtibus ſolùm, ſed cum ipſa Fortuna ei perpetuò belligerandum fuit. Hæc ex bellis bella ſerebat, Cadméa armorum Segete regiones implebat, ut Carolum ab inſtituto glorioſæ virtutis itinere deterreret; cùm unum hîc eſſet extinctum ſeditionis incendium, novas alibi flammas ſuſcitabat. Fidiſſimi, & intimi quique ab eadem in Caroli perniciem & interitum ſubornati ſunt. Quoties pervicax Saxonia ejus jugum excuſſit, & triumphantem alibi Carolum, ſuæque felicitatis ſigna explicantem, contrahere vela coëgit, & ad tuenda propria reverti? quantum moleſtiæ Taſſilo Boius, nomen vel ipſis tum ſubditis exoſum, quantum adverſitatis Rex Longobardorum Dionyſius ſuâ perfidiâ procreârunt? Et quæ hæc, quàm affligens dolorum materies, ab intimis, ab amicis, à clientibus, ab jis, quos ſummis ornavit beneficiis, ab ipſa denique prole ſua, clandeſtinis & fatalibus conſiliis depoſci ad necem? non una in Caroli mortem facta eſt conjuratio ab jis ipſis, quibus vitam dederat, aut vitæ dignitatem. Clariora ſunt hæc in omnium Authorum voluminibus, quàm ut ſingillatim hîc debeant percenſeri. At verò ſuper has inimicæ ſortis injurias, poſitóſque laqueos, excelſo invictóque animo incedere, ſua virtute ex his omnibus eluctari, hoc ſolùm eſt, quod Magnum Animum, & Magni Nomine dignum probat virum. Quòd ſi & iſtud accedat, quod in Carolo ſummopere laudandum, ut malefacta aliorum novis à Principe rependantur beneficiis, ut non vindictæ, ſed juſtitiæ clementiæque ſit locus, eum ego non in Magnorum duntaxat, ſed cœleſtium virorum numero habendum puto. Iniquas adversùm ſe molitiones ſuâ Carolus prudentiâ ſic diſſipavit, ut Charitatis Chriſtianæ liberalitas certaverit cum injuriis Fortunæ; tantâ res adverſas fregit conſtantiâ, ut Victoria de ſe ipſo reportata major ſemper fuerit, quàm de hoſtibus; temperantiâ tantâ ſeipſum triumphavit, ut in ſe priùs Imperium exerceret, quàm in ſuos, & Fortunæ, & Regnorum, & ſui Dominus undequáque præclariſſimus. Et hæ ſunt, quæ Divi Nomen Sanctorúmque gloriam ei comparârunt, virtutes animi plurimæ, maximæque, quæ non tantùm in Fortuna abblandiente Magnum & glorioſum, ſed in omnibus mundi hujus periculis, quæ ſemper ſunt plurima, VICTOREM, præſtiterunt, atque hac ſtraverunt ratione verum ad ſuperos iter. Alphabethum ipſe, quod ſymbolum ejus præfert, texuit meris ex Baſilicis, quas pro litterarum numero magnificas ædificavit; alphabethum aliud ſanctum magis atque Baſilicum texere nos poſſemus jis ex virtutibus, quæ ſolæ hominem coram Deo efficiunt MAGNUM. Hoc alphabehto omnigenarum nempe virtutum, quæ nonniſi ab adverſis difficilibúsque rebus exſurgunt, Magni agnomen verè promeruit Carolus, & in ſuos deinde poſteros cum Heroicarum virtutum hæreditate transfudit, quæ primùm in Pipino Filio, poſteà in cæteris ad hunc usque diem fuit conſervata, perennátque in MAXIMILIANO. Geſtis

De Vita Caroli M. Builier p. 1 Hiſt. Franc. P. Rader. volum. 1 in Bav. S. Jo. Bucel. fol. 95. aliique plurimi.

ftis denique rebus his ampliſſimis, totam per Europam inſitis palmis, domito orbe, ſubjugatâ Fortunâ, ſeipſo ſæpiùs triumphato, Trajano melior, Auguſto felicior, Alexandro Major deſiit vivere in terris, ut majorem in cœlis Boico nomini faceret gloriam, annum agens ætatis ſuæ ſeptuageſimum ſecundum, Regni Francici quadrageſimum ſeptimum, aſſertæ ſibi Bavariæ duodecimum, Imperii Romani decimum quartum, ſalutis à Chriſto partæ octingenteſimum decimum quartum.

Defunct. DCCCXIV

Magnus erat Bello, Magnus pietate fidéque,
Hinc virtute ſuâ nomina digna gerit.
Scit Deſiderius, ſcit Saxo, Sclavus & Hunnus
Quæque dedit victas gens Saracena manus.

Reuſnerus.

XII.
PIPINUS
CAROLI MAGNI FILIUS, FRANCORUM REX.



Oenotriæ populos cæpi, terráſque regendas,
Ingenium Patris, nomen adeptus avi.

Reuſnerus.

Reufn. fol. 189.
Gevold. in histor. Duc. Bav.
Buffier. Hist. Fr. p. 1. lib. 5.
Sigon. de Regno Ital lib. 4. fol. 91.
Paulus Wanefr. in fupplem. Annal. Franc.

NOn degeneres progenerant Aquilæ columbas. Magni Parentis Caroli, Magnorúmque avorum vivum monimentum fuit PIPINUS. Majorum gloriam traxit in naturam, & quos hæreditate ac dignitate fequebatur, eos, fi per ætatem licuiffet, virtute fuiffet affecutus & gloria. Erat Pipinus juvenis generofus, atque cæteros inter filios Martiam Patris indolem maximè referebat. Itaque ceu junior Aquila à parente propediem educebatur ad alta, atque in hoc inftruebatur, ut fuprà nubes omnium adverfitatum evectus, & foli intentus gloriæ, nullis terreretur nimbis, fuprà armorum, & hoftium qualiumcunque procellas victor femper difceret evolare. Non poterat Carolus affiduis Saxoniæ atque Hifpaniæ bellis implicitus tam facilè Italiam per feipfum tueri, atque in officio retinere; Regem ergo filium deftinat Pipinum, qui domefticos externósque hoftes præfentium armorum terrore præfens comprimeret. Unctus in hanc Dignitatem ac Romæ confecratus eft ab Hadriano Pontifice Pipinus, ipfis Parentibus, Carolo & Hildegarde Romam eapropter venientibus, approbatione ac lætitia totius Italiæ, Anno Chrifti DCCLXXXI. Mox velut alter Romulus Rempublicam foris protexit gladio; domi pietate Numa gubernavit; cum fubditis univerfis & fingulis fide officióque certavit, Italiam totam tum publicis operibus ad cultum civitatum inftruxit, tum eandem legibus ad otii fructum falutaribus temperavit. Ingruentibus deinde bellis, æquè ad arma, ac pacem compofitus, æquè fortis in otio, ac non remiffus in labore, primò attonuit Saracenos, ínque fugam compulit, tum deinde Rodelindum Beneventanum fubegit, Venetos domuit, civitates plurimas diuturna oppugnatione fatigatas adduxit in poteftatem, & tam multa paffim erexit trophæa, ut fi diutiùs vita fuppeditâffet, virtutis magnitudine patriam avitámque gloriam facilè fuiffet adæquaturus. Defperavit Fortuna ullam fe poffe de Pipino, ficut de Patre Carolo non potuit, obtinere victoriam, nec profperis eum nec adverfis frangendum hactenus experta; itaque ne victa femper & turpiter jaceret, mortem exoravit, ut falce fua demeteret ipfa Heroëm, quem Fortuna fternere non poterat. Reducem ergo à captis Venetiis Pipinum mors adorta, Mediolani in medio flore ætatis & victoriæ plaufu extinxit. Cadaver Veronam delatum, fepultum eft in Monafterio S. Zenonis, quod Rex ipfe conftruxerat, atque optimis poffeffionibus exornârat. Ex Adelheide conjuge filias quidem aliquas, fed unum reliquit Filium Bernardum, quem Carolus Pater illo adhuc tempore fuperftes in ejus locum Regno Italiæ præfecit.

Adelsreiter in An. Boic. p. 1. l. 9.
Eginh. in Vita Car M.
Henninges.
Anno DCCCXIV.

XIII. BER-

XIII.

BERNARDVS
PIPINI ITALIÆ REGIS FILIUS, CAROLI M. NEPOS, ITALIÆ ET BOIARIÆ REX.



Itala defunćto ceſſit mihi terra Parente,
Felix, nî Regni me tenuiſſet amor.

Reuſnerus.

INter fortiſſimos ſimul, & feliciſſimos Boici Sanguinis Heroës erat BERNARDUS; ipſa invidit felicitati Fortuna, & ut FORTEM ſterneret, maximo illum adorta impetu, in ruinam, uti putabat, certiſſimam præcipitavit; abblandita initio eſt, impoſuit Coronam Italiæ, addidit Bavariam, arma proſperavit, Principum & ſubditorum amorem conciliavit. Ingentem de Bernardo æſtimationem concepit avus ipſe Carolus, eúmque magnificis nominibus compellavit, Ludovicus Caroli M. Filius, jamque Imperator evocatum ad ſe ex Italia maximis muneribus eſt proſecutus; Leo Pontifex ejus tutelam imploravit, & obtentam ſingulariter prædicavit; námque Bernardus Romam veniens Eccleſiam eo tempore in factiones ſciſſam gravitérque afflictam, atque ſummum orbis Antiſtitem prudentiſſimis ſuis conſiliis ita ſervavit, ut licèt ipſemet morbo corporis detineretur, Bono publico medicinam & ſalutem attulerit præſentiſſimam.

Adelzreit. in Annal. Boic. p. 1. l. 9. f. 214.

Brunner. in Annal. p. 2. lib. 6. fol. 63 & fol. 65. item in Excubiis

 Pri-

Gevold. in Genealog. Duc. Boj.

Welser. rerum Boic. 6.

Bussier. in Hist. Franc. p. 1. lib. 5. fol. 331.

Sigón. de Regn Italiæ l. 4.

Primores Franciæ, Præsulésque Italiæ Bernardum pœnè adorârunt. Sed non diu tenuit hæc felicitas. Ludovicus Imperator Lothario Filiorum uno in consortium Imperii sui assumpto, Bavariam Ludovico alteri designârat. Utrumque haud modicè pupugit Bernardum, reputantem serviendum non modò Patruo, sola voluntate Caroli, non ætate, non meritis eò provecto, sed etiam patrueli, tantùm non puero; sibi usu rerum, aliisque dotibus plurimùm impari: deinde eripi Bavariam, & dari Ludovico, illius Ludovici Filio, qui Pipino Patri suo ætate, atque adeò & jure concederet. Odii & ambitionis scintillam deprehenderunt continuò qui eum circumstabant Proceres, Italiæ Franciæque viri maximi, ignémque suis foverunt consiliis, partim quòd aliquos privatæ in Ludovicum inimicitiæ armarent, alios vel ambitiosa spes ad prœmia bellorum, aut ipsa in bella furor raperet. Sacri quoque Antistites, qui bellum Bernardo persuaserunt, fuère, Anselmus Mediolanensis, Wolfredus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis. His itaque stimulis incitatus claustra Italiæ præsidiis, urbes munitionibus firmat, conjurationem adversus Ludovicum instruit, pertractis in societatem plurimis Italiæ civitatibus, & multis etiam ex Ludovici familiaribus, tanta suorum fide atque silentio, ut conjuratio instructa, collecti exercitus, insessa alpium claustra, summúmque Imperium pœnè occupatum, uno famæ rumore Ludovicum perculerint; qui tamen celerrimè contractis è Germania, Galliáque copiis, maximísque itineribus in Italiam contendens, & exitum consiliorum adhuc prævertit, & suâ præsentiâ, suorúmque multitudine, Bernardi fœderatis pluribus, arma, animos, atque consilia eripuit. Ubi se circumspexit Bernardus, vidit se à suis, & ab ipsa Fortuna destitutum, stare in præcipiti, & jam jam in casum propendere. Itaque consilii pœnitens, arma deponit, & appellatâ Fratris Imperatoris Clementiâ Cabillonem ad eum supplex venit, humi prostratus, confiténsque paratæ conjurationis flagitium, ut hac ratione miserationem sui augeret, & clementiam obtineret. Magna sanè, Magni animi demissio! res præclara, & in regibus tantò magis stupenda, quantò est rarior; quippe infrequentior est Princeps pœnitens, quàm peccans. Qui fine tam bono, tam magna sui cum Victoria procidit in pedes, surrexit excelsior factus per virtutem animi, quàm fieri potuisset vi armorum; quamquam eum ulteriùs in solio stare non permisit Ludovicus, cæteroquin & re, & Nomine Pius, hîc tamen à seipso diversus. Nam Bernardum instigantibus Imperii Proceribus, oculorum usu jussit privari; secuta est post triduum mors, quæ vitæ ipsius lumen extinxit. Inconsultam hanc severitatem deploravit posteà Ludovicus, & publicâ etiam pœnitentiâ dispunxit; sed Bernardus per ipsam cæcitatem effossósque oculos vidit clariùs, quàm cæca fuerit Fortuna, in qua hactenus confidebat; vidit CÆCUS, & CÆCAM AGNOVIT; triduo illo, quo supervixit, in omnem anteactam vitam oculos animi reflexit, & accuratam secum ipso rationem injit; tum placida defunctus est morte, & Mediolani in æde S. Ambrosii sepultus, in qua hodie adhuc ejus extat Epitaphium: *Bernardus Civilitate Mirabilis, cæterisque piis virtutibus inclytus Rex hîc requiescit. Regnavit Annos IV. Menses V. objit XV. Kalend. Maji. Indictione XI. Filius piæ Memoriæ Pipni.* Huic Epitaphio nos aliud, & breve addimus Elogium: Bernardus nunquam plus vidit, quàm quando fuit Cæcus; Nam cæcus, Fortunam vidit esse cæcam, quod rari vident. Sortem suam cæcus deploravit, oculos mentis in cœlum levavit, & sic Fortunam atque humana omnia triumphavit.

Adelmus.

Annal. Franc.


Author Vitæ Ludov. Pii coæqu.

Nithard. l. 1. f. 435.

Circa A. Christi DCCCXVIII.

XIV. Pl-

XIV.
PIPINUS JUNIOR
BERNARDI FILIUS.



Strenuus, acer, & invictis Fortissimus armis,
Facta quidem Regis Sanguine Digna dedi.

VT ambiguitas nostræ absit historiæ, distinguamus oportet inter plures, qui sub Pipini nomine illa majorum ætate claruerunt. Sex potissimùm Pipini sunt celebres. Primus erat Caroli Martelli Pater; Secundus ejusdem Martelli Filius, Francorum Rex & Caroli Magni Pater; tertius ipsius Caroli Magni Filius, & Rex Italiæ; atque hi omnes rectâ à se invicem Lineâ, ut superiores commonstrant paginæ, descenderunt. Jam & alius erat Pipinus, Ludovici Pii Imp. Filius, Rex Aquitanorum, qui suo nomine Pipinum alium, sed infelicem Orbi dedit Filium; atque hic Gallicis Scriptoribus Junioris Pipini nomine usurpatur. Verùm ab hoc longè diversus est Pipinus noster, Junior & ipse dictus, sed Bernardi Regis Italiæ, & non Pipini Filius. Etiam hic Pipinus infelix putatur, & in utramque Boni malíque sortem á quibusdam ita adscribitur, ut in speculum humani ludibrii, jactationísque mortalium possit objici. Exauctorati quippe Bernardi Filius, paternis dicitur non solùm à Ludovico Imperatore exutus ditionibus, sed etiam à Lothario successore unà cum tribus Filiis, Bernardo, Pipino & Heriberto è Regio Nomine in Comitum Ordinem fuisse redactus, jussúsque peregrino in solo novam patriam investigare. Verùm neque hæc, si vera

Bucelin. p.1. Ger. fol. 38. item Bucelin. p.2. in historia Agilolfingia iterum Seriem totā hanc à Carolo M. habet.

ra

Nith. lib. 2. de Diſſenſ. Fil. Lud. Pii f.449. Gevold. Auguſt. Kôlner. M. Wag. Heñ.ng. Nicol. Cilner.

ra ſunt, Vir Fortis in ignominiam computat, & in iſta Fortunæ illudentis contumelia non deſunt, quæ hunc Pipinum Juniorem, inter Majores, & præſtantiores Heroes nomen locúmque faciant promereri. Certè Nithardus, Caroli Magni ex Sorore aut Filia Nepos, qui bellis eo tempore præſens ipſe interfuit, Author fide digniſſimus, tum dignitate originis, tum teſtimonio rerum, quas ſcripſit teſtis oculatus, huic Pipino Bernardi Regis Filio ſua in hiſtoria magnam attribuit laudem. Libri alii invictiſſimum eum compellant, & Scriptores Bavari, qui de Pipino agunt, glorioſa eum in bellis morte referunt occubuiſſe. Detur igitur hoc, quòd Pipinus vel ſuâ, vel parentis Bernardi culpâ, aut potiùs Patruorum ſuorum, pœnè dicam, crudelitate in humiliorem ſtatum conditionémque ſit detruſus, & Comes duntaxat Lengenfeldenſis audierit, STAT tamen ADHUC Heroi iſti ſua laus & gloria, & Regio Bojorum Sanguini à rerum hac viciſſitudine æquo animo tolerata, novum accreſcit fortitudinis argumentum. In Coloſſi diffracti Symbolo Pipinus repræſentatur; Superiore quamvis parte in fruſta abeunte, ſuæ adhuc baſi firmiter inſiſtunt pedes. Ita Pipinus poſt infelicem Patris caſum, qui membra traxit plurima, nihil ipſe à ſua virtute defecit; quódque defuit externo ſplendori dignitatis, animi robore compenſavit. Boicum verò ſtemma, hac iniquæ ſortis agitatione non tantùm labefactatum nihil fuit, ſed his adverſitatum flabris tantò magis confirmatum, ut arbores ventis impulſæ altiores radices agunt.

XV.
BERNARDUS
PIPINI JUNIORIS FILIUS
COMES LENGENFELDENSIS.



Me quoque prognatum magni de ſtemmate Regis
Inter honoratos fama recenſet avos.

CAligo hìc aliqua noſtræ ſe Hiſtoriæ, quin & gloriæ Boicæ videtur intendere; deficiunt ſcriptores, qui Sanguinis Bavarici ſeriem celebrium factorum narratione pertexant, atque ab hoc Bernardo Carolinum Stemma ſuo abrumpunt ſilentio. Utrique huic obſcuritati nos lucis aliquid afferemus. Quis eſt, qui ſoli maculam, & ejus lucidiſſimo ſplendori, tenebrarum ignominiam auſit attribuere, quòd ſub ipſum aliquando meridiem viderit ejusdem radios nobis abſcondi, & Eclypſin pati? Non ſolis hic defectus eſt; manet ille ſuo in ſplendore fulgentiſſimus; quæ verò tenebras orbi inducit, eſt interponens ſe Luna, & nigro corpore ſolem nobis abſcondens. Quòd ſi *His quoque* tenebris *Subjectus* eſt Sol, absque ſui tamen ſplendoris detrimento, quid miramur Bavarico ſtemmati non à ſe, ac ſuorum defectu Siderum, ſed à ſocordia ſcriptorum, vel temporum iniquitate brevem hìc Eclypſin contigiſſe? Regum etiam plurima, præclariſſimaque facta nos latent, partim incuriâ, partim oblivione hominum, quàm multò proclivius, præteriiſſe Hiſtoricos, aut curſim attigiſſe eum, qui in ſublimi munerum dignitate tum conſpicuus non fuit? Bernardo Patre exoculato lumen etiam poſteris aliquamdiu erat ademptum, Dignitatis ſaltem & honoris publici. Agebant ſub Comitum nomine vitam tres Fratres, Bernardus, Pipinus, & Heribertus, quos Junior Pipinus ediderat; & vitam exiguo proventu tolerabant. Regio Nariſcorum, in qua Lengenfeldenſis Ditio exulibus attributa, barbara tum erat, & cultorum, ne dicam ſcriptorum pœnè expers, ut adeò mirum nihil ſit, non extitiſſe qui de ipſis ſcriberent, quamvis ſcribenda daret plurima Regius eorum Sanguis, ab hoc infortunio agitatus, ſed ad ſanitatem. At nomina ſaltem eorum apud Geneagraphos, & illos quidem fide digniſſimos paſſim reperiuntur, quod ſatis eſt ad diſpellendas tenebras jis, qui Bavaricæ Domui Carolinam originem negant. Poſt multa ſanè eruditorum virorum inſpecta volumina, antiqua & nova, viſum non eſt, cur fides illa, quæ aliis antiquitatibus ſæpè non ita teſtatis adhibetur, non his etiam ſit tribuenda. Recenſiti hactenus progenitores ſeriem habent nullo modo controverſam. Pipinus Junior ubique nominatur Bernardi Italiæ Regis Filius; Pipini Junioris Filii, ſunt Bernardus, Pipinus, & Heribertus. Hos quoque tabulæ probant. Quòd jam & iſte Bernardus Pipini Junioris Filius Arnulphum genuerit, de quo poſteà, negant aliqui; alii ignorant: ignorantibus facilè ignoſco, ſed ut eorum ignorantia in tali antiquitatis caligine ſeriem avorum abrumpere putetur, cùm lux aliunde pateſcat, ferendum non puto. Eſt nonnemo inter recentiores, qui poſt viginti annorum laborem indefeſſum, quem Geneagraphiæ ſe impendiſſe profitetur, ut Domui Habſpurgicæ ſoli vendicet Carolum M. hunc etiam Domûs Bavaricæ Protoparentem in cæteris admittit omnibus, in una Bernardi hujus generatione ſubſiſtit, ſed jis ex capitibus, quæ rem tot aliorum ſententiis probatam non evertunt; rationes ejus obiter refello. Bernardum Pipini Regis Filium ait fuiſſe Nothum, non probat; id certè Buſſier diligentiſſimus rerum Gallicarum Scriptor non diſſimulâſſet. *At inquit, Bernardi Filium Pipinum habent alii Antiquiores Authorem Comitum Viromanduorum in Gallia Belgica, non autem Comitum Lengenfeldenſium in Bavaria.* Eſt hæc quorundam opinio, nec noſtram evertit tamen: potuit apud Veromanduos aliquamdiu habitâſſe Bernardus, inde in Noricum tranſire; erant enim tum

Gevold. in Genealog. Duc Boj.

Bucelin. in Germ. fol. 38. item p. 2. in Hist. Agilolf. fol. 382.

Adelsreit Ann. Boic p. 1. l. 13. num. 10. fol. 322.

Brunn. in Ann. p. 2. lib. 6. fol. 70.

Hening. & alii.

Schönleben vera origo à Car. M. dissert. Polem. Labaci A. 1680.

temporis Galliæ & Bavariæ Regna eodem ſub capite. Quid dicant alii, non ignorant ſcriptores domeſtici, ſolida tamen ratione non perſuadentur, ut abeant in contrarium. Id, quod de Luitpaldo dubium movet, infrà diſcutietur. Denique Carolinam ſtirpem in maſculina ſerie putat exaruiſſe, ſed quæ eam in rem momenta affert p. 183. Carolinum genus in Regnis perpetua ſerie continuandis, non in propagando Sanguine oſtendunt defeciſſe. Permittat igitur Auctor hic perquàm accuratus, ut Auſtriacus Bavaricúsque Sanguis ab uno fonte profluat, quandoquidem in eundem jam ſæpè rivum ſe ad totius orbis gloriam & ſolatium commiſcuit. Quis verò in re Genealogica majus obtinuit nomen, quàm Elias Reuſnerus, qui in ſuo Baſilico ſplendidam hanc proponit Epigraphen: STIRPS CAROLINA, QUÆ EX VETUSTISSIMIS BOJARIÆ REGULIS ORTA STEMMA PRODUXIT ILLUSTRE PRIMORUM IMPP. GERMAN. REGUM FRANCIÆ, ITALIÆ, BAVARIÆ, A QUIBUS POST VARIAS FORTUNÆ VICISSITUDINES PROGNATI PRINCIPES PALATINI AD RHENUM, DUCES UTRIUSQUE BAVARIÆ, MARCHIONES AUSTRIÆ, &c. &c. Quis in rebus his verſatus magis, quàm Bucelinus Stemmato- graphus Germaniæ celeberrimus, qui poſtquàm ſtemma Bojo- Carolinum una facie diſtinctè exhibuit, ad dubium illud de Luitpaldo hæc ſubjicit: *Luitpaldum verò à Carolo Magno ortum, non modò domeſticis Bojorum Annalibus, ſed & pluribus Ludovici IV. Diplomatis meritò credimus; ut de ulteriore porrò deductione ſive deductionis probatione non laboremus.* Quis Gevoldo Bavariæ tabularium penitiùs excuſſit? qui ſanè orbi noluiſſet hunc fucum facere, ut ſibi pareret adulatoris infamiam, niſi ſuam potuiſſet Domum ſolidis inædificare fundamentis. Omitto alios, qui magno agmine huc poſſent adduci; ſufficient ii, quos à latere hactenus appoſuimus. Itaque ex his etiam tenebris emergat Bavaria, & lucidiſſimos ſtemmatis ſui radios quaquaversùm in orbem diffundere jam ulteriùs pergat. Gratiorem nobis ſolem exhibet reductum nigræ Matris pallium; Cœli quoque Boici Soles, poſt brevem Eclypſin ſeſe oſtendent clariores. Poſt Bernardum hunc Comitem Lengenfeldenſem ſequentur iterum Duces, ſequentur & Reges; atque Bernardus ipſe ſuâ licèt involutus Eclypſi ſplendorem ſolis & nomen Herois non amiſit.

Reuſner. in Baſil.

XVI. AR-



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES A CAROLO MAGNO
USQUE AD OTHONEM MAGNUM WITTELSPACHIUM

XVI.

ARNULPHUS, *SEU* ARNOLDUS,

COMES LENGENFELDENSIS, BERNARDI FILIUS, DUX CREATUS *AB* IMPERATORE ARNULPHO.



Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
Feci multa quidem fortia, plura tuli.

ENitendum est porrò, ut historiæ nostræ veritas, omni fuligine detersa in lucem prodeat. Arnulphum hunc non Bernardi Superioris Filium, sed spuriam Arnulphi Imperatoris fuisse prolem nonnulli scriptores asserunt, sed errore palpabili. Arnulphus enim Imperator Carolomanni Filius, & Ludovici Germanici Nepos ante annum octingentesimum sexagesimum primum in hunc mundum editus non est,

Palatius de Cæsar. in Aquil. Sax. de S. Henrico fol. 10.

Ex Rad. in Bav. S.

Piſtor. in M. S. refellit ex inſtituto.

eſt, ut certa habet Chronologia. Si Arnulphus tum nondum editus, quando ergo Arnulphum hunc cognominem, & ſuum genuit Filium? qui poſt triginta annos, nimirum Anno octingenteſimo nonageſimo primo, poſt multa alia celeberrima facta, integri jam exercitûs Dux ab Imperatore Arnulpho conſtitutus, & famæ ingentis Heros, ut eum compellant annales, contra Nortmannos decertans glorioſè occubuit. Ergo Arnulphus Imperator quindecim annorum puer, jam pater fuit Arnulphi Ducis, & tempore eodem Arnulphus Dux quindecim pariter annorum adoleſcens totius fuit exercitûs Imperator, tanta jam cum nominis celebritate? præpoſtera hæc ſunt, & tamen ex Adverſariorum dictis conſectanea. Repetantur annales, computentur tempora, & veritas eluceſcet. Fuit igitur Arnulphus noſter non Arnulphi Imperatoris, ſed Bernardi Filius (ut perhibent non pauci) præfectus militum, agnatus Sanguini Carolino, ob facinora egregia in Ducum Ordinem à priore Comitum Lengenfeldenſium ſtatu aſſumptus. Patet idipſum ex Filio Luitpaldo, quem hic Arnulphus genuit, quémque Ludovicus Arnulphi Imperatoris Filius DILECTUM SUUM PROPINGUUM publicis tabulis appellavit. Si Propinguus Ludovici à Caroli Sanguine etiamnum deſcendentis, neque propinguitatem hanc habuit ex Arnulpho ut Patre, quemadmodum fieri non potuit, ergo ex Sanguine Bernardi; non enim alia propagatio liberorum Caroli Magni jam erat ſuperſtes; meminerunt quidem alterius Caroli, qui Ludovici Pii ex Pipino Nepos in Bavariam profugiſſe dicitur; ſed hic aſſumpto ſacro habitu vitam egit Cœlibem, & Monaſticam; reſtat igitur ut ex Bernardo Arnulphum, ex Arnulpho Luitpaldum dicamus eſſe progenitum. Habemus hoc modo in Arnulpho Sanguinem Caroli Magni, habemus & Sanguinem Herois inclyti, qualem ſe præbuit variis in bellis, oblitteratam nonnihil majorum ſuorum gloriam virtute reſtaurans nova. Nam ut Feldenſes annales referunt, Arnulphus hic, ſeu alio nomine Arnoldus, cùm armorum peritiâ ac felicitate magnum ſibi nomen comparâſſet, inter Bojariorum Principes adſcriptus eſt, Nortgoviæ ſeu Nariſcorum portione non modica attributa, & exercitûs pariter ac Bojariæ Dux appellatus; referunt alii in bello fortiſſimè pugnantem occubuiſſe circa Ann. Chr. 891. Ex ungue Leonem cognoſce. Qui fortes ducunt, fortibúsque imperant, Lepores non ſunt. Adverſa num tulerit, ne dubita. Symbolum aſpice, quod huic proprium Duci: Solem è nubibus emergentem, atque ipſis deinde nubibus videbis coronatum. Non coronatur, niſi qui certaverit. Certanti adverſarius occurrit in arena; ſine adverſario enim marcet virtus. Jacuit Arnulphi virtus ſepulta tenebris, nubibus involuta, in humilem depreſſa ſtatum; ſed diſſipavit has ignominiæ nebulas ſplendore factorum, & ab ipſis his adverſis emicuit clarior, ut adeò verum ſit, dant ipſa *Adverſa Coronam*, Virtutis nimirum & veræ fortitudinis.

Bucelin. p. 1. ut ſuprà. & p. 2. in Hiſt. Agilolf. fol. 832.

Adelsr. in Ann. Boic. l. priùs cit.

Idipſum Bucelin. p. 1. & p. 2. item Raderus in Henrico ſancto. vide infrà.

An. Fuld.

Rhegin. in cont. An. 891. Kelner M. S. Piſtorius in M. S. de Duc. Bav.

DCCCXCI, An. Chr.

XVII. LUIT-

XVII.

LVITPALDVS,
SEU
LEOPOLDVS
EX
COMITE LENGENFELDENSI
DUX NORIC. ET BAV. MARCH. AUSTRIÆ,
ARNULPHI FILIUS.



Fervida quid virtus, quid Mars meus egerit, Hunni
Quos Patria duxi de Regione, sciunt.
Ense meo factos calcavi Victor acervos,
Quà removet Rhætos, Vindelicósque Lycus.

Reusnerus.

LUitpaldus Arnulphi Filius, qui multiplici Nomine Luitpoldi, Leupoldi, Ludepaldi, Leopoldi tum in vetustissimis Diplomatis & libris, tum apud Recentiores historiographos Scriptus reperitur, indubitatus fuit Bojarici Sanguinis Auctor, & propagator; quòd verò & ipse Carolini sit stemmatis Ramus, si etiamnum dubitat, quem suprà adduxi, stem-

Gevold. in Gen. Gen. 6. Hund. in Metrop. Schönleben diss. Polem.

U

ſtemmato.graphus, Auſtriacæ Gloriæ Speculum Magnum inſpicere dignetur, in cujus libro ſecundo, capite primo, fol. 157. hæc verba reperiet ab idiomate Germano in latinum translata: *Arnolphi Imperatoris tempore, Anno octingenteſimo octogeſimo nono tragicam omninò ſcenam Ungari, in Pannonia ſuperiore, ſeu Auſtria Orientali adornârunt, cæde & incendiis adſitam Danubio Regionem infeſtantes, more tam barbaro, quàm Hunni olim, & nunc Scythæ aut Turcæ ſolent. Furentem ut comprimeret hoſtem Cæſar, Marchiæ Auſtriacæ præfecit Heroëm inclytum Leopoldum, Lengenfeldenſem ac Schyrenſem Comitem, ex Stemmate Caroli Magni Prognatum, & Palatinorum Rheni ac Ducum Bavariæ Patrem ac conditorem Digniſſimum, qui Barbaros multis victoriis attrivit, atque illa Regione ejecit.* Novum Carolini Sanguinis argumentum; novum Bavaricæ fortitudinis decus. Fortiſſimus enimverò Theſeus illius ſæculi fuit Luitpaldus, par Herculi, & Heroicorum factorum gloriâ neutiquam illi ſecundus, quem antiquitas Herculi ſocium, & æqualem adjungit; Arnulphus Imp. eum limitis Orientalis Marchionem, & Bavariæ Ducem jam appellaverat; fracta dein ætate ſua, & imperii mole in Filii Ludovici humeros translata Luitpaldum hunc adjunxit ſocium qui nutantem in adoleſcentulo & brevì caſuram avorum gloriam bellica ſua fortitudine ſuſtentaret. Et paulò poſt Arnulphi Patris mortem Ludovicus eſt expertus, quàm ſine hoc Theſeo valeret nihil. De Theſeo perhibet antiquitas, quòd tam multa memoratu digna geſſerit, ut inter plures Hercules nomen hoc & ipſe meruerit. Non inferiora de Luitpaldo recenſentur. Jam iterum Hungari, gens eo ævo multorum populorum exitio clara, in Auſtriam Bojariámque effuſi, paſſim barbaræ immanitatis exempla edebant. Nec Germaniam ſolùm, ſed creſcente cum victoriis cupiditate & audacia, orbis terrarum imperium aut certè prædam ac latrocinium animis deſtinabant. Hos veluti Semiferos Centauros Theſeus noſter aggreditur, ultra Danubium cum parva ſuorum manu repellit, & illata patriæ damna, magna eorum ſtrage fortiter felicitérque ulciſcitur. Cùm dein altero anno bellum idipſum recrudeſceret, reportavit Luitpaldus præter victoriam, ipſum Regis Barbari Chuſſolis caput; & pacem Patriæ dedit in quinquennium. Hæc omnia proſperè. Sed neque illi Theſeo, quem Poëtarum carmina celebrant, neque Noſtro adverſa unquam abfuit Fortuna, quacum inter cætera bella ſæpius rixaretur. Et ille quidem jam Senior pluribus rebus ad æternam memoriam feliciter geſtis, denique patriâ regnóque pulſus in Scyro inſula à Rege Lycomede fuit interfectus. Theſeus autem noſter ſub vitæ pariter finem infelix quidem, ſed glorioſum tamen ſuſtinuit fatum; cùm anno poſt nongenteſimum ſeptimo Ungarorum bella ceu Hydræ capita repullularent, placuit Deo victoriarum gloriam minùs proſpero eventu temperare. Cladem Boji ab Ungaris ingentem, & jacturam longè majorem in ipſo Luitpaldo occiſo acceperunt. Stans ille in acie, atque cum primis dimicans cecidit, dignus, qui non aliis, quàm victoriæ ulnis exciperetur. Bojaria omnis, & Ludovicus potiſſimùm Imperator velut præcisâ amiſſâque tutelari dextrâ ingemuêre. Et profectò imperium, quod Nobiliſſimi Ducis hujus conſiliis viribúſque innixum ſub duobus Imperatoribus Arnulpho & Ludovico inconcuſſum & firmum ſteterat, ſubducto eo non labare tantùm, ſed ruere cæpiſſet, niſi novum in Luitpaldi Filio Arnulpho columen obtinuiſſet. Reliquit ex Adelheide conjuge, Ottonis Saxoniæ Ducis Filia, & Henrici Regis

Brcelin. P. Germ. & p. 2. in hiſt. Agilolf. fol. 302.

Palat. de Cæſar. & Guil. Sax. in S. Henr. fol. 10. Ex Rad.

Specul. Glor. Auſt. l. 2. c. 1. f. 157.

Adels. reit. l. cit.

Reuſn. fol. 100.

Lipſius præfat. in Polior. ce Bav. Duces à Carolo Martello & Carolo M. deſcendere ſcribit citantur Author. plures à Gewoldo.

Brunner. in Excub. in Lud. 3. item in Annal. p. 2. lib. 7. f. 343. & fol. 261.

gis ſorore vulgò Aucupis dicti Binam ſobolem maſculam, Arnulphum & Berchtoldum, quorum primus in Bavariæ Ducatum ſucceſſit ſtatim; alter ab hujus morte, ſed non ſine turbis inde exortis, ut poſteà dicetur.

Anno CMVII.

XVIII.

ARNVLPHVS
COGNOMENTO MALUS, PRINCEPS BOJARIÆ, LUITPALDI FILIUS.



Strenuus in bello, prudens in pace; ſcit Oenus
Virtutes nervis non caruiſſe meas.

Reuſnerus.

GErmanum hunc, ſincerúmque fuiſſe Principem ex Symbolo patet. Eundem *Videri*, eundem & *eſſe*, talem dici *per orbem*, qualem quis interiùs, & ſinu fovet; idem præferre in fronte, quod in receſſu tegitur, Boni juſtique hominis nota ſemper fuit optima. Quid igitur cauſæ ſubeſt, cur Arnulphus inter Bonos Optimus, Mali cognomen à poſteris reportârit? rationem habe. Princeps erat Regio oriun-

Palatius de Cæſ. Aq. Sax. ut ſuprà. fol. 78.

oriundus ſtemmate, regia indole, & ſummis à natura dotibus exornatus; regere volebat non ſervire, Rex eſſe pro jure ſuo, non ſervus & juris alieni; Is nempe, qui *erat* naturâ, volebat *& videri*, ita ejus ſymbolum, & axioma. Id, quod Hiſtorici illi, qui ſtudio aliarum partium tenebantur, in malam interpretati partem, Arnulphum dixêre Malum; neque enim apud omnes eodem nomine vapulat; ab aliis inſigni laude, & encomiis maximis extollitur. Fidem dictis facient, quæ ſequuntur. Poſtquam Luitpaldus cæſus eſt ab Hungaris, Patri in præfectura limitanea Bojariæ ſuffectus eſt Arnulphus, Ludovico Rege vivo, volentéque; eodem verò defuncto totius Principatum Boicæ, incertum an expectato Conradi Imperatoris, qui poſteà ſucceſſit, judicio, ſuffragationéque, an privatis potiùs auſpiciis adiit; cúmque ſciret Arnulphus, ſe ſtirpi Caroli Magni vinculo Sanguinis innexum, Conradum verò ex alieno ſtemmate in Cæſaream dignitatem irrepſiſſe, tulit id indigniſſimè; nec videbatur ambitioni juſta deeſſe cauſa; Conradus enim conceſſas ſibi regni vires in æqualium, & Principum aliorum injurias exercebat, quíque Patris Patriæ perſonam debuiſſet aſſumere, vix bonum Dominum agebat; contrà Arnulphus & ſuffragatione virtutis & jure Sanguinis, & populi ſibi addicti amore ad altiorem gradum poterat adſpirare. Gravius tamen aliquid in Conradum non attentavit, quin potiùs avitos ſuos generoſóſque Spiritus adversùs communes Patriæ hoſtes, & pro Cæſare fortiter exerebat. Ungaros Rheni ripam legentes ipſe cum Ducibus Alemanniæ Nepotibus ſuis, anno ejus ſæculi tertio decimo ad internecionem delevit, triginta non ampliùs capitibus ad oſtentationem Victoriæ cædi ereptis. Spectatam inſigni Documento virtutem cùm remunerari debuiſſet, armis appetiit Conradus Germaniæ Rex, authoritatis ſuæ neſcio quem contemptum, & turbida Arnulphi conſilia in belli cauſam obtendens; nec acie modò cum illo eſt congreſſus, ſed etiam vulnus accepit. Fortunâ tamen Judice Arnulphus causâ cecidit, victúſque inſtituit fugam ad Hungaros, apud illos, quorum nuper copias conciderat, faciliùs aſylum reperturus, quàm apud Conradum, iratum & ſaucium, veniam ac ſalutem. Sed fuga hæc rerum & temporum imperitis anſam præbuit ſuſpicandi, excitos ab eo & ſolicitatos adversùs Germaniam fuiſſe Hungaros, cùm tamen & duobus illis annis, quibus cum tota Familia apud Hungaros fuit, & aliquot inſecutis nullæ Ungarorum in Germaniam excurſiones apud Hiſtoricos reperiantur. Diſſidium hoc, & exilium Conradi mors intra biennium finivit. Arnulpho in Patriam regreſſo, velut emergenti è nubilo ſideri ipſe exilii Squalor claritatem conciliavit, ut non effuſa duntaxat Bavarorum, ſed & Francorum Gratulatione exceptus, nec priſtinæ duntaxat Fortunæ inſignibus, ſed Coronâ ipsâ dignus ſit viſus. Nam Boji Germaniæ Regem optabant, cujus ipſi cunabula monſtrare apud ſe poſſent. Franci partim avito in Saxones odio, è quorum ſtirpe Henricus in Imperium ſucceſſerat, partim Carolini Sanguinis ſtudiò cognatum expetebant Arnulphum. Neque eoúsque animos ſubmiſerat Arnulphus, quin ad Regni nomen erigeretur. Advertit continuò Henricum vel cogitata Arnulphi defectio; exorientem ergo ſibi æmulum inter ambitionis infirma principia oppreſſurus Ratisbonam cum exercitu advolat, & obſidionis diuturnitate Arnolphi debilitat vires, ſe deinde ſuáque dedentem oblitteratâ offensâ amicum ſalutat. Et Henrici vincentis, & Arnulphi ſe dedentis moderationem admirabatur ætas illa; Noſtra in Arnulpho hoc Malo (ita mordaciter, ſed malè ab aliis dictus eſt) Virum inſigniter Bonum admiretur. Pacis, & quietis publicæ causâ in pulcherrimam amicitiæ concertationem eum deſcendiſſe intelligent ji, qui annales volvent. Pax dein

&

Bucel. in Germ. p. 1 item p. 2. in Hiſtor Agilf. fol. 382.

Bruñ in Excub.

Brunn. in Annal. p. 2. l. b. 7. fol. 381.

Adelzreiter in Annal. p. 1 l. 13. num. 18. f. 327. & n. 19.

Gevoldus in Geneal. Gen. 7.

Reuſn. fol. 200.

Anno CMXIII.

& concordia tenuit inter utrumque. Bohemico etiam bello ingruente circa annum CMXXX. Arnulphus suas cum Henrico copias sociavit, ut sinceræ fidei documentum daret; neque offensæ quidquam inter eos posteà intercessisse legitur. Novas, sed alterius belli faces non tam ambitio, quàm nova oblatæ coronæ occasio resuscitavit; siquidem Italiæ Proceres anno nongentesimo trigesimo secundo, Hugonis Regis sui fastidio ad Arnulphum venerant, petierántque, ut spe Regni quod in Germania frustrà ambiverat, in Italiam cum exercitu transcenderet. Iter ingresso Veronam usque omnia ad Votum fluxêre; ea urbs ultrò in potestatem venit, & patentibus portis hospitem cum plausu excepit. Postmodùm verò suis pœnè ad internecionem cæsis Arnulphus capto ex tristi præludio omine, noluit Fortunæ novam in se peccandi potestatem facere, & reliquum in patriam deportavit exercitum, ubi putare secum rationes diligenter & defervescente paulatim ambitionis æstu utilia speciosis & certa incertis anteferre, abjectâque prorsus repetendæ Italiæ curâ ordinare res domesticas aggressus est. Prima fuit cura cum læsa pietate, quæ inter bella non optimè accipitur, in gratiam redire; itaque coactis Dingolvingam Episcopis comitia celebravit; ubi facta damnorum æstimatione, quæ domicilia, possessionésque sacræ belli temporibus essent perpessæ, seipsum repetundarum damnavit, sententiâ Christianum & Optimum Principem clarè satis approbante; restituítque in integrum sacra domicilia, damna compensavit. Apparet modò, ex hac & reliqua Principis hujus vita, ex tam varia, alternantéque Fortuna, quam studiosè ex probatorum Authorum libris exscripsimus, magnâ planè injuriâ tam *Mali* stigmate Arnulphum fuisse insignitum. Quin potiùs e'ucescit, in utrâque cum Fortuna sui compotem, alterius favores aut admisisse, aut expetiisse prudenter, & rursus alterius sinistros ictus æquo animo excepisse, quo quid *melius* sit, in hac rerum humanarum proclivitate non reperio. Mors ejus incidit in annum nongentesimum trigesimum septimum, cujus cùm multa apud veteres Authores sit memoria, & fabulis diversissimis inspersa, Lectori sufficiat vel sola Brunneri manus, quæ omnes illos nævos sat eruditâ spongiâ dispungit. Ejus ossa Divus Emmeramus tuetur, cujus templum & Cœnobium vivens Arnulphus intra urbem Ratisbonam recepit, ipsámque Ratisbonam mœnibus cinxit. Ex uxore Gerbyrga, quæ sancti Conradi Constantiensis Episcopi erat Neptis, genuit Eberhardum, Arnoldum, Hermannum, ex quibus Arnoldus Stemma Boicum propagavit.

Brunn. in Annal. p. 2 lib 7. fol 433.
Adels. fol. 337.
Obijt Anno CMXXXVII.

XIX.

ARNOLPHUS,
SEU
ARNOLDUS,
FILIUS ARNULPHI MALI,
NEPOS LUITPALDI PRIMI,
PRINCEPS BOIARIÆ,
CURATOR ECCLESIÆ FRUXINENSIS.



Hunc Arnulphũ vocat Bucelin. progen. omnium Comit. Palat. & Bavar. p.2.f.382.

Fortiter ob Regnum dum dimico, cladibus aſper
Concido, prolapſo cæſus & ictus equo.

Reuſnerus.

Erat Schyrenſium primus, & Com Palat. Bavar.

Bucel. p. 1. f. 38.

ARnulphi mortem magni in Bojaria motus, triſtésque ſortis viciſſitudines ſunt conſecutæ; cùm enim Boicum Principatum Otto Cæſar Bertholdo Arnulphi Fratri ob ſpectatam ejus fidem commendâſſet, tres Filii Eberhardus, Arnulphus & Hermannus, eum morte Parentis, tanquam hæreditario jure ad ſe devolutum ut ſibi vindicarent, arma & auxilia undique conquiſiverunt. Bavaria ipſa in varias trahebatur partes. Eberhardus nomen titulúmque Principis non apud

ſuos

ſuos tantùm, ſed etiam exteros obtinuit, ita ut Summus Chriſtiani Orbis Pater, Pontifex Romanus, Leo, eum Bojariorum Ducem litteris publicis appellârit, & Gerardum Batavenſem Antiſtitem ejus tutelæ ac Patrocinio commendârit; Pro eodem titulo contendebant Fratres reliqui. Geminam itaque expeditionem adversùs eos Otho Cæſar ſuſcepit; & prioris quidem apparatus fuit irritus; nam primos impetus fratrum concordia vel ſuſtinuit, vel eluſit; ſed altera impreſſio nexum ſolvit, & Eberhardus in Cæſaris poteſtatem redactus, regnum exilio mutavit. Arnulphus & Hermannus tum quidem in gratiam Cæſaris viſi ſunt concedere, ſed paulò pòſt ſopita in Arnulpho flamma, denuò è cineribus ſurrexit. Gravi Bello diſtinebatur Otto, quod ei Filius Lupoldus, & Gener Conradus cum Moguntino Antiſtite intenderant; Arnulpho itaque nuper in fidem recepto ſummam rerum in Bojaria concredit, Moguntiam abit ipſe, & conjuratos obſidet. Ibi Lupoldus Ottonis Filius magnam celeriter Bavarorum militum contrahit manum, & Moguntiâ de nocte erumpens, quantis potuit itineribus in Bavariam venit, Arnulphum in ſuas pertrahit partes, ſpem ei facit ad votorum jam metam pertingendi. Erectus hac occaſione Arnulphus in bellum regreditur, ſed infelix; clades enim varias perpeſſus, & Ratisbonæ cum Lupoldo incluſus in ſummas venit anguſtias; nam tum in urbe fames; foris premebat hoſtis. Non defuit tamen ſibi, aut partibus ſuis Arnoldus. Ubi plurimum periculi atque laboris oſtendebatur, ibi majore vi occurrere; neque pro mœnibus modò coruſcare tela, ſed etiam in ſtationes & opera hoſtium eruptiones frequentes tentare; non machinas admoveri urbi, non ſubeuntium impunitam audaciam pati. Sed dum cum ſuis ex urbe erumpentibus ab hora diei tertia ad ipſam usque nonam aliquando fortiſſimè dimicat, ſuffoſſo ſub pedibus equo in terram effuſus, & telis undique ingruentibus obrutus, ante portas civitatis Ratisbonæ gloriosè occumbit Anno 953. Variæ & hic Fortunæ, ac Fortitudinis exemplum fuit, Heros in utraque Magnus. Generoſos ab avis traxit Spiritus, Sanguinem nobiliſſimum: Jus itaque Paternum perſequi volebat; extruſum ſe de ſperata poſſeſſione, tulit indignè; Et quis Principum eſt, qui id non ſentiat? qui ſi poſſit, non ulciſcatur? At bello victus eſt! idipſum jam ſæpè accidit cauſam belli habentibus juſtiſſimam. Non quisquis bello vincitur, bellicis ſimul ſpoliandus eſt laudibus. Multi, licèt armis amiſſis ex acie fugerint, quódque eſt majus, in acie ceciderint, ſecum Ducis eximii Nomen tulerunt. Ea morte extinctus eſt, qua Florentiſſimi Duces ſolent, in campo Martis, in ipſius honoris throno. Per ipſas clades, per ipſam ruinam ſibi gloriam comparavit, eo planè modo, quo militare vexillum, ut in ſymbolo apparet, undequáque lacerum, multisque perforatum locis, tantò majorem indicat ſuorum virtutem, tantò eſt glorioſius: *Spirat Virtutem Lacerum quoque.* Arnolphus hic Schyrenſium Comes dictus eſt primus, ut qui ejus appellationis arcem vel ipſe, vel per Filium ædificâſſe dicitur, ab hoc loco in ſe ſuósque poſteros inclytum nomen derivans. Uxorem habuit Riſcham Ottonis Primi Romanorum Imperatoris Sororem, ex qua illi Filius Berchtoldus.

Reuſnerus hæc verba: Arnulphus II. progenuit Dynaſtas Schyrenſes, à quibus alatini Princip. profluxère. fol. 200. item fol. 203. Gevold. Gener. 8. Eckard. Junior. Monach. S. Galli. Regino. An. 953. Fabric. Orig. Sax. l. 2. Bruñ. in Exc. in Berch. in Annal. p. 2 f. 438 Adelsr. fol 339. & ſeq.

Adelsr. fol. 345. Brunn. p. 2. l. 8. fol. 455.

Obiit CMLIV.

 XX. BERCH-

XX.

BERCHTOLDUS
BOJARICI PALATII
PRÆFECTUS,
SCHYRORUM DYNASTA, CURATOR TEMPLI FRUXINENSIS.



Consiliis rexi populos, & templa, Minister
Juris, honorati Cura salúsque Ducis.

Reusnerus.

Gerold in Geneal Cen. 9 Bucelin p. 1. f. 38 item in Hilter. Agilolf fol. 382.

Diversus hic est Berchtoldus ab illo, quem post mortem Arnulphi Mali Otto Imperator præfecerat Bojariæ; ille siquidem Arnulphi Mali Frater, hic Nepos fuit; Heros uterque. Prior sine liberis decessit, & in Nideraltaich Sepultus est; Hic Filios reliquit duos Wernerum, & Henricum, Sanguinis Bavarici propagator Magnanimus. Et noster quidem Generosissimæ volucri, quam in Africa, vel Æthio-

pia

pia nafcentem Struthio-Camelum vocant, meritò potuit comparari, quem proinde in Symbolo præfert; Struthio-Camelus, ut Plinius Author eft, altitudine corporis cæteras inter aves eminet, maximè bellicofus, & ad res quasvis, quin & ferrum, quod avidè devorat, concoquendum mira naturæ facilitate comparatus. Fuit & Berchtoldus, fi non corpore, animo faltem tam excelfo, ut qui Sanguine Regium attingebat faftigium, forte inferiore contentus, ea omnia infrà fe defpiceret, quæ non cum pietate, fide ac juftitia confentirent; gloriam fibi comparare voluit non ambitione regnandi, fed confilio & fide regnantibus præftanda. Itaque Othoni II. Imperatori percharus fuit. Arnoldus Berchtoldi Pater in eo Spiritus Heroicos, imò & vitam pofuerat, ut fibi Regnum Bojariæ (ita enim tum temporis paffim vocabatur) ab Othone Primo affereret; Filius autem Berchtoldus fuam pro Othone Secundo Virtutem Bellicam, imò & vitam difcrimini exponebat, ut ei contra Henricum Saxonem Patruelem, quem Rixofum appellaverant, Bojariam confervaret; Generofus ille, dum jus perfequebatur fuum; magnanimus ifte, dum jus fuum non modò cederet potentiori, fed & in jure obtento defenderet. Durum quidem erat fpes ingentes patienti animo decoquere; Durum, videre alienum & Saxonicum Sanguinem in Bojariæ Regno Dominari; cùm ipfe rejectus à Fortuna, vices tantùm alterius deberet agere, & Prætorio nomine eam adminiftrare provinciam, quam propriam fperare poffet. At Forti Stomacho ferreum hunc Fortunæ bolum devoravit, ratus acquiefcendum jis, quæ Regnorum omnium Dominus ita conftituiffet. Schyrenfi igitur Dynaftiâ contentus, & Præfecturâ Palatii, etiam hoc putavit Heroicum, magnis confiliis regere populum, fubditorum utilitati profpicere, fidem fervare Principi; Sacrorum & Ecclefiarum jura tueri, & in reliquis fperare pauca, ferre omnia, DEUM quacunque duxerit, fine murmure comitari. Hæc Præfectura verò Bojariæ, feu Palatii dicta ita fe habebat; poftquam Bojaria Germaniæ Regno fuit contributa, hæsítque penes Caroli Magni ftirpem primùm in Regibus ejusdem Sanguinis, devoluta dein ad Saxones; à Rege, vel Cæfare Præfecti funt dati Bojariæ, perinde atque aliis Provinciis, cum vicaria duntaxat authoritate, qualis erat Comitum Limitaneorum; horum deinde Comitum tituli, fub Ducis, ac Principis Nomine promifcuè ufurpabantur. Hi quoque Comites Regio ex beneficio, aut etiam jure antiquo, quo ipfam petebant Provinciam, Præfecturas fuos ad Filios transmittebant. Id fi prohibebatur, bella inde nafcebantur & lites. Præfecturam fuam Berchtoldus Nofter, ad bonum publicum, & Pacem referebat; Tutelam fimul gefferat Ecclefiæ Fruxinenfis, quæ hodie Frifinga dicitur. Id quoque Munus ad tuenda Ecclefiarum jura Principibus commiffum plerumque tranfibat ad Hæredes. Præter has Pacis artes à Berchtoldo magno animo exercitas Bellicarum quoque rerum peritia infignis in eo fuiffe, tum ex Scriptorum Elogiis, tum ex eo patet, quòd Otto II. Imperator, cùm graviffimum decreviffet bellum in Italiam adversùs Calabros & Saracenos, reliquos inter fœderatos, atque Belli Duces, quos felegerat, ac fecum duxerat, non modicam fpem in Berchtoldo collocaverit. Et feliciter tota ceffiffet expeditio, nifi turpis Italorum, & Beneventanorum defectio, medio in certamine, & Othonem

[Margin: Reufn. in Bafil. fol. 203.]

[Margin: Adelsr. p. 1. f. 363 & 364. Marian. Scot. Lambert. Ditmar. Merfeburg. Epifc.]

Y

Brunn. in Annal. p. 2 f. 541.

Anno CMLXXXII.

nem & Berchtoldum deftituiffet. Ille fibi maturâ confuluit fugâ, fed Berchtoldus, ut Magnæ mentes folent, in fronte exercitûs ftrenuè pugnans cadere maluit, quàm cedere. Itaque occifus in prælio Anno CMLXXXII. præter egregiam fui memoriam, pro Bavarico Sanguine continuando reliquit Wernerum; Henricum Filium alterum dedit pro alia clariffima propagine, in qua Dux Carinthiæ eft appellatus.

XXI. WERN-



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES A CAROLO MAGNO
USQUE AD OTHONEM MAGNUM WITELSPACHIUM

XXI.

VVERNHERUS,
SIVE
BABO,
SCHYRORUM PRINCEPS
FILIUS BERCHTOLDI,
OTHONIS PRIMI PATER.



Non mea cura Parùm Patriæ ſervivit Amori,
Conſilio Soſpes floruit illa meo.

Reuſnerus.

FOrtunæ rota volubilis eſt; nunquam in eodem durat puncto. A ſummo ad imum, ab imo ad ſummum perpetua mutatione ſe convertit. Jam mœſta proſperis, jam mala ſuccedunt bonis. Hunc tamen adeò mutabilem rotæ curſum aliqua arte ſiſti poſſe, nemo eſt, qui dubitet. Quid agit ſapiens? Lauri, Olivæque ramos, Pacis inquam, & Conſtantiæ ſymbolà decuſſatim implectit, qui prominentes rotunditatem tollunt, & ne rota in orbem ſe circumagere poſſit, impediunt; hac ratione ſe volvere deſinet ipſa; *Ne ſit volubilis.* Rem hanc appoſitum in pictura ſymbolum, is verò, qui hoc ſymbolo adumbratur, opere ipſo commonſtrat.

Gevöldus Geneal 10. Bucelin. p.1. f.38. Reuſn. fol.204.

Wernerus eſt, quem Elias Reuſnerus Vir in re Genealogica celebris, in Opere ſuo, quod Baſilicon appellat, ſicut & alii diverſis in hiſtoriis Babonem appellant, illius Babonis Parentem, qui quadraginta Prolium numero in vulgus eſt notus. Babonis quoque nomine eum appellat ſæpiùs antiquiſſimus Traditionum Friſingenſium liber, ut Wigileus Hundius teſtis eſt. Babo hic, ſive Wernerus Filios habuit duos Ottonem unum, qui rectam Schyrenſium Comitum, & Bavariæ Principum lineam propagavit; Babonem alterum, quem ſuprà innui, quíque Abenſpergenſium Comitum Stirpi initium dedit. Extant de Babone ſeu Wernero noſtro vetuſta Reuſneri Carmina, quibus eum in hunc modum celebrat. At Babo.

Metrop. Salisb.

Sorte ſua contentus, amánsque quietis
Securæ, pacis tenuit ſolertius artes,
Conſilio eloquióque potens, Juriſque Miniſter
Cæſareum emeruit placida virtute favorem.

Reuſnerus in Aulæis Princip. Bav. & Palat.

Heroës enim Bavaria ſemper habuit, non eos duntaxat, qui armis circumtonabant, ſago inclytos, & ferro coruſcantes, ſed qui togâ pariter, aut doctâ florerent purpurâ. Sunt enim & hi tales in Heroum claſſe ponendi, nec Belli-Ducibus duntaxat pares, ſed &, ſi Livio credimus, ſuperiores. Ait enim hic: *Excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, quâ civem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent*; majoris eſſe moliminis arbitratus, bene gubernare populos, quàm ſubjugare. Hoc & Attilæ; & Tottilæ potuerunt; ſine illo nec Julius Cæſar, nec Trajanus, nec Conſtantinus, nec Carolus Magni Nomen obtinuiſſent. Itaque Wernerus Pacis his artibus ita floruit, ut Bavariæ incolumitatem ſuis fulciret humeris, & conſtantem ei Fortunam, ſtabilémque Pacem, in ſuo Præfecturæ officio, diu procuraret. Verſa, inverſáque hactenus ſæpè fuit Bavariæ ſors; at ille ſuis conſiliis ſtitit; hujus *Conſilio Soſpes floruit illa diu.* Ita nempe Sapiens longè ſæpiùs Fortunam triumphat, quàm bellicoſus. Sapiens ſuper utramque Fortunam ſemper excelſæ mentis ſtat conſilio. Bellicoſus in gloriæ ſuæ parte hoc debet ponere, quòd in ipſis cædibus & ruinis fortitudinem ſuam ſaltem ferendo poſſit exhibere; quanquam & in hoc verè glorietur, verè triumphet.

Obiit circa A. MX.

XXII. OT-

XXII.

OTTO PRIMVS, COMES, ET DYNASTA SCHYRENSIS, PALATINUS BOJARIÆ.



Quà Socias Alemannus aquas celer advehit Istro,
Bojaricas Rexi Prætor & Auctor Opes.

Reusnerus.

FLuminum se mari commiscentium imago ac symbolum Ottoni Primo attribuitur; nihil sine Mysterio, ut Hierographia solet. Flumina cùm intrant in mare, sæpè cursum suum, & aquam aliquamdiu servant *in amaro Dulcem.* Aulam intravit Otto; Bavaricam rexit aulam, Prætorii & Palatii Præfectus. Quis aulam nescit infido similem mari, in qua Fortuna tot fluctus ciet? Blandus ejusdem favor periculosa est malacia; vortices, & Charybdes sunt adversitates. Metuendi hìc surgunt honorum & Dignitatum scopuli; blandæ adulationum Sirenes sunt frequentissimæ. Inter hæc pericula, qui Magni sunt, qui Heroës sunt, ji soli sibi constant, & virtutem tenent. *Per tot discrimina rerum* navigandum est cum Argonautis, ut aurei velleris gloria, & constans Principum favor compare-

Gevold. in Genealog. Gen. 11. ex libris Tradit. Monast. Weihenstephan.

Bucelin. loc. cit.

Reusn. in Basil. fol. 208.

paretur. Plurimæ amaritudines ſunt guſtandæ, nec tamen propriæ Virtutis Dulcedo eſt amittenda. Talem ſe Heroëm Otto præbuit; fuit is *in Amaro Dulcis*, vitæ integerrimæ Aulicus, æquus & juſtus in opere, ſuavis & facundus in ſermone. Jure illi hoc encomium dari, teſtantur Carmina jam uno amplius Sæculo de Principibus noſtris exarata; quæ de Ottone ſic habent:

Franciſc. Calin. in Tab. Genealog. Scarlactis in Tabul. Genealog.

Idem animus, ſtudiúmque fuit, quoad vixit, Othoni,
Cujus in ingenio virtutis imago paternæ,
Et mentis decor, & ſtudium probitatis, & æqui
Emicat, & cultæ ſuavis facundia linguæ.

Nicolai Reuſneri Aulæum Principum Palatin. & Boïar.

Reluxit in eo Indoles Patria, hoc eſt Heroica, mentis integritas, quæ nullo fuit infuſcata nævo, Juſtitia non corrupta iniquo partium ſtudio, ſuavitas in eloquio nullis negotiorum tumultibus perturbata, quæ omnia virtutem oſtendunt in lubrico conſtantem, inter diverſa eandem, Dulcem in Amaro. *Bojaricas Rexit Prætor & Auctor opes;* Miniſter fideliſſimus, qui publico magis ſtuduit Bono, quàm privato; extendit Regni limites, non ut ſuam, ſed Regis potentiam ampliaret; dum verò alienam auxit dignitatem, ſuam ad poſteros gloriam propagavit. Bellum unicum in Hungaros ſuſcepiſſe legitur, ſuam reliquis Bavariæ Heroibus adjungens operam, quando cum Henrico III. Auguſto adversùm rebelles in aciem proceſſerunt, non ſine Victoriæ laude redeuntes. Pacato cæteroquin animo, totus fuit in rebus civilibus, totus in Divinis, ad quæ ſine omni amaritudine æternùm poſſidenda evocatus eſt Anno 1040. placidâ, ut vitâ, ita morte defunctus, & tumulo illatus Friſingæ, loco ſuæ Tutelæ concredito. Filii tres ab eo ſunt geniti, qui ceu novi fontes reduces è mari, magnorum deinde nominum Authores, in tres ſe rivos diffuderunt. Otho, & Patris Nomen, & paternam hæreditatem in Schyrenſi arce, Bavariæque Præturâ conſervavit. Arnulphus in herciſcunda ſortitus eſt Dachavium, inclytam Superioris Bavariæ Arcem, ubi cum poſteris habitavit, factúſque eſt Parens Comitum Dachavienſium. Conrado ex fratribus tertio Phalaia obtigit, quod eſt Caſtrum primæ Vindeliciæ, medium inter Oenum & Iſaram, quà Manguoldus amnis præterfluit, & Ahamſtainii nomen habet, dictum olim ab Aventino Vallatum Romanum. Hinc quoque Phalaiæ Comites longâ ſerie progeniti, quorum ſæpè in hiſtoriis mentio. Sed ad primum denique fontem rivi hi omnes cum tempore conjuncti redierunt.

Reuſn. in Baſil. fol. 208.

Gevoldus in Geneal.

Adelsreiter p. 1. lib. 21.

Uxor Tuta Comitiſſa Naſſavienſis. Obiit A.MXL.

XXIII. OT-

XXIII.

OTTO SECVNDUS, OTTONIS PRIMI FILIUS, COMES IN SCHYREN, PALATINUS BOJARIÆ, TUTOR ECCLESIÆ FRISINGENSIS.



Templorum mihi Cura fuit, rerúmque sacrarum;
Per me surrexit Relligionis honos.

LEonem pro templi foribus excubantem in imagine vides; Boicum intellige Heroëm, qui maximum Ecclesiæ Orthodoxæ præsidium fuit. Usurpatum jam pridem hoc antiquis erat Hieroglyphicum, ut passim ad magnificarum valvas ædium Leones velut in excubiis collocarent, & hac figurâ Domûs bene custoditæ denotarent præsidium. AD SPLENDOREM statuebantur, & AD TERROREM; Splendor erat à statua pro dignitate templi; terror à Leone, cujus vel aspectus horrorem ingenerat. Custos rei Catholicæ, defensor Religionis, terror hostium fuit hic Otto, Secundus nomine; idem re & opere. Heros insignis, quia cum insigni virtute stetit pro Deo, próque rebus Divinis; Felix, quia Fortunam suam fundavit in Religione. Cùm talis esset, ac tantus, Ecclesia Fru-

Gevold. Gen. 12. Litteræ Monast. Weltenburg. in Metrop. Salisb. Bucelin. loc. cit. Reusn. fol. 208. Calin. Scarlattis.

Fruxinenſis Tutorem eum, & Advocatum elegit, ſua illi commiſit jura contra quoscunque hoſtes propugnanda. Receptum hoc jam priſtinis temporibus, atque hodie uſurpatum, ut Religioſi cætus, & Ditiones Eccleſiaſticæ, cùm armamentariis careant ipſæ, & exercitibus, generoſos ſibi ſtrategos quærant in Principibus Mundi, à quorum forti Brachio defendantur, & tegantur. Hos velut in excubiis ad portas templorum collocant, obtemperantes Oraculo, quod Salomon edidit: *Nobilis in Portis Vir ejus.* Habeat Eccleſia ſuas ante portas Virum Nobilem, qui coërceat improborum conatus, temeritatem comprimat, qui ſacrarii ſit Cuſtos, Religionis anteſignanus. Habuit in hoc Othone, & multis ejus poſteris Eccleſia Friſingenſis ejusmodi Tutores, Excubias Leoninas. Et hic quidem Otto, qui ex Schyrenſi Familia nomen hoc Secundus tulit, officio ſuo functus eſt egregiè. Pacis aliàs amantiſſimus, bella geſſit in media pace, contra ſcelus nempe, & impietatem. Bavariam, & Friſingenſis Eccleſiæ ditionem munivit non caſtellis & arcibus, ſed templis & aſceteriis, quæ vel recèns erexit, vel erecta in ſuo ſplendore conſervavit. Conjugem, quam habebat pari virtute præditam, Hazigam Regis Arragoniæ Filiam, in idem ſecum ſtudium impulit. Cum hac erexit Viſpachavienſe Cœnobium (ita primitus dictum) & Sacram eò traxit Divi Benedicti Familiam, quæ poſt aliquas deinde viciſſitudines locorum, ipſam denique Arcem Schyrenſem, celeberrima Bojorum Ducum incunabula, in ſuum accepit domicilium, conſilio Fundatorum laudabiliſſimo; dum enim Boici Progenitores, DEO Divisque habitatoribus ſuam ceſsêre Domum, eam, quæ ævo exedente corruiſſet, fecerunt perpetuam, & immortalem. Durat jam in hæc usque Sæcula Schyrenſe nomen, Monaſterium celebre, in quo non DEO ſolùm canuntur laudes, ſed Domui Bavaricæ perpetua fiunt præconia. Sunt hi non annui duntaxat, ſed cenſus quotidiani, qui jam proveniunt ex Domo apud ſuperos fœnori tam ſancto collocata. Pietas hunc facit quæſtum; quam dum extollimus in Ottone Secundo, tanquam in origine, in poſteris ſemper perſeverâſſe, imò & creviſſe videmus. Debuit hæc Pietas eſſe in ſtemmate, quæ nunc tam largè exuberat in Ramis. Exiſtimabit jam aliquis, adversùs hunc Othonem tam pium nihil utique aſperam Fortunam valuiſſe; ubi tanta cum DEO, & Sacris conſenſio; ibi felicitas conſtans; non dubium, quin ei ex voto fluxerint omnia, qui DEUM veræ felicitatis Auctorem unicum, tam pia ſibi liberalitate obſtrinxit. Sed fallitur, quisquis ita ſentit; Solet DEUS non alios magis in ſuæ ſanctiſſimæ Crucis conſortium admittere, quàm quos ſibi habet Chariſſimos. Incumbit probis certa fatorum lege, pati plurima. Edixit hoc Chriſtus ipſe, ſuo firmavit exemplo, ſuo cruore ſancivit. Itaque nec patientiæ materia, nec laudis hinc colligendæ occaſio Othoni defuit. Pervigil erat Cuſtos, in Eccleſiæ ſibi concreditæ bonum intentus. LEO erat, qui pro foribus excubans templo ſplendorem dabat, hoſtibus terrorem; ſed canes allatrantes, homines maledicos, qui confictis eum probris inceſſerent, non evitavit: invenient nonnulli in Hiſtoria Friſingenſi Schyrenſis Ottonis nomen malè acceptum; quòd nimirum & Hic, & Ottones alii, non tam protexerint, quàm perſecuti ſint Eccleſiam Friſingenſem, non Tutores, ſed tyranni. Calumniam hanc Schyrenſi nomini impactam, Liber idem, Metropolis Salisburgenſis redarguit, dum diverſis in locis plurimas Cæſarum, Epiſcoporum, & Pontificum Literas exhibet, in quibus Schyrenſes Comites, & hic atque alii Ottones, frequentiſſimè honoris ergò & magna cum commendatione, tanquam Benefici Patroni & fundatores

Prov. 31.

Obiit Haziga 1103. Fundatrix Monaſterii S. Petri in Norico in pago Uſegoüe vulgò Eiſenhoven.

Brunn. Annal. Boicis. p. 3. l. 12. fol. 206.

Typogr. Bavariæ Scheyrn.

Metrop. Salisb. f. 101. & alibi.

res appellantur; redarguit idipſum Radevicus, qui Ottonis Friſingenſis hiſtoriam pertexuit, & Schyrenſes Friſingenſium Tutores magnis attollit laudibus; redarguit denique res ipſa in tot, tam variis donationibus, & templorum ornamentis, quæ ab hac piiſſima familia provenerunt, atque per univerſam Bavariam nota ſunt. Fabulæ habentur plures, quibus Schyrenſe nomen nonnulli inquinant hiſtorici, ſed exiguam promerentur fidem. Inficias quidem nemo ibit, in his quoque ſideribus ſuos interdum nævos fuiſſe obſervatos, ſed aliis longè maximis virtutibus obrutos. Rariſſimum eſt in natura ſpectaculum homo absque labe omni. Ipſi qui audiunt Imperatorum maximi, maculis non caruêre, Auguſtus, Trajanus, Theodoſius, Conſtantinus. Stat tamen illis ſua laus; ſtabit & Heroibus noſtris. Hæc itaque probra nihil ad ſe pertinere arbitratus eſt Otto Secundus, eáque contempſit *Vir Sapiens*, quia rectè factorum conſcientiâ ſe potuit conſolari. Altiori in loco ſuam collocavit virtutem, quàm ut Fortuna maledica eò pertingeret. Hujus Ottonis virtutem apud poſteros adhuc magìs commendatam reddunt inſignes Filii, Boni ab indole, meliores ab educatione, quam utramque Parens dedit. De Ottone, qui tertius hoc nomen tulit, dicemus poſteà. Eccardus alter erat Filius, qui Peronati nomen, vulgò Pundſchuech retulit ab eventu egregii cujusdam facinoris in Palæſtina editi. Illuc profecti Otto & Eccardus Fratres, Duo Schyrenſes Principes, Godefridum Bullionium ſunt comitati. Eccardus res magnas ibi geſſit, & cùm Saraceni aliquando in Chriſtianos improviſi erupiſſent, eósque Panico correptos metu diſſipâſſent; Eccardus diſperſos ad calceum erectum, teſſeram ſæpiùs antè uſurpatam, collegit, aciem reſtituit, & ut referunt Annales Boici, glorioſum ſervatoris noſtri ſepulchrum eo tempore recuperavit. Ejus trophæa cernuntur Maurkirchii propè Brunovium; is ipſe Eccardus eſt, qui oppidum Ried in Norico ripenſi condidit, atque oppidi inſignibus calceum ejusmodi velut pro ſigno erectum inſeruit. Pertinuit hæc filii gloria ad parentis honorem; pertinebit & illud, quod ſequitur in Ottone Tertio. Otto Secundus defunctus eſt Anno 1079. ac primò Sepultus Viſpachavii, Schyram deinde translatus, quò nempe & ipſum D. Benedicti Cœnobium tranſiit.

Radevicus Contin. Oth. Friſing. l. 3. c. 18. & 20. & l. 4. c. 63.

Adelsreiter p. 1. l. 18. fol. 511.

Andr. Presb.

Gevold. Gen. 12. pag. 49.

Köln. p. 11.

Brunn. p. 3 ann. lib 11. fol. 180.

Defunct. ANNO MLXXIX.

XXIV.

OTTO TERTIUS,

PRÆFECTVS PALATII BAVARIÆ, CONDITOR ARCIS, ET NOMINIS WITTELSPACENSIS.



Felices Solymos vidi, Judæáque Regna,
Et mea Jordan aquis jam lavat ossa suis.

Reusnerus.

FErreis opus est instrumentis, quibus artificiosa aliqua procudatur Statua, Heroëm datura posteris admirandum; nec artis humanæ tantùm, sed & Divinæ hic modus est Providentiæ; ferrum patiatur & ignes, necessum est, quicumque in templo gloriæ suam petit collocari effigiem. Optimè in hoc Symbolo exprimitur Otto Tertius, Comes de Wittelspach; nam primus hoc nomen tulit, mutato ut suprà diximus, castro Schyrensi in Monasterium, ædificatáque arce Wittelspacensi, in qua posteri deinceps aulæ suæ sedem fixerunt, & Wittelspacensium nomen acceperunt. Otto hic Palatinos inter, & Comites Bavariæ singulariter fuit inclytus, atque testimonio Paschalis Pontificis, & Henrici V. Imperatoris, *egregiæ strenuitatis, & Magni Nominis* Comes dictus; Hercules

Calixt. II. P. in Dipl. Anno Ch. 1123.

Henr. V. Imp. An. Ch. 1124.

Chri-

Christianus, aut saltem Christiani Herculis commilito Magnanimus; námque in Palæstinam Dei-Hominis vestigiis inclytam cum Godefrido Bullionio profectus, à multis ibi præclarè factis, & morte pro fide obita insignem promeritus est laudem; ferro, non armorum solùm, sed adversitatum, quæ in illa expeditione erant penè infinitæ, talis efficiebatur Heros, qualem Heroico carmine, jam unum ante, atque dimidium sæculum Poëta non obscurus celebravit. Liceat huc attexere carmen, quandoquidem antiquitas apud nonnullos majorem obtinet fidem, quàm nostra tempora, etsi sæpè doctiora; ita igitur Nicolaus Reusnerus in Aulæo Principum Palatinorum, & Bojariorum canit de Ottone Tertio.

Gevold. in Genealog. Gen. 13.

Sed utroque feris præstantior armis
Tertius (Otto nimirum) *& nulli Virtute indignus avorum*
Signa Palæstinis circumfert Victor in oris,
Fortia Gotfridi Regis pia castra secutus:
Mille viros patriis secum qui ducit ab oris
Fervidus; ingentes populos, opulentáque Regnis
Castra sibi jungens: magna comitante virûm vi
Heroum, Guelfo cum Principe. Námque profectus
Per loca Chariorum, Mœsos adit: inde per agros
Bistonios, veterum repetit Byzantia Thracum
Mœnia: Grajugenæque superbâ Cæsaris aulâ
Exceptus, petit auxilium, & nova fœdera jungit.
Móxque Propontiacas cum classe profectus ad urbes,
Nomen ubi Ponto, Phryxi Soror, induit Helle:
Nicæas capit, Ascanius quas aluit, arces
Spumifer, & Cydni divisam flumine Tarsum
Antiochique domos, & Mœnia Heraclea:
Quà ferus Alcides canis olim colla trifaucis
Ex Acheronte imo superas eduxit ad auras.
Inde Saracenos Asiæ passim expulit orâ,
Præfecitque Duces alios: hinc fortia tandem
Occupat infestis Solymorum Mœnia signis,
Divitis & Syriæ campos, Judæáque Regna:
Quæ multos annos tandem florentia Forti
Imperio, & placidà Solymus Rex pace gubernat.

Bucelinus. Reusnerus & alii Geneal. Authores, ut suprà.

Reusn. in Aulæis Princip. Bav. & Palat.

In numeros hos, si facta spectes, admodùm breves, multa magnáque redegit Poëta, quæ tamen numeris omnibus absolutum Heroëm denotant. Unum defuit, ut actam per tot palmas virtutum vitam mors gloriosa coronaret. Etiam hanc oppetiit in ipsa Palæstina, Sacros illos pro suo tumulo pulveres nactus, quos ipse Deus quondam attactu consecravit. Pugnavit sub vexillo Crucis, & emeritus Christi miles fato glorioso meritus est intrare sedem gloriæ, quò nemo venit, nisi qui inter pericula & adversitates hujus mundi legitimè certavit. Ex Agnete Lotharingia Filios procreavit Ottonem IV, & Eckardum. Alii alios commemorant.

Anno MCIII.

XXV.

OTTO QVARTUS,
OTTONIS TERTII FILIUS,
COGNOMENTO SAPIENS,
COMES IN VVITTELSPACH.



Magnanimus dicebar Otho, Sapiénsque, Piúsque,
Talibus & Natis, vitam animúmque dedi.

Reusnerus.

Authores Genealogiæ ut suprà.

SUccedit jam iterum Heroi Martio, Heros togatus; utrumque enim forum, utrumque polum Duces Boici ad Orbis totius admirationem sua virtute complêrunt. Utramque Palladem exhibere, sagatam ac trabeatam, Magistram Sapientiæ, & arbitram bellorum, Bojis Principibus semper in more, & Amore fuit, ita ut meritò dici possint in artibus Pacis Mercurii, Martes in campo. Atque hoc traxisse à Sanguine videntur, dubiúmque relinquitur, an sapientiores nascantur, an fortiores; quanquam Sapientia semper cum fortitudine, & vera fortitudo conjungatur cum Sapientia. *Sapiens* enim *supra Fortunam*, atque adeò *Fortis* in contemnendis jis, quæcunque ab infideli Fortuna ceu impedimenta in via virtutis poni solent. *Vir Sapiens Fortis* est. Prov. 24. Talis & *Sapiens*, & *Fortis* erat Otho IV. *Sapiens* in cognomento, *Fortis* in re. Encomium *Sapientis* pepererunt illi varia, præcipuè verò insignis illa in Viro eloquentissimo prudentia, quâ

Petrarcha de remed. utriusq. Fort.

quâ Civile bellum in magnas flammas, & gravem Bavariæ perniciem eruptu-rum ſolus ipſe reſtinxit. Eam rem breviter attingimus. Cunone Ratisbo-nenſi Epiſcopo è vita, & ſacro faſtigio decedente, Henricus Wolfratshuſius, ſtudiis partium Friderici renuntiatur Epiſcopus. Erat hic Fridericus Comes Bogius, Stemmatis Nobiliſſimi, Eccleſiæ Ratisbonenſis Tutor, & privatis jam antè bellis cum Henrico Bojorum Principe implicitus; Wolfratshuſius cum Bogio pariter, Henrico Bojo infeſtus. Bojus verò Princeps Epiſcopum ſuo injuſſu creatum non ferens, electionem ceu vitio factam apud Lotha-rium Imperatorem, & Innocentium Summum Pontificem traduxit, inſti-titque, ne ſacra ei jura confirmarentur. Sed Wolfratshuſius, priusquàm in jus vocaretur, à Conrado Salisburgenſi Antiſtite ut conſecraretur, impe-travit; cæpítque continuò ſacra exercere munia, quamvis crudeliter, & ſu-perbè. Engelbertum enim Divi Emmerami Abbatem oppreſſit, ipſam D. Emmerami Baſilicam invaſit, ſacros Calices, argenteámque ſupellectilem diripuit, tabularium ſpoliavit, immunitatum, Jurium, donationúmque monumentis igne abſumptis. Henricus igitur Bojus ad arma convertitur, omnésque Epiſcopi Ratisbonenſis clientelas devaſtat, ſuburbia incendit, Donauſtauffenſem arcem inopinato adventu in poteſtatem adducit. Aper-tum jam res ſpectabat bellum, quod ſecum traheret maximam Bavariæ & Auſtriæ partem; nam Fridericus quoque juſtum jam exercitum pro Epiſcopo comparârat, ſibique adjunxerat Auſtrios. Ad Iſaram flumen, cui caſtrum Wolfratshuſium incubat, ſtabant adverſæ acies ardentibus in mutuam perni-ciem animis, & jam maturo in pugnam furore; cùm adeſt Otho Wittelſpa-chius (alium eo ipſo tempore Ottonem Wolfratshuſium, Henrici Epiſcopi Patruum, & hujus noſtri Wittelſpacenſis generum nominant Annales) & qua pollebat apud omnes Authoritate, primùm Fridericum Bogium, dein-de Henricum Bojum ita commovet, ut à civili Sanguine abſtinendum rati, Othoni totam rem pacificè componendam permiſerint. Ex eo tempore Wittelſpachii hujus nomen ingens eſſe, & ab utraque parte in cœlum ferri; Patrem eum, Servatorémque Patriæ nominârunt, Victorem animorum, qui ſine Sanguine, ſine cujusquam clade triumphâſſet. Enimverò eſt hoc Victoriæ genus longè celeberrimum, Pacem dare ſine bello. Nec pacem ſo-lùm Bavariæ tum dedit Otho Sapiens, ſed & pulcherrimum Pacis fructum, Religionis nempe incrementum. Paulò pòſt, cùm arma è manibus poſuiſſent Bavariæ Magnates, manus deinde adhibuerunt ſtruendis ſacris ædibus & Re-ligioſorum domiciliis; in qua re partes quoque primas ac præcipuas habuit Otho noſter Wittelſpachius, ſuo cæteros animans exemplo. Enſtorffium à S. Othone Babenbergenſi adjutus vel impulſus reſtauravit; Undenſtorffenſe verò ad Gelonum amnem à fundamentis erexit; illuc Divi Benedicti, huc Divi Auguſtini ſacram induxit Familiam. Eo tempore & Beyhartinganum, & Weiarnenſe cum Schamhaptenſi & Paringano, aliisque multis ſacris Col-legiis, vel ſua initia, vel augmenta acceperunt Ex quibus hactenus enar-ratis facilè apparet, quàm multorum omnino hominum proſperitas ex hu-jus Othonis Sapientia profluxerit, quando & populis Pacem dedit, & cum Pace rerum ſacrarum æquè ac profanarum felicitatem; nec dubium, quin & ſibimetipſi eandem vel maximè conciliaverit; quis enim ſeipſum præſtat feli-ciorem, quàm SAPIENS? Ubi felicitas magis conſtans, quàm in homine ſapiente, qui Fortunam omnem ſibi habet tributariam. Non defuerint equi-dem, quæ & hunc Heroëm graviſſimè potuiſſent affligere; Res hominum

Annal. Boic. Adels. p. 1. l. 20. fol. 565. Brunn. p. 3. l. 2. fol. 103. & ſeq.

Brunne-rus p. 3. fol 312. & ſeq.

B b omnes

omnes adverſis miſcentur & duris. Ubique ſol umbram trahit, & Diem nox ſequitur pediſſequa. Dies ipſe nunquam ab omni luctu triſtium nubium ſecurus eſt. Contraria invicem elementa perpetuò confligunt, terræ tremunt, maria fluctuant, aër quatitur, crepant flammæ. Uti externa mundi corpora, ita interni noſtrorum animorum motus; bellum immortale gerunt affectus varii; deſideria deſideriis concertant, ſecum ſingula, nobiſcum omnia. Inter hæc ſolus Sapiens ſtat inconcuſſus, mediis tranquillus in undis, in tempeſtate ſæva imperterritus, ſemper ſui compos, ſibi ſimilis. Ita ſtetit Otho Sapiens ſuprà omnem Fortunam, in perpetua animi ſui ſerenitate; quidquid accideret in ſuam convertit utilitatem; ſuæ attemperavit voluntati. Flori ſimillimus erat, quem Heliotropium appellant, qui ventos licèt patiatur & imbres, folia ſua non contrahit, & ab aſpectu ſolis etiam nubibus obtecti retrahi non poteſt. Hinc pro ſua teſſera ſibi ſelegit, VELLE, QUOD VULT DEUS, Divinum ſolem, Dei voluntatem reſpiciens in omnibus; iſtam pro inconcuſſo felicitatis omnis fundamento habuit. Quidquid in rebus humanis mutaretur, mentem ejus non flexit, non perturbavit. Itaque ſiniſtri caſus nulli eum oppreſſiſſe leguntur, non quòd nulli contingerent, ſed quia ſiniſtrum ei nihil erat, qui omnibus, quæ Deus decreverat, ſuam lætus adjunxit voluntatem: infortunium nullum paſſus eſt, quia nihil infortunatum illi, qui ex omnibus infortuniis velut mediis ex Zizaniis ſemper optatos colligit fructus. Objit Anno Chriſti 1146. ſcribunt alii maturiùs; Cadaver ſuum inferri voluit Undenſtorffenſi Collegio recèns à ſe Condito, ſuæque liberalitatis ac pietatis monumento perpetuo. Quanquam nullum monumentum clarius relinquere potuit, quàm effigiem morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii, filium Ottonem, qui dictus eſt omnibus Major, ſive Antonomaſticè,

Otto Magnus.

Conjux erat Halica Comitiſſa de Lengenfeld, ex Burgraviis Ratisb. genuit etiam Fridericum, item Conradum Archiep. Mogunt. & Salisb. S. R. E. Card. & S. R. I. Septemvirum, item Ottonem Junior.

Adelsr. p. 1 l. 20. fol. 168.

Objit Anno MCXLVI.



CARO-

CAROLI MAGNI MAGNIS POSTERIS.

ODE.

I. PIPINUS Caroli M. Filius, Rex Italiæ.

REx, Magno felix Patre, tótque Nepotibus beate,
Quantus ſis, tolerando proba; patiâre vindicantem
In te Fortunam exercere tyrannidem. Parenti
Illa tuo indulſit bona plurima, ſubjugum redacta;
Poſteritas ea dona luet. Reliquos præi, Pipine:
In te immaturum Lacheſis properabit ictum. acerbis
Se ſe odiis cognata Domus lacerabit. Hinc paternos
Cùm foveas in bella animos, etiam Paternus armet
In patiendo chalybs, & ahenea fortitudo mentem.
Debes poſſe pati, ceu ſtruthio devorare ferrum.
Scena patet, variam, horribilemque tragœdiam videbis,
Nempe PATI, Bavaris via Regia Regibus videtur.

II. BERNARDUS Carol. M. Nepos, Rex Italiæ.

Jamjam pacifugi (triſtia nomina)
Telchines ſtygia Præſide perciti
Tendant invidiæ ponere tragulam
Bernardo exitiabilem.
Rex (cujus Dominum novit acinacem
Saracenigenûm fæx Mahumetica,
Demeſſa in tumulos, more papaverum)
Fies Victima Patruo?

Sic eſt. Conficitur fæda Cataſtrophe;
Viciſti toties, denique vinceris,
Nunc vinctus manibus, nunc pede captus es:
Captus mox oculis eris.

O fata! ante potens malleus hoſtium
Jam cæcam toleras cum Beliſario
Fortunam: Vetulam *cæcus* adulteram
Raptos poſt oculos *vides.*

III. PIPINUS Caroli M. Pronepos, Comes Lengenfeldenſis

Spongia cum fruſto panis citharâque, vagienti
Sit tibi cum Gilimer ſpolium, ſolium, tiara, ſceptrum
Ex pompa Regni, quod Carolus Imperator amplum
Jure tuo legavit Avo. Sate regio, Pipine,
Sanguine, regna tenent alii: Tibi res minore cenſu
Circumſcripta domi eſt: Titulo breviore nuncuparis
Lengenfeldenſis (ſine nomine regio) Dynaſta.

IV. BERNARDUS Caroli M. Abnepos, Comes Lengenfeldenſis.

Bernardum ſimili ſors turbine perdidit deorſum,
Ridebat ter vel quater Invidia in ſinum, procáxque
Fortuna inſtar anûs edentula, nare complicato
Ganniit abſurdùm. Nihilominus ambo perſtiterunt
Immoti & Pater & Natus, ſolidante ſpe futuri.
Quin etiam infixò generoſiùs ungue perfricabant
Effrontem frontem & dupla lumina Cyngaræ protervæ
Pro lubitu vel tollentis, vel ad ima deprimentis,
Ut malè ſignatam Wittelſpachii cavere Larvam
Fraudum haud ignari poſſent. Benè. Novit his Magiſtris
Tanquam virtutum radiis oculata ſemper uti
Poſteritas, inter ſortis tenebras Pharum tuendò.

V. ARNULPHUS Caroli M. Atnepos, Dynaſta Lengenfeldenſis

Arnulphus Bavaros denuò ſurriget,
Nondum eſt Magni Atavi Bojus hic immemor,
Sanguis perſpicuè regius emicat,
Bullit Cæſaris indoles.

Hic

Hic major Procerum, hic fortior omnium
Hic ut Parmenio, vel Clytus inclytus
Duxit Cæſareos ſtrenuus Alites;
Nortmanni hiſtoriam ſciunt.
Nam centum tonuit millia militum
Arnulphi gladius, donec in ægidem
Dux ipſus caderet, vincere deſinens,
Poſtquam vivere deſiit.
Multiplici tandem vulnere debuit
Arnulphus ſubigi, donec ad ultimam
Manâſſet fluitans venula guttulam,
Tum demum annuit Atropos.

VI. LUIT-POL Dus Caroli M. Trinepos, Polemarch. Bavariæ.

Quò raperis Lupòlde? micant gladii: álcides, fariſſæ
In te ut nimbus eunt. At verò age, rumpe per phalanges
O Leo! te quondam Emmanuel rapido ſequetur ungue.
Quàm pulcher tali ore furor! ruit, ut Leæna telo
Saucia, Lupoldus, gaudens ita Poſteros præire.
Vulnerat hos punctim, hos cæſim: lacerat, fodit, trucidat,
A dextra lævâque jacent medii Viri. cruore
Complutus ter victor agit, premit, inſtat, urget Hunnos,
Hos gladio, hos necat amento. ſubitus rapit ſecurim
Quam tollit crudelè fremens; galeam flagrâſſe dicunt
Æſtu magnanimo: penetrat medium ferox in agmen
Deſignátque oculis metam. volat (id, quod obſtupeſco
Vel referens) dein Hunnorum Capiti caput ſecurî
Abſcidit: imò caput ſimul omnibus amputavit Hunnis.
In pedibus ſpes una fuit, quibus in fugam ruebat
Factus quiſque pedes, cor & caput auferente Bojo.
Invidit fortuna Duci nimios ferè triumphos.
Hinc toto incubuit Dea pondere; quippe jam ter antè
Victorem Hunnorum, Hunnorum rabie dedit necandum;
Laudem, quæ nequiit, voluit prohibere laudis uſum.

Hoc unum potuit; ſed plus potuit cadens ſub ictu
Lupoldus, potuit ſterni, nequiit timere ſtratus,
Quando perire ratum eſt, dixit: volo fortiter perire.

VII. ARNULPHUS Filius Luitpoldi, Dux Bavariæ.

Sed te, Arnulphe, quibus pingo coloribûs?
Implêſti officium Principis egregî,
Luſtrâſti rigida lege piacula
Luſtro auſterior integro:

Quantus pacis amor? quanta modeſtia?
Quòd tu Cæſareas ſponte remiſeris
Rex & Cæſar *aves* æmulus *Aucupi*,
Ex hoc dignior eligi.

Et (vix à lacrymis tempero cogitans)
Et tu tante! Mali nomine vapulas?
Et famæ Lamias inſatiabiles
Debes poſt cineres pati?

Jam pars laudis erit, quòd Malus audiens
Tales audieris fortior aſpides,
Spartano clypeo ſcommata perferens
Sanctè Stoicus Hercules.

VIII. ARNOLDUS Luitpoldi Nepos, Dominus Schyrensis.

Tu quoque in Heroum digniſſime ſyllabum referri
Rerum magnarum primarius actor extitiſti:
Plurimus in bellis, centúmque periculis probatus,
Infelix operis ſummâ: quia Martio calore
Abreptum, obſeſsúmque exercitus integer peremit
Inſpectante Ratisbona. Omnibus unus occupatus
Sufféciſti odiis: toto ſimul impetu ruentes
In ſtirpem Arnulphi furias reprimendo ſuſtinebas,
Ut Remora ingentem curſu medio remorata Gaulum.
Tu verò, Schyræ qui Conditor arcis es, reverſus
Huc ades, atque tuam *Schyram*, velut *horreum* videbis
Impletum lauris, palmis, & adoreis Nepotum.

Ber-

IX. BERTHOLDUS Luitpoldi Pronepos. Dominus Schyr.

Bertholdum ſimili vortice, quo Patrem
Merſit fortis hyems: Teſte Calabriâ
Saracena Phalanx indocilem fugæ,
Multo vulnere perdidit.

Fortuna haud aliter, quàm ſua Socratem
Xantippe, rubeis perpluit imbribus
Bertholdum. Eſt varium ſemper (utut Dea)
Et mutabile fœmina.

Ac iſtud varium non variabilis
Bertholdus ſubiit. Num ſatìs? Inferos
In ſe nil metuens provocat, inquiens:
Occidam, licèt occidam.

X. WERNHERUS Luitpoldi Abnepos Dominus Schyrenſis.

Wernherum Proavis Regibus editum,
(Quem forti & Bavaro pectore præditum
Teſtantur Pater, & Natus) atrociùs
Preſſit cæca Venefica.

Nam Wernherus ubi duxerit ultimam,
Belli ſive domi, aut quomodo, lineam,
Liquit nec minimam perfida lineam,
Aut fors abſtulit improba.

Sed Wernhere tibi gratulor unicam
Cum Longo Generis Stemmate Lineam,
Præ libris poterunt dicere Liberi
Quantus tu fueris Pater.

Summis ima, imis ſumma ancipiti viciſſitudo
Miſcet connubio. ſtant, quæ cecidêre, quæ ſtetêre
Verſa cadunt. Bavaros Variatio fecit ambidextros,
Ut clypeum aut arcum ferrent, feriendo vel ferendo.
Hinc, ſeu blanda micet Dea mimica, ſeu graveis furores
Ex levitate coquens in eos tonet, ac furat; ſiniſtrâ
Ac clypeo utuntur (ſi dextera nil poteſt, vel arcus)
Dextra gerit gladium: dextram reſecas? ad arma lævam
Extendet dextrè Bojus Cynegirus. Eſt perinde

Vivere, ſive mori, modò fortiter inter arma, & hoſtes
Stent celſi, invictíque animi. Quatuor vide ſequentes
Quot Schyrenſes, quot Wittelſpachios, tot & Leones:
His *Ducibus* pandenda fuit Bavaris via ad *Ducatum.*

XI. OTHO. I.

Sicut ſub mediis nubibus abdita
Connivere ſolet Cynthia ſuaviùs,
Dum peplum removet, nubila disjicit,
Cœlo cornua jactitans.

Sic Schyrenſis Otho triſtia noctium
Diſpeſcit, modicam quando laciniam
Ex agro Boico vendicat, addere
Carptim cætera cogitans.

Atque Hic Kelhemium à Cæſare rettulit
Ob navatam operam rebus in arduis.
Hoc ipſum fuerit pœna ſtipendium,
Ut pridem ſibi debitum.

Et ſanè labor eſt (fortè moleſtior
Bis ſenìs) decimus tertius Herculis
Æquo poſſe animo cernere, prœmium
Ex burſa propria dari.

XII. OTHO II.

Ringere jam rabioſa canis, macra, ſcabra, lippiens, &
Non niſi nobilium paraſita vorax cupediarum
Invidia, in ſola quæ paſcere Principum ruina.
Emicuit modò primus Otho, alter Otho ſequens priorem,
Schyrenſes radios jam magnificentiùs propagat,
Quos ægrè poteris tu talpa pati, diem peroſa.
Hinc & tu, & Fortuna Parens, Bavaros Duces ad altum
Tendentes apicem, nolite diutiùs tenere.
Nam Bojos quæcunque tenet, tenet auribus Leonem.
En quàm magnanimo ſubigat pede te, tuámque Matrem
Bojus Otho, qui ſe totum uſque adeò dedit Gradivo,
Semper ut in Galea dormiret, & ocreatus & ſtans
Pranderet. Si pugnandum fuit, ac eundum in Hunnos

Præ-

Præmittatur Otho: dictum eſt, Otho debet eſſe primus,
Hic præeat: ſequimur. Dubitatur, an aggredi expediret?
Experiatur Otho, dictum eſt: ſine ſtrage non redibit.
Hic, hic Pannoniæ ſcit plectere Cerberum trifaucem,
Quem ſemel ac iterum domuit madidus cruore membra.
Hinc erat è reliquis Otho Cæſaris intimis Achates,
Pupilla, alter Ego, vel Theſeus Herculis, vocatus,
Ac individuus Belli ſocius: Sciunt id Hunni,
Sed pauci, quia pleriſque armipotens Otho loquelam
Abſtulit & vitam. Qui Dux Alemanniæ creatus,
Jam meritis anníſque gravis potuit dolere id unum,
Quòd Patriam externi Domini regerent, eámque tanto
Tempore regnatam deglubere, quàm juvare mallent.
Non tamen indoluit; patiens tulit, ut decet; mereri
Fortiùs eſſe ratus, feliciùs eſſe poſſidere;
Præpoſuit ſpartam Ajacis clypeo diſerti Ulyſſis.

XIII. OTHO III.

Sed dic Muſa Virum, dic mihi Romulum,
Qui Wittelſpachicæ Primus Originem
Fundârit Domui, quos lapides Faber
Pro Fundamine legerit.
Illam ſtruxit Otho, Nomine Tertius;
Hic eſt ille Ducum Semideûm Pater,
Hic ſumpſit lapides non niſi Lydios,
Ædes ut ſtabilis foret.
Quadrant in lapides cedere neſcii,
Si vel terra ruat concita; fruſtrà agis,
Fortuna hos lapides nulla movere ſcis,
Omnem etſi lapidem movens.
Certè magna pati Lydius eſt Lapis
Virtutis; ſimili condita marmore
Stabit Boja Domus: ſic Otho condidit
Hanc Wittelſpachiam Domum.

Summum ſupra apicem conſidet, inquies
Fortuna inſtabili lege volubilis,
Cauris Ludibrium, ſemper in Orbitam
Quam venti ancipites rotant.

XIV. OTHO IV. Sapiens.

Nunc tandem prodibis Otho Comitum ultimus, ſecundus
Ex Wittelſpachiis, qui conſilio, manúque dexter,
Plus quàm Ariadneo feliciter explicare filo
Fortunæ Labyrinthum, abſtruſáque caſuum ſciebas,
Perplexos quandóque dolos ſolüens acinace, inſtar
Pellei Juvenis, qui Gordia vincula enſe rupit.
Jam Nomen Sapientis habes: Tibi Fama Laureatos,
Miſeni præeunte tubâ, Sapientis inſonabit
Per mundum titulos: *Sapiens dominabitur* deinceps
Boiariæ ſanguis. *Sapiens* Boicæ imperabit Aſtrìs.
O Magnæ Sol Gentis Otho! Comitum ſupreme, poſthac
Perpetuos geniture Duces, ſeriem vide ſequentûm.
Occurret tibi quintus Otho, Ludovicus Imperator,
Et Pater Emmanuel, & cum Patre quinque parvi Othones.

OTTO-



Cosmas Asam del. Monachÿ. And Matth Wolffgang Sc. Aug V.

OTTONI
MAGNO
VVITTELSPACHIO
ALTERI DOMVS & PRINCIPATVS BOJARICI
CONDITORI,
HEROI
IN UTRAQUE FORTUNA INVICTISSIMO.

ORATIO.

ITaliam, Italiam conclama, MAGNE OTTO! Non opus Tibi Hannibalis aceto, quo immania montium juga diſſolvas. Non aheneâ Martis clavi, quâ obſeratas valles bipatentibus portis recludas. Non denſo telorum imbre, quo aſperum, ac devolutis ſaxis impeditum iter emollias. Hominum fidem! Vix Nominis Tui rumor allapſus eſt, & jam repercuſſa centies victoris vox per totam latè regionem inſonuit. Teipſum prævenisti, Fauces Veronenſes priùs intrando Gloriæ Tuæ Famâ, quàm accumulata diſcrimina magnanimo pede conculcan-

do. En! ſpontaneâ ſui deditione Portas triumphales reſerat, quod Achillis robur, & Ulyſſis dolos eluſurum jactabatur, Caſtellum Rivola. Vah! quàm amplus & uſque ad Tyrrhenum mare, quin imò Columnas Herculis, protenſus Fortitudini tuæ aperitur campus! Hic ille patebit Circus maximus, in quo Ludos Olympicos cum Tui paribus celebres, Magnis Perſarum atque Græcorum Domitoribus. Ignoſce igitur, ſi quid prætérlapſis annis in Te deliquit, Fortuna. Non ampliùs ſterile aratur littus. Plenis nunc ea carbaſis, ac irretorto curſu votis tuis velificatur. Illius crede obſequium, quæ tibi applaudit Populorum acclamatio. Illius æſtima largitatem, quæ undique convehuntur tributa. Illius interpretare mancipatum, quam ſubmiſſi à Provinciis nuntii certatim offerunt obedientiam. Quaſi verò Fortunam non noverim, verbis æternitate dignis reſpondes. Explicat vela ſua, ut ad ſcopulos naufragam navim allidat. Rotam in ſublime contorquet, ut caſu graviore præcipitet. Coronam nectit, ut inopinatò laqueum injiciat. Palmam prætendit, ut ſtrictum pugionem abſcondat, infida, varia, & Magnas Animas ſemper perſequens Fortuna. Deſpicio, quæ ambitioſos ſui procos aſpernatur. Relinquo, quæ fugientes ſe inſequitur. Cogam, quæ non niſi invita ancillatur. Vates ipſe tuus extitiſti, MAGNE OTTO, Laurum vel ob præſagia impleta meriturus. Jámque primum contra Te inſultum parat loquax Fœmina, conſiliorum animam, ſilentium, intempeſtiva voce elidendo. Mittebaris ab Imperatore Friderico Ahenobarbo, cui à Gladio & Aquilæ Vexillo fuiſti, ad vicinum Derthoni Caſtrum expugnandum. Quis de ſecundo eventu dubitâſſet, ſi vel exploratos ſecretiores Caſtri aditus, opportunum tegendis inſidiis tempus, milites manu promptiſſimos, in omnem occaſionem defixos Duces conſideraret; vel Tui ſolius vultum, rei è ſententiâ gerendæ ſponſorem ac certæ victoriæ vadem, intueretur? Præceperas, ut quamprimùm in Arcis vallum, cui imminebas, evaſiſſet cohors, elato terrifico clamore, atque exerto

erto ſimul omni armorum genere hoſtem obrueret, citiùs ſanè futurum juſti furoris tui victimam, quàm ſe irruptionis metam deſignari intelligeret. Sed adverſantis Tibi Fortunæ teſſeram animadverte. Illius vox erat, quam tuorum militum quidam præproperè extulit, & Arcis inimicæ præſidiarios ad vim arcendam infeliciter excivit. Perrumpis quidem aperto Marte, &, quod dolus non poterat, Virtus Tua evincit. Caſtrum expugnas, & hujus unà victoriæ ſpectaculo Derthonem ita percellis, ut in Imperatoris poteſtatem miſſis caduceatoribus concederet. Interea impunè dilapſa eſt malorum incentrix Fortuna; atque cùm invidæ ſuæ linguæ aculeo Ottonianum Nomen configere haud valuerit, manus exitiali machinæ admovet, quâ Gloriam Tuam ex alto repentè proturbet, ac in triſtiſſimam ignominiæ abyſſum demergat. Fervet opus. Veronenſes, factâ ſibi gratiâ, ne Cæſareis copiis per ipſam ſuam Urbem tranſitum permittere cogerentur, navalem pontem fluvio Atheſi imponunt, eâ tamen arte conſtructum, ut impactis trabibus, quæ circa proximum Urbi littus in promptu erant, facilè ac inopinatò diſſolvi poſſet. Immines non fictam cataſtrophen edituro theatro, ſed eorum, qui doloſas ſcenas adornaverant. Premis fluvii littus, in quo irritis conatibus jam parabatur inſcriptio:

Boicus hic O T T O nomina fecit aquis.

Ingrederis navalem pontem eo conſilio & ordine, ut ambiguum initio relinqueres, an miles tuus ad crepidinem adhuc ſubſiſteret, vel progreſſus jam eſſet, an iterum retrocederet. Tum mirâ celeritate ſuperato ferme ponte, Perfidiam ex inſidiis erumpentem tamdiu ſimulatâ fugâ ſuſpendis, uſque dum ultimum tuum agmen converſo rurſus in hoſtes ferro eos omnes hauſerit, quos pons tum primùm diſſolutus rapido fluvio in prædam non objecerat. Adverſam pariter Fortunam eodem naufragio involutam fuiſſe crederem, niſi alis etiam, quibus avolaret, inſtructam nôſſem. Et enimverò in impendente flumini Atheſi difficillimâ rupe novum denuò Fortitudini Tuæ negotium faceſ-

 ſit.

ſit. Inſederat cacumen illud naturâ & opere munitiſſimum Albericus cum quingentis ad audenda ultima conjuratis, & , corvorum inſtar, adversùs Aquilam crocitantibus: Advolaret propiùs, ſi deplumari ambiret. Roſtro ſuo editæ rupi inſcriberet: hìc denique metas rerum & tempora Armis Cæſareis eſſe poſita. Ageret modò, & ſuis unguibus Sceptrum ac Gladium præferret, quos ad hoſtium pedes pro lytro deponeret. Dejectos lapides pro mutua ſalute, riſum ac ſibilos pro applauſu , emiſſa ſpicula pro ſigno deditionis acciperet. Infelicem profectò Ottonem , qui , ſi vincat, temeritatis notâ fortitudinem ſuam commaculet; aut ſi occumbat, in conſpectu hoſtis à ſaxis protritus, irrisâ nec vindicatâ morte partam hucuſque gloriam ſepeliat ! Ita, temeritatis maculam non effugiſſet, ſi præter Ottonem alius tantæ molis opus attentâſſet. Sonate litui ! feſtivus clamor totis Cæſareis caſtris extollatur! Aquarum mæandros eluſit; decidentes lapides in ſcalas adaptavit; natas inter ſaxa ſpinas ad ſaltum in ardua promovendum amplexus eſt; triumphale vexillum in ſumma rupe defixit; ac interceptos corvos victrici Aquilæ dilacerandos obtulit Wittelſpachius. Erigere nunc ſupra cadaverum & ſpoliorum acervos MAGNE OTTO, ac ſimul inimicæ Tibi Fortunæ ex eadem rupe lapſum conſidera, fatalem equidem illi futurum, niſi prædabundi Græci in Italiam recèns advecti medelam ac vires ſubminiſtrâſſent, quibus ea in Caput tuum nova arma cuderet, & maſtygem Ottonianæ Virtutis animum confirmaret. Quò ruis, vix tanto periculo defunctus , ac nimiùm Fortitudini Tuæ confidens Otto ? Sapientis eſt, mutare conſilium, ſi huic inhærendo debitus erga Rempublicam amor verteretur. Prô ! abundè livori ac inveteratæ iræ litavit Fortuna, dum ſuæ Te cæcitatis participem reddidit, quâ faſcinatus Raveñatum cum Græcis colludentium agmen non conſpicis, ut Te, comite propemodum omni deſtitutum, ex improviſo opprimat, atque adeò in Ottonis ſolius jugulo ſpes Italiæ & Germaniæ univerſas inter-

tercludat. Verùm quid ego Te Comite deſtitutum pronuntio, quem obfirmata in ſubitis caſibus prudentia anteceſſerat, nullo metu expalleſcens magnanimitas ſtipabat, variis belli ſucceſſibus nunquam non intenta vigilantia ſequebatur? An ad hoſtilium Ravennatum conſpectum fugâ Tibi conſuluiſti? An abjectis armis ſalutem auro mercatus es? An ſupplice ſermone mitem captivitatem implorâſti? Quinimò hoſtibus appropinquas, & Leonino velut rugitu vulpium gregem exanimas. Siderati conſiſtunt, quos minacis linguæ tuæ fulmen percuſſit. Arma manibus demittunt, quæ exerti à Te gladii fulgor hebetavit. Guilielmus, hoſtium Anteſignanus, quis hoc, niſi de Ottone credat? in vincula abſtractus prædonibus Græcis exemplo ſuo perſuadet, nulla alia in re præſidii quidquam ſupereſſe, quàm ſi emenſum mare repetentes, velis, remisque omnibus formidabilem aſpectum tuum ſubterfugiant. O factum Doricis Obeliſcis, Corinthiorum ære, Athenarum ſuadâ digniſſimum! Jam non obſcurè intelligo, quid Equus Trojanus in Gentilitium à Te ſymbolum aſſumptus, muta quamvis in tabula, eloquatur. Fuerit olim ille Græcorum Fortitudinis monumentum, quâ decantatiſſimam Trojam poſt decennale Bellum ſuæ poteſtati ſubjecerunt. Nunc verò in immortale ceſſit Ottonianæ Virtutis ſpolium, quæ Græciam armis & dolis exutam profligavit, ac in ſuas iterum latebras concluſit. Mirum dictu! Neque etiam, novercalis licèt, Fortuna Te cominus auſa fuit deinceps impetere, MAGNE OTTO. Eminus Te vulneri eheu! quàm profundo, nec ulla cicatrice obducendo ſcopum præfigit, dum eorum omnium Tibi vulnera exhibet, qui reſtitutum avitæ Bojariæ Ducem in Ottone contueri, votis & ſuſpiriis ardentiſſimis deſideraverant. O tempora funeſtiſſima! Jam Theodonum Pæan in leſſum, Utilonum trophea in doloris theatrum, Thaſſilonum ſplendor in lugubrem umbram deſinere properabant. Ruinam ſpectabat Sereniſſima Domus, quæ Terrarum amplitudine non contenta, ipſum Cæleſte Re-

gnum in Carolo Magno, & Henrico Imperatoribus, Sanctorum Gloriâ redimitis, occupaverat. Plus quàm ducentis annis exulârunt hæreditaria Ditione Principes, quos exterarum etiam Gentium gratulabunda contentio Patriæ Patres ſalutaverat. Bellè luſiſti Fortuna! In Danubio & Oeno, quos à Boicis Ducibus avulſiſti, vela tua expande. Triumphalem Tibi Coronam præpara ex Gentilitiæ illorum Arboris frondibus, quam duorum Sæculorum labore ſucceſſiſti. Non ſupereſt, quò infelicem Rotam ulteriùs deprimas. Faſtigium odii tui attigit, ad imum depreſſa Theodonis deploranda Poſteritas. Enimverò ſupereſt, O nuntium utrique Orbi lætiſſimum! ſupereſt, qui adverſantis Fortunæ ratim confringat; Glorioſiſſimam Arborem non modò corroboret, ſed novas ex illâ Coronas appendat; Fortunam meliorem, & ſolâ ſui diuturnitate rotæ ſimilem ſubſtituat. Supereſt, quidquid ringaris Fortuna! alter Sereniſſimæ Bojaricæ Domûs Conditor, Principum ac Heroum ſplendor, Wittelſpachius. Confirmaveras, MAGNE OTTO, Avi Tui, immortali memoriâ digni, celebratiſſimam donationem, quâ ipſa adeò Familiæ ſuæ incunabula, Schyrenſem Arcem, Divorum cultui & amori inauditâ, ſanè religione conſecravit. Ex hoc propugnaculo pro Domo Tua depugnarunt Superi omnes, cùm victricia interim arma pro Romani tantùm Imperii ſalute circumferres. Abundè ſpectavit Cœlum, quod cum adverſa Fortuna eò uſque perduxiſti certamen, ut illa, ubi te teneret, non ampliùs inveniret. Reſtituitur Tibi Cæſareo Decreto Bojariæ Ducatus, hæreditario priùs jure debitus, nunc Virtutis Tuæ præmium, ac merces feliciſſima. Quis Tullianâ etiam facundiâ præcellens hîc animi tui gaudium, quis gloriæ magnitudinem aſſequatur? Divitiæ amiſſæ, ſi recuperentur, novum theſaurum afferunt, longa deſideria complendo. In majore ſanitas habetur pretio, quæ gravi infirmitati ſucceſſit. Poſt denſiora nubila ſplendidior elucеſcit Phœbus. Acuitur lætitiæ ſenſus, quam iniqui temporis luctus intercepit. Nova videtur

detur pulchritudo, quæ carendo magìs intellecta eſt. Altior apparet Dignitas, ad quam ardua merita extulerunt. Primùm geniti æſtimantur Liberi, quibus antiqua Nominis claritas, Ditionum poteſtas, ſubditorum redditur famulatus. Tu ipſe Tibi reſtitutus es, ubi Ottonem Patria recepit, quæ intimo tuo animo, & amore nunquam exciderat. Sed quid ego inexplicabilis lætitiæ plauſum interpello? Junge, Ducum Invictiſſime, triumphali Quadrigæ Leones Boicos, Herculeæ Virtutis monumenta. Currum præcedant captiva Græcia, & omni Junone erga Te ſævior Fortuna. Emicent in præcelſis labaris depictæ Urbes, quas expugnâſti, Fauces & Pontes, quos tranſgreſſus es; Victoriæ, quas retuliſti. Coruſcans in Imperiali Vexillo Aquila te Cuſtodem & Altorem ſuum concelebret. Ipſa propè te conſidens Sereniſſima Bojaria æternæ fidei ſuæ annulum Wittelſpachianæ Familiæ in tuā manū inſerat, Hymenæo nulla unquam tempeſtate abrumpendo. Utinam & huic tam inſigni pompæ liceret ſuperaddere, quod in Theodoſii Magni Imperatoris triumpho decus erat præcipuum, atque gaudiorum ſeges ampliſſima! Quemadmodum enim ibi ad utrumque Laureati Victoris latus in eodem curru vehebantur Honorius & Arcadius, Paternæ Gloriæ Hæredes, ita jam & Tibi conjungere exoptarem, *Pios*, *Conſtantes*, *Magnanimos*, *Religioſos*, *Sapientes*, *Pacificos* in Bojarico Throno Succeſſores. Tales nimirum, tantósque in omni Virtutum & encomiorum genere Principes ac Duces immortalia tua Merita promittunt; vel, ut univerſos in uno complectar, à quo Teipſum ſuperari ultrò glorieris MAXIMILIANUM Nomine quidem, ſed Fortitudine nulli SECUNDUM, atque adverſæ præſertim Fortunæ Debellatorem MAXIMUM.

EIDEM OTTONI MAGNO VVITTELSPACHIO.

CARMEN EPICVM.

PROVIDA MENS, quæ cuncta moves, quæ cuncta gubernas,
Et ſtabili vice fata regis: præſaga futuri,
Conſcia præteriti; cui ſunt mortalia curæ:
Da mihi digna tuo SPECTACULA pandere cœlo,
Quæ mundi vaſto tibi luſit in Amphitheatro,
Ludere Te coram, quæ ludere gaudet in orbe
Terrarum illa tuæ ſoboles pulcherrima Vocis,
Nec magno Genitore minus, Sapientia, Numen.
Tu præſens aderas, Tu ludos, Diva, gubernans
Nobile ſpectabas Magni certamen Othonis,
Atque intra Te cernis adhuc; nam Túte Theatrum
Es Tibi: quæque extra Te cernis, cernis & in Te;
Spectatrix ipſa & ſpeculum, pictórque, & Imago.

Prov. 8. v. 30. & 31. Verbum Divinum

Nempe

Nempe sua & Superis dantur spectacula, nulli
Nec Romæ quondam, bimari nec visa Corintho.
Ecce DEO dignum, quod non nisi Sidera spectent,
Nobile par Pugilum! Scandit Virtutis arenam
Compositus, Fortuna, Tibi VIR FORTIS, & hostem
Lætatur, reperisse parem. Jam brachia Luctæ
Expedit, & per te meriturus nomina Magni
Pugnam spirat OTHO. Tu torvo immobilis ore
Heroëm, Fortuna, notas & lumine utroque
Metiris, numerásque Virum: non nescia, quantus
Hic tibi jam teneris Heros sit visus in annis:
Te mandante, puer cùm cederet hostibus, obses,
Et pulsus patriâ est, qui vix erat ubere pulsus.
Ille tamen gemitum tenuit, meminítque; patere
In Patriam reliquum, si desit Boica, mundum.
Quod si nulla mihi, nisi Cœlum, Patria; totúsque
Ingens exilium est, quà latè tenditur, orbis:
Exilium mihi mutat, ait, non imperat hostis.

Vocibûs hîs sese firmabat parvulus Exul;
Plura loqui piguit. Nec enim, sapiente superbam
Qui fastu Sortem calcat, verbosior iras
Prodigit, &, nimio fassus clamore dolorem,
Vulneris auctori multa ac metuenda minatur.
Est hæc de tumida generosior ultio sorte:
Pauca loqui, dum sæva furit, dum miscet averno
Sidera. Non irâ tantùm, vel vindice pœna,
Sed verbis etiam se pluribus esse minorem,
Vindictæque locò majus nil posse mereri
Se gravior fortuna sciat, nisi *pauca Catonis*
Verba, sed à pleno venientia pectore veri.

Talia dum meminit parvum quoque nuper Othonem,
Pauca quidem numerô, sed non sine pondere verba

Seneca L. de Prov. c. 2. Ecce Spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus, ecce par Deô dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. atq; hic textus carminis hujus occasio, & fundamentum est.

Otho, Magni nostri Parens, ab Imp. Conrad. Kelhaimij obsessus, obsidem dare coactus est hunc ipsum, de quo canimus Othonē. Adelzr. P. 1. L. 23. n. 83.

Intorſiſſe, VIRI metuit fortuna LACERTOS,
Quæ pueri vix ora tulit. Jam pœnitet iræ,
Pœnitet hunc legiſſe ſibi, quem vinceret, hoſtem.
Ergo tuis, Princeps, ſe ſubductura triumphis,
Iratum placidô vultum caſtigat amœnô;
Aggrediénsque novam Siren blandiſſima Luctam,
Amplexus tibi mille parat, curvatáque collo
Brachia diſpenſans, amplexibus oſcula jungit,
Utque ſuus, rogat, eſſe velis. Tibi munera mille
Et titulos, dignúmque tuis virtutibus oſtrum.
Et nexis formoſa offert talaria pennis
Cæſaris ipſa tuæ ſpondet PRÆTORIA curæ.
Tu, quod ſorte alii, ſolitus virtute mereri,
Rejicis oblatum, metuisque in munere fraudem.
Purpura nulla placet, niſi quam vel ſanguine Victor
Ipſe tuo, vel victa ſuo ſors murice pingat.

Adſcitus eſt à Friderico Ahenobarbo ad Prætorij præfecturam. Adelz. P. I L. 23. n. 83.

Celebré legationem Byzantin.

Sic & blanditiis major, tua ferreus ora
Avertis; totúmque vocans in pectus Othonem
Excutis amplexus, tergóque inopinus adhæres.
Illa gemens, & gnara ſuas, quas velleret, alas
A Victore peti, ſubitò ſe vertit, & arcto
Non ſatìs è nexu facili ſeſe expedit aſtu
LUBRICA: non oleo, vaſtum quo corpus inungit
Luctator, veteris ſervato more palæſtræ;
Sed LEVITATE SUA. mox, cùm ſibi cerneret hoſtem
Inſtare implacidum, paſsis ſe celſior alis
Proripuit, tergóque dato, ſua fata præivit.

Alatam enim fortunã pingebant Romani, ùt Plutarchus teſtis eſt.

Quà propiùs Verona ſuas ſtupet ardua, Fauces.
Nubibus immiſtum ſedet inſuperabile Caſtrum:
Summus ubi tumidum poterat vitare Mimantem
Jupiter, háſque ſuo latebras præponere cœlo.
Sed non eſt hoc artis opus, pars altera Caſtri

Sunt Fauces, quas uno latere Atheſis per confragoſa decurrens, ex altero imminens amni rupes cogunt in ar[illegible]um, Adelz. P. I. L. 21. n. 27.

Præ-

Præcipites ſcopuli, ſciſſæque in ſidera cautes:
Altera pars Atheſis; qui poſtquam turbidus amplum
De nive montana labris ſpumantibus hauſit,
Quod Reginæ Adriæ pendat vectigal aquarum,
Transfuga maternas hîc linquere cogitat alpes.

Huc fugit, & ridet, quem formidaverat, hoſtem
Intra alpes fortuna ſuas. Jam vivere raptô;
Infeſtare vias, ſubeuntes ſternere ſaxis,
Téque ſibi prædam gaudet promittere, Cæſar;
Cui mundus tunc præda fuit. Sic improba ſummo
Inſultans Capiti, reliquum quoque ſpreverat orbem
Ingenio confiſa loci; ſoliſque volucrum
Gentibus acceſſam ſe tunc fortuna putabat.

Graſſatorum enim globus has fauces inſederat. id. ibid.

Et repetenti Germaniam Cæſari præcluſerat Brunnerus in Wittelſp

Sed pennas & Bojus habet. ſtat rupibus ipsis
Major Otho, ſociúmque ſuis ſeſe inſerit aſtris.
Illa quidem facibus, miſtáque ardentior irâ
Obvia ſcandenti properat. ſed cedere juſſit
Nix Alpina faces; & vicit mollior hoſtis.
Ergo nives in tela parat; teneríque ruinas
Velleris è ſummo ſcopulorum culmine mittit:
Augeat ut pondus vires; & creſcat eundo.
Sed ter centum ignes oculis Herois & enſe
Abſiliunt, ſolvúntque gelu. per ſaxa, per enſes
Sternit iter Princeps, & milite major, & auſis.

Quod latrones fecerunt, id tribuitur Fortunæ.

Heu quid agas deprenſa tuo, Fortuna, *cubili?
Quò fugias, ſi nec, quæ vertice ſidera pulſas,
Te præſtent tutam? Superóſne movebis an orcum;
Quæque tuis, O ſaga potens, ex artibus una
Eſt ſuper, arcano deduces carmine fulmen,
Quo Magnus ſternatur Otho! Sed nubibus ille
Celſior eſt, Solíque ſuo dum proximus hæret,

*Similitudine deſumpta à feris, quorum latibula et à cubilia dicútur.

Alluditur ad fulmen Vatican. quo ſimul cũ Cæſare, Otho noſter ab Alexandro pontifice ictus eſt. Adlz. p. 1. l 22. n. 16.

 À Jove

A Jove nil metuit; ſubjectáque fulmina ſpectans,
Fortunæ ſuper aſſurgit Cœlíque tumultum.
Téne hoſti credas, inimicáque ſupplice ſtringas
Genûa manu? Dominúmne feres Fortuna? quid Orbis
Interea? veniámne putas orare decorum?
Vanus at hic pudor eſt. qui felix, ille decori
Serviat, infelix vitæ. ſi turpe rogare eſt,
Dedecus omne levat Victor, cui vinceris uni.

Hæc ſibi tunc Fortuna canit: quámque antè reliquit
Imbellis, ſecum nunc inchoat anxia luctam.
Mille metus inter, tacitáſque miſerrima curas
Æſtuat; adverſo veluti ſi fulgida ſole
Unda tremit. Nec ſtat jam, nec fugit; ítque, redítque;
Deſperat, ſperat; mentem pudor iráque jactant.
Donec ab averſæ veniens Otho culmine rupis
Occupat incertam; libratóque altiùs enſe
Inſurgens: ſtandum eſt, inquit, Fortuna, nec ultrà
Jam dabitur, noſtris ut ſurripiâre triumphis.
Dixit, & ingenti ſecat ambas vulnere pennas.
Mox, procul abjectô curvans ampliſſima ferrô
Brachia, jámque pari ſtantem miratus in ira
Princeps Fortunam (quid non, ſi cogitur, audet
Ipſe metus?) cœptam repetit poſt prælia Luctam.
Non ſic, quem Libycis Tellus effudit in arvis,
Antæum ſudâſſe ferunt; dum nulla cadendi
Spes ſuper, atque piæ Alcides alimenta Parentis
Eripuit miſero: quantis Fortuna ſubactos
Tunc ſenſit fumare ſibi ſudoribus artus.
Audit anhelantem, prohibétque quieſcere Victor.
Urgetur pede pes, premitur frons fronte; diúque
Cèrtavère pares: hic robore, fraudibus illa.
Ter Fortuna Viri veſtigia fallere tentat:

Quam Otho tandem ſuperavit, obſeſſis latronibus ferro aut præcipitio hauſtis.

Ter

Ter ſine profectu. Ille ſuo ſtat pondere tutus,
Hæc agili levitate præit; quâ mollia firmis
Sæpius è manuum prior explicat ilia nodis.
Ipſa tamen levitas damno fuit. immemor arcti,
Quod dedit ad luctam ſpatii Natura ſecundam,
Dum fugit adverſa, & fugiens tamen obſtat Othoni,
Ecce ruit præceps (quàm tunc optaverit alas
Infelix habuiſſe ſuas!) applauſáque ſaxis
Undique, in immenſæ vallis deſcendit hiatum.

Perire debuit & virtute Herois, rupem ſuperantis, & vitio ſibi maximè proprio.

Terra dedit victæ: Victori Sidera Plauſum.
Ipſa etiam Magno jam Fama laborat Othoni:
Artifici dum pingit acu, quam conſcia luctam
Spectârat, Bavarámque jubet pendere per Aulam
Argumentum ingens, & inenarrabile textum.

Alluditur ad pretioſiſſimos tapetes Aulæ Bavaricæ, in quibus deſcripta ſunt acta Noſtri Othonis

Ille ſuo indignans aliquid periiſſe triumpho:
Communem ſecum palmam quòd Caſus haberet,
Arripit abſciſſas, tergóque accommodat alas,
Inde, reluctantes pennis vincentibus Euros,
Ingreditur clauſas ales ſubitarius Urbes.
Spicula nulla Virum, non funda moratur: & aër
Vulnera ſolus habet, telum ſi torqueat hoſtis.
Hoc quoque remigio fluvios trajecit, & amnes;
Nec fuit invictum quidquam. Vel Roma volantem
Obſtupuit, telóque omni, qui celſior iret,
Credidit eſſe Deum. Tandem Bojaria feſſum
Excipit; útque ſolet, tantæ digniſſima reddit
Prœmia Virtuti, celſa dum ſede locatam
Et ſceptro, & magni fortunâ Principis auget.

Mediolanum (quanquam Cæſaris hoc potiùs opus fuerit) Veronam, Mantuam, Cremonam, Rivam à Veronenſium [illegible] Arcem, ſolâ Nominis famâ occupavit. Adelzr. p. 1. l. 22. n. 4.

Nominatim Padum, adjuvante, ut Brunnerus [illegible] naturâ.

Ovidius devolante Dædalo.

Longa dehinc ſeries, & magna propago Deorum.
Quos inter dum, Magne, vides regnare Nepotem,
Qui nec ſucceſſu tumidus, nec triſtibus impar,
Robore fortunam, factis ſuperavit Othonem:

 Id

Boico Principatu auctus, & magni ſanguinis auctor, utpote à quo hodierni Duces deſcendunt.

Id tibi ne doleat. Superari maxima laus eſt,
Hic ſi te ſuperat, cui tu ſuperare dediſti.
Hoc Patrum decus eſt, hæc gloria grandis Avorum:
Majores aliis, hæredibus eſſe minores.
Hoc tibi ne doleat. Vinci tua maxima laus eſt,
Is cùm te vincit, cui, ne non vinceret, auctor
Primus eras. Decus hoc Patrum eſt, hæc grandis Avorum
Gloria: famâ alios & geſtis vincere, vinci
A Natis, ſoliſque NEPOTIBUS eſſe MINORES.

XXVI. OT-



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES AB OTHONE M. WITELSPACH
USQUE AD MAXIMILIANUM EMĀNUELEM HODIERNUM V.B. DUCEM AC ELECTORĒ

XXVI.

OTTO MAGNUS VVITTELSPACHIVS, OTTONIS IV. FILIVS, BOJARIÆ DUX.



Dux ego ſum, Bojos qui in priſtina jura recepi,
Non tantùm Magnus Corpore, verùm animo.

ESt aliquid inter parvos eſſe Magnum; ſed inter Magnos excellere, & Dici Magnum inter plurimos, qui & ipſi non parvi ſunt, hoc enimverò eximium, præclarum, imò maximum eſt. Progenitores Bavari hactenus omnes MAGNI; qualis igitur erit Otto hic, qui magnitudinis prærogativam etiam inter hos eſt conſecutus? Ejus decora ſimul omnia eruditiſſimis enarranda calamis relinquimus (tam multa enim ſunt, ut hîc nec locum, nec dignam reperiant eloquentiam) nos ad inſtituti noſtri rationem illa tantùm attingemus, quibus elucesſcat, Bavariæ hunc Ducem maximum, FORTITUDINEM IN UTRAQUE FORTUNA LEONINAM ſic exhibuiſſe, ut vel inde hoc faſtigium Dignitatis & Nominis ſit commeritus. Primùm quidem Fortunam quæ proſpera dicitur, ſeu felicitatem, ſibi ſubjugem totam habuit. Vir cùm

Author. Geneal. plurimi.
Brunnerus in Excubiis.
Adelsr. p.1. l.21. fol.580. & alibi.
Gevold. Gen.15.
Reuſn. fol.210.

esset animo pariter, ac corpore excelsus, audax omnia perpeti pro virtute, omnia perpetrare pro honore, quique hoc in scuto suo gentilitio præferret, AUDENDUM; Summa quæque aggrediebatur fortiter, feliciter exequebatur. Nullum per ea tempora bellum gestum est, in quo Mars ipse aut Mercurius non fuerit, omnium certaminum particeps, omnium pars Victoriarum. Friderico Ahenobarbo sive Barbarossæ Cæsari militabat; sibi, posteris, æternæ gloriæ Palmas colligebat. Romana ei concredita erat Aquila; Imperii insignia hæc ferebat ante exercitum Dux, & Signifer; sed ipsum, quocunque ibat, præcedebat pavor, Victoria & Fortuna comitabatur. Ea erat fortitudine, cui obstaret nihil; ea felicitate, ut Fortunam aureis ligatam catenis trahere videretur. Legatus in Italiam & Græciam missus, admirationem urbis & orbis obtinuit. Repræsentavit Catones, & Camillos in Pace, in bello Scipiones & Marcellos; Italiam præcipuè Victoriis illustravit. Clarissimæ erant, atque nunc etiam celebratæ, Bellicæ illæ faces, quas ad mœnia urbis Mediolanensis se dedere renuentis accendit, felici stratagemate, illustri gloriâ. Ferrarienses solo suo adventu consternatos in ordinem redegit. Ravennates, & Græcos cum jis fœderatos, non fulminante dextrâ, sed Majestate vultûs & sola oratione Ottoniano spiritu plena compescuit. Ausa est hunc Victoriæ & felicitatis cursum sors perfida sufflaminare, quæque famulabatur hactenus, jam compedes suo Hero minabatur. Ad consules creandos Mediolanum venerat Otto; ubi plebs in seditionem versa, eum oppressura, aut carceribus saltem mancipatura fuisset, nisi suburbani hospitii commoditate periculum evasisset. Non multò pòst tristiorem adhuc fabam, vel potius gravissima fulmina in eum cudit sors iniquissima. A Monte Capitolino Summus Pontifex in eum detonabat, & Diris devovebat hominem Cæsareis partibus addictum: Anno enim post millesimum & centesimum quinquagesimo nono schisma teterrimum ex Sacrorum Comitiorum dissidio in Romanam invectum erat Ecclesiam. Patrum pars maxima, penes quos erat jus eligendi, Pontificem dixerunt ALEXANDRUM: dissidentes alii à reliquorum Purpuratorum Senatu VICTOREM IV. intruserant. Scissa erat in Factiones Ecclesia; Fridericus Imperator, qui parùm favebat Alexandro, pro VICTORE steterat. Otto Wittelspachius militaris ingenii vir, Cæsaris studia, & ipsam malam Fortunam eò trahentem secutus, se quoque totum addixerat VICTORI, eúmque per Campaniæ civitates oberrantem suis præsidiis juvit, confirmavítque. In deterrimam id partem acceptum Romæ; quare cùm VICTOREM abortivum Pontificem, & Imperatorem Fridericum Alexander Papa Sacro Anathemate percuteret, eodem quoque tangebatur Wittelspachius. Grave utique fulmen, si in Virum cadat, Religionis Studiosum, cultorem DEI, qualis erat Otho. Sensit itaque rem dolenter; sed ictus sapuit. Ne invisus superis diu ageret, Sedem Romanam brevi placavit, & ne altero novóque se sacrilegio contaminaret, quo Cæsareana Factio in ipsa urbe Romana tumultuata est, cum Henrico Austrio Boicæ olim Principe Byzantium Legatus abjit, seque periculo subduxit tamdiu, donec & ipse Fridericus Imp. manifestis à DEO plagis admonitus supplicem se Pontifici stitit, & vel pedum osculo Pacem Ecclesiæ restituit. Infortunii hujus fuga, Victoria erat; DEO ejúsque in terris Vicario se subjicere, triumphus erat virtutis supra sinistram Fortunam assurgentis. Eam DEUS insigni præmio, & nova felicitate brevi compensavit. Sub Annum MCLXXX. magnis impulsus momentis Cæsar Henricum Leonem Bojariâ dejecit, & Ottonem

Brunn. in Annal. p. 3. l. 12. fol. 405. & seq.

Adelsr. fol. 604. p. 1. l. 22.

Brunnerus p. 3. Annal. fol. 477.

Adelsr. fol. 628.

Brunn. fol. 511.

tonem in eum repoſuit gradum, quem à Berchtoldi morte ducentos jam, & triginta tres annos, Schyrenſes & Wittelſpacenſes jure Sanguinis & hæreditatis requirebant. *Poſtliminium* inde dictum eſt, quod à legitimis alienatum hæredibus jam rediit ad ſuos. Viſum erat Deo adimere, nunc placuit & reddere. Ludum hunc alii Fortunæ dicunt, lucrari, perdere, perditum recipere; ſed luſum nos meliùs dicimus Divinæ Providentiæ; ita *ludit Sapientia in orbe terrarum.* Temperat ſortes Deus; Deum æmulatur, qui ſe his attemperat. Id egit Otto Wittelſpachius, egerunt progenitores ejus reliqui; temporum ſuorum iniquitatem non dixerunt Fortunam ſibi inviſam, ſed cœleſtium ordinem fatorum; hinc Fortunâ Superiores, nunquam degenere triſtitiâ victi, animum erexerunt ad ſublimia, ad Cœlum, ad Deum, Digniſſimi, quos viciſſim reſpiceret Deus. Poſtquam igitur Familiæ Wittelſpachenſi totam iterum Bavariam ſua virtute aſſeruit Otho, & Dachavienſem pariter Toparchiam magna pecuniâ coëmptam, uni Domino adjunxit, ſat gloriæ partum arbitratus, tranquillam objit mortem, poſt tertium ſuæ dignitatis in Bavaria ſtabilitæ annum, qui tertius ſupra octogeſimum à milleſimo centeſimo fuit. Funus ſacræ Schyrenſium ædi magnificâ pompâ illatum comitati ſunt etiam Duo Imperatoris Ahenobarbi Filii Fridericus, & Philippus. Præter geminam prolem muliebris Sexûs ex Agnete Halenſi, & Waſſerburgia Heroide Ludovicum reliquit adhuc impuberem, qui ſub Patruorum tutela Paternæ ditionis hæres eſt inſtitutus. Virtutis verò Wittelſpachianæ ac Dignitatis hæredes dedit poſteritati longè plurimos: per ſex enim jam ſæcula ex hac Wittelſpachiana Domo tanquam ex Equo Trojano (quem proinde in Symbolo habet) perpetui egrediuntur Heroës, iique tales, qui Magni omnes, in rerum & virtutum faſtigio poſiti, perpetuam ſub pedibus habuêre, & habebunt Fortunam.

Brunn. fol. 511.

Prov. 4.

Brunn. fol. 523.

MCLXXXIII.

XXVII.

LUDOVICUS I.

OTTONIS MAGNI FILIUS, DUX BOJARIÆ, COMES PALATINUS RHENI ET SEPTEM-VIR.



Pro Virtute Palas Cæsar mihi tradidit; oram
Quæ jacet ad ripas, Rhene vadose, tuas.

Reusnerus.

Brunn. in Excub in Annal fol. 524 & seqq.

Gevold Cen. 16

IAnum Bifrontem imago exhibet, Herois in *Utraque Fortuna* Magni symbolum Pulcherrimum. Janus antiquissimis temporibus Rex erat Italiæ, qui à Macrobio lib. 1. Saturnal. c. 7. dicitur, *Geminam faciem prætulisse, ut quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur; quod procul dubio ad prudentiam Regis, solertiámque referendum est, qui & præterita nosset, & futura prospiceret.* Janus erat Ludovicus à singulari prudentia illis temporibus maximè commendatus; consiliis in omnem partem adhibitis, prosperæ se adversæque Fortunæ novit accommodare. Tela in eum irruebant undique, sive quæ dulci veneno illita, sive quæ fatali erant tincta Sanguine. Utraque Cavebat. Hoc enim sibimet axioma posuerat:

Aut

Aut cavendum, aut cadendum. Mirabitur nonnemo, qui prudentiſſimum intelliget fuiſſe Ludovicum, & contra Fortunæ tela fortiſſimum, quòd *caverit* ſibi, & *ceciderit* tamen iniqua nece oppreſſus; cecidiſſe putabit quidem, & victimam ſuccubuiſſe Malæ Fortunæ, ſed docebit exitus, etiam dum cecidit, ſtetiſſe fortem. Perpendamus, quæ & quanta in diverſa rerum viciſſitudine præclarè FECERIT, TULERITQUE Ludovicus, ut appareat Ottonis Magni, Herois Maximi non diſſimilem fuiſſe Filium. Vixdum à Patruorum tutela exceſſit, Vixdum Wormatiæ in Comitiis publicis militiæ inſignia auſpicatò, & ſolenni ritu (uti tunc Heroibus conſuetum) capeſſivit, mox fœdam belli tempeſtatem Fortuna concitavit, fulminea jecit tela, Bavariam ejúsque Principem oppreſſura. Cœlum ipſum hos Boicæ tumultus viſum eſt præſagire, immiſſis ventorum turbinibus, qui annoſas arbores vehementibus fatigatas aquilonibus ſtirpitùs convellebant; Mortales frequentibus verberati fulminibus; domorum faſtigia in auras difflata; templa everſa; ut elementa de compacto Fortunæ peſſimæ furoribus irritata viderentur. Præludia hæc erant in aëre; ſecuta in terris Tragœdia bellica, quam adornârunt Albertus Bogius Comes, inquieti vir ingenii, cum Rapatone, & Henrico Ortenburgio. Triſtis ubique rerum facies; incenſæ urbes, direpta templa; non Divûm oſſa, auro argentóque incluſa, non ſacræ veſtes prædatorum manus effugerunt. Quis dubitet, quin Ludovicus adversùm hoſtes ſacrilegos procedens in campum, causâ nixus tam bonâ, certam de cœlo ſperare poſſit Victoriam? DEO tamen aliter viſum, qui inter clades & calamitates ſuos ad majorem erudit gloriam. Acie victus eſt geminâ Ludovicus, multis ſuorum in prælio, multis in fuga amiſſis. Ducis artem, ac fortitudinem nemo hìc redarguat; Fortunam incuſet tantùm. Hanc certè, cùm multa alibi, tum in præliis poſſe omnia longa ſæculorum docet experientia. Etiam invictiſſimi ſæpè ſunt victi, ut bene Petrarcha:

Brunn. fol 578.

Adelzr. p. 641.

Sternentem ſternit Belli Fortuna, fugantem
Sæpè fugat, dubiis ſtátque caditque viis.

De remediis utriúſq. Fortunæ lib 2. Dial. 73.

Didicit ſic nôſſe Fortunam Ludovicus, eíque parùm fidere; cautior inde Factus, & FORTIOR. Ut Agricolam ſterilitas, architectum lapſus ædium, equitem caſus crebri, nautam graves acuunt procellæ. Ergo ad alias converſus artes Ludovicus, arbitrum adhibuit Cæſarem Henricum, qui partes compoſuit, Bogium belli concitatorem relegavit in Apuliam, Ludovico quietam Bavariam præſtitit. Poſt hæc Fortunæ vulnera reſtitutus ſibi Ludovicus, jam major & fortior ex caſu, maxima quæque animo deſtinavit. Eberhardum Salisburgenſem, & Conradum Ratisbonenſem Præſules à Bavaria priùs diſſidentes conciliavit, non ſine magno jurium Boicorum emolumento; Ottonem Cæſarem ſibi ſummè reddidit benevolum, Romanam Sedem devinxit præclaro ſuo amplificandæ Religionis ſtudio, ob quod ab Innocentio IV. *Specialis Eccleſiæ Romanæ devotus* meruit compellari. Námque Ludovicus hic Præcipuus ſuo exemplo fuit Author, ut Cruce inſigniti quàmplurimi ac ſummi Principes Sacræ ſe militiæ, & expeditioni in Palæſtinam devoverent; ipſe primus Sacramentum Chriſto publicum dixit, & cum magna militum Bojorum copia in Ægyptum profectus eſt. Summa etiam tanquam peritiſſimo fortiſſimóque Heroi poteſtas in exercitum fuit Ludovico commiſſa; ut minimùm ſeptuaginta bellatorum millia numerabantur, quæ ex tota Germania ad id bellum convenerant. Ceſſit quidem univerſa illa expeditio improſperè, uti & aliæ jis temporibus complures, quæ

pro recuperanda Palæstina sunt factæ!, Deo ob Christiani orbis peccata non admittente, ut tum temporis latiùs efflorescerct Ecclesia. Victi sunt Christiani non à Saracenis, sed à suis ipsimet vitiis. Gloriosus tamen in Patriam rediit Ludovicus, suum pro Ecclesia Romana studium, ardorem in suscipiendis gravissimis periculis, magnorúmque sumptuum pro Deo factorum Regiam liberalitatem, ceu signa referens victricia. His aliisque virtutibus totam per Europam multùm inclaruit. Fridericus Cæsar eum maximis auxit honoribus. Unum illum tot inter Imperii Proceres Dignissimum censuit, sub cujus Magisterio Henricum Filium in spem Imperii juberet adolescere. Cùm deinde Henricus Rheni Palatinus sine masculo hærede decessisset, Fridericus Cæsar Rhenanum Ducatum, quem olim Palas vocabant, cum Septemvirali Nomine ac Dignitate, officii, obsequiique singularis ergò Ludovico nostro adjunxit circa annum Christi 1215. Unde posteà omnes Rheni Palatini Comites nomen suum traxerunt, imò & Septem-Viri Bavari ac Palatini; cùm planè non constet, ante id tempus Collegium Electorale certis constitisse capitibus. Ventilat eam rem celebris Author Joannes Palatius, discussisque variis rationibus in id propendet, Electores consuetudine priùs introductos, à Carolo IV. demum *Aureâ Bullâ* fuisse firmatos. Auream verò *Bullam* Carolus IV. exaravit in Urbe Metensi coram frequentissimo Principum Conventu Anno salutis 1356. Consuetudine itaque, aut approbatione Cæsarum privatâ septemviratum gessêre, qui in hac dignitate sequuntur, vel antecesserunt. Quæ igitur Bavaria sub Ottone Magno Ludovici Patre ad Wittelspachios rediit, sub Filio Ludovico jam felicibus crevit incrementis. Sub eo quóque Straubinga cœpit in civitatis formam assurgere; sub eo Natalem habuit Landishuta, civitas elegantissima, inde dicta, quòd Bavariæ totius esset tegmen & Tutela. Ludovicus Landavum oppidum ad fluvium Isaram in Boica secunda condidit, & reddidit colonis frequens; ejus opus est cinctus mœnium, quo Dingolfinga explicatiore, quàm anteà, tractu est munita. Ab eodem quoque Duodecim Canonicorum Collegium Oettingæ Veteris est institutum; quæ omnia ad Ludovici gloriam pertinent, & felicitatem. Sequitur rursum, quod ei triste accidit, sua tamen absque culpa, quódque potiùs fortitudinis inter adversa commonstrandæ opportunitatem præbebat. Otto quidam, Wittelspachii etiam nominis, & Ludovici Patruelis, privatis odiis inductus, immani facinore Philippum Cæsarem interfecit, vagus deinde, & oberrans undique, Oberdorffii, vico obscuro, propè Ratisbonam à Pappenhemio & ipse occisus fuit. Occisi caput in Danubium projectum, cadaver Undenstorffii, postquam diu insepultum, infletúmque jacuerat, denique terræ mandatum. Ludovicus, quem alieni criminis dolor attingebat, non infamia, ut vel umbram, ac memoriam omnem sceleris deleret, Wittelspachium Ottonis parricidæ Natale solum, & suæ gentis avitam sedem solo æquavit; aream ut expiaret, consecravit templo Deiparæ; adeò scelus detestabatur Princeps Optimus, adeò probus ipse, nec vestigium impietatis in sua familia pati volebat. Sed tantæ virtutis Heros (ut sæpè sunt tristissima Bonorum fata) post undequinquagesimum Principatûs sui annum, post obtentos à Cæsaribus & Pontificibus honores maximos, post amplificatam non solùm Bavariam, sed & Ecclesiam Orthodoxam, post relicta ubique sacræ pietatis, & gloriosi nominis monumenta, acerbissimo mortis genere de vita exturbatur. Kelhemii dum supra pontem Danubio impositum vesperì ambulat, Assassini manu (Stichium

Brunn. p. 3. l. 13. fol. 656.

idem 659. Annal. Boici. p. 1. l. 23. fol. 654.

Palatius in Aquila Saxonica l. 14. c. 3. fol. 235.

idem fol. 236. Burgund. in Elector. Bavar. fol. 163.

& insanum hominem aliqui appellant) sicâ conficitur, ab ultimæ fæcis homine Princeps maximus, Vir optimus à pessimo latrone. Exanime Corpus funere magnifico, paternis Schyrensium monumentis est illatum, communi omnium luctu, & Bavaria non aliter illachrymante, quàm si ipsa eo cadente concidisset. Quamvis cecidisse non putandus, cujus funus propè ad Martyris gloriam assurrexit. Non auderem Friderico Cæsari (quamvis plura alia non absint probra in vulgus nota) Patratæ cædis culpam imputare, nisi externi quoque Scriptores, & Pontificiæ Litteræ conjecturam firmarent. Id certum, sub ultimos hos annos Ludovico fatales à Cæsare priùs amicissimo inimicitias per fecialem esse denuntiatas. Harum & ipsius necis demandatæ causam Innoc. IV. |Pontifex indicat fuisse *Romanæ Ecclesiæ studium* in Ludovico, cujus amore & reverentiâ tum à Friderico (cùm sacro anathemate feriretur) prout debuit, discessit. Si igitur causa tam gloriosa Ludovico mortem attulit, absit, ut ingloriè CECIDISSE dicamus, quin potiùs sic cadenti lauream, & inter purpuratos Ecclesiæ Proceres Stationem decernamus: Saltem innocuum fudisse Sanguinem constat, quo trabeatus, & innocentiæ habitu splendidus inter eos STABIT HEROES, quibus adversitates Coronam immortalem nexuerunt; nam hæ sunt, de quibus Tertullianus ait:

Hic est habitus innocentiæ (pati adversa) *hæc Palmata vestis, hoc curru triumphamus.*

ANNO MCCXXXI.

Palatius in Aquil. Saxon. lib 26. fol. 329. Brunn. in Excub. fol. 261. in Annal. fol 681. Adelsr. p. 1. l. 22. fol 656. Innoc. IV. in Encyc.

in Apolog.

XXVIII.

OTTO,
LUDOVICI FILIUS, DUX BOJARIÆ, COMES PALATINUS RHENI, ET SEPTEM-VIR.



Stipavi studiis Augusti sedulus arma,
Credulitas tandem sola nociva fuit.

Reusnerus.

Brunn. in Excub. & Anna. Gevoldus. Adelsreiter. Reusnerus, &c.

VNum ex se Filium reliquerat Ludovicus Ottonem, ordine Genealogico sextum hujus nominis, quartum inter Bavariæ Duces, quem alii cognomine ILLUSTREM, alii BONUM, alii FAMOSISSIMUM appellârunt. Successit hic vivo adhuc Patre Ludovico, non in Bavariam duntaxat, sed & Palatinatum, & hinc primus est, cui Principatûs insignia suscipienti, Rhenus & Danubius simul Sacramentum dixêre, quod proinde in symbolo depictum; Rhenus & Danubius UTERQUE SERVIAT UNI. Electoralis pariter Dignitas per huncOttonem à PatreLudovico adFamiliamBavaricam derivata est,& in ea saltem adCaroliIV. ætatem ita perseveravit, ut si non hæreditario tum jure,saltem de consuetudine aut Cæsarum approbatione ad posteros transierit. De hoc Ottone Nicol. Reusn, in Aulæis Princip.

Nicol. Burgund in Elect. Bav. f 6. Nicol. Reusn. in Aul. Princip.

Sextus

Sextus Otho Regni Vires & robora magni
Promovet, & juris cultor, studiosus & æqui,
Justitiâ fundat populos, & legibus urbes,
Provehit & Patriâ Sacras tellure Camænas.

Initia statim Principatûs sui nobili facto illustravit; nam eodem illo funesto die, quo Patri regiè parentabat, apertis totius Provinciæ Granariis gravem ea tempestate annonam levavit, & communi omnium laude PATRIS PATRIÆ nomen obtinuit: miserorum oculos partim ob Ludovici necem, partim ob iniquitatem temporum madentes, hac ratione siccavit; aliis verò lætitiæ, amoris & optimæ spei lacrymas expressit. Dum triticum spargebat in egentem populum, constantis benevolentiæ jecit semina: DEUM ipsum hac liberalitate obstrinxit, qui in suis numerat acceptis, quod pauperibus erogatur. Jam verò Heroëm in Ottone desideratis? munificum, si audistis, FORTEM credite, atque adeò HEROEM. Liberalitatem enim Fortitudinis speciem esse, sapientissimus scribit Tullius. Magnus est animus, & fortis, qui Fortunæ Bona ita possidet, ut contemnat; ita profundit, ut absque suo emolumento sint aliis fructuosa. Sed & in Pace, Belloque Magnus ac Fortis extitit Otto. In Pace adversis conflictatus magnanimum se ostendit. In bello felix & Victor magnum animum non passus est rerum secundarum affluxu emolliri. Simultates intercesserant Ottonem inter, & Conradum Episcopum Frisingensem. Causa erat ejusmodi. Geroldus homo decoctor, qui ante Conradum mitram gesserat, sive prodigentiâ Bonorum Ecclesiasticorum, sive imperita censuum, clientelarúmque locatione, ita opes suas labefactaverat, ut ipsam Frisingam Civitatem in Bojorum Principum Clientelam averterit. Cùm Frisingam ergo Conradus, qui Episcopus sequebatur, in jus pristinæ libertatis ab Othone reposceret, negantem reddere, tanquam impium Diris exsecrationibus oneravit. Otto injustæ censuræ vindicias à Gregorio Pontifice imploravit, cúmque eo jubente res examini subjicienda esset, passus est Otho (ita faciles ei iras fuisse referunt) ut Episcopus causæ arbitros legeret, quos vellet. Iste tales postulavit, qui nullâ æqui bonique curâ, latâ pro Episcopo sententiâ, grandem Duci innoxio mulctam dixêre; qua iniquitate cùm Boni omnes offenderentur, Dux tamen concordiæ studio, damno plecti, quàm bello civili involvi maluit, & ne lites resuscitarentur, controversiæ totius acta raro exemplo, & vix à mitissimis ingeniis usurpato igne exussit. Quin etiam cùm Frisingenses Canonici æs quoddam collatitium tributi instar Duci Bojariæ hactenus pendere deberent, ea illos exactione Dux Otho Litteris Landishuti datis Anno 1235. liberavit. Sic ille lites, sic adversitates superavit, mitissimi animi Princeps, ut libens DEO, sacrisque res suas cederet. Eam moderationem DEUS remuneratus esse videtur per variam augescentis Provinciæ suæ felicitatem, ac primùm per accessionem Clientelæ Phalajensis Comitatûs, qui sub id tempus Othone Phalajo sine hærede defuncto rediit ad Boici Dominii proprietatem. Ita etiam Libenaviorum Stirps in Bernardo Libenavio exarescens sua Bona ad Othonem transmisit. Subinde anno secundo post quadragesimum extinctâ Bogensium Comitum Familiâ, eorum omnium Clientelæ & Bona, quæ plurima erant ad Danubium, saltúmque Bohemicum ad Boicæ quoque Principatum revoluta sunt. Origo Bogiorum, qui iidem ab Arcu dicuntur, ut omnis ferè nobilissimorum Heroum in Boica Sanguis Baboni Abenspergio debebatur. An Dynastæ Tyroleos, quibus idem ab Arcu nomen est, horum, de quibus diximus, posteri sint, dubitant aliqui; Annales

Brunn. in Annal. p.3. l.14. fol.685.

Brunn. p.3. l.14. fol.701.

Gevold. in addit. ad Hundii Metrop. fol.163. 164.

Adels. fol.661.

Brunn. in Excub.

Brunn. in Annal. fol.707.

Adels. p.1. l.24. fol.662.

Boici

Boici Boicam tum Bogiorum ſtirpem referunt exaruiſſe. Plura adhuc augmenta ſub Othone tam Bono, tam felice Bavaria fecit. Grüenbacenſis Comitatus Ducatui Boico ea ætate aſſertus eſt, itémque Schärdingenſis, Neoburgensisque (alii Puemburgenſem vocant) Dynaſtiæ Oeno confines. Ipſa Auſtria Henricum Filium Othonis, Principē petebat, ſed parta tueri ſatiùs duxit Otto, quàm aliena magno quærere periculo. Cùm Deus tam apertè Ottoni faret, neque in bellis, ſiquando inciderent, eum frangere Fortuna potuit. Contra Fridericum Auſtrium cognomento Bellicoſum, Principem inquietum, Profectus, non ſolùm à Bavaria carpenda eum avertit; ſed usque Tranum amnem, & Valentiam urbem retrocedere compulit; Varnbacenſe Monaſterium recepit, quadraginta Latrones inde extractos debito affecit ſupplicio, Monachos in priſtina poſſeſſione collocavit. Schardingam quoque ab aliis occupatam recuperavit. Sat Fortem hæc omnia Othonem demonſtrârunt; ſed majori robore ac conſtantiâ opus erat in graviſſimis turbis, quæ per ea tempora non Bavariam ſolùm, ſed Eccleſiam, & totum Imperium concuſſerunt. Religio orthodoxa periclitabatur ſub Friderico II. Cæſare, & Imperii Principes abibant in diverſa. Otho Pontificis partes maximo ſuo periculo armatus, togatúsque defendit, & Septemvirali etiam Suffragio in gratiam Pontificis ſeſe abdicaturum conteſtatus eſt, ſi pro Chriſtianæ Reipublicæ quiete ita videretur. Graviſſimis propterea fluctibus agitatus à Cæſare, perfidiæ læſæque reus Majeſtatis damnatus, ea ſuſtinuit, quæ nonniſi fortiſſimi ferunt. Vertit ſubinde ſe tempeſtas, & quæ priùs ab Auſtro, jam à Meridie intonuit. Albertus Bohemus, nomine Pontificis multa perperàm agebat in Germania, & qui turbas compeſcere debebat, plures excitabat. Hunc Otto ad Conradum Halæ & Waſſerburgii Dynaſtam in fuga ſe recipientem, tanquam factioſum obſidet, capitque. Ipſum Conradum, quòd hominem Bono publico pernicioſum reddere detrectâſſet, in exilium pellit. Temporum ac rerum mutata ratio à Pontificis partibus eum avulſit; hinc Pontificis iras in Bavariam traxit: interdictum Bavariæ uſu ſacrorum, mœror in templa introductus, Othone in cæptis perſiſtente, & Dirarum Religionem (in qua nævus ei aliquis inhæſit) vel aſpernante, vel negligente. Ipſos Bavariæ Antiſtites in hoc ſibi exemplum præbuiſſe cauſabatur, ut qui anteà Pontificis decretorias etiam minas irriſiſſent, & Cæſari firmiſſimè adhærentes pridem ſibi Authores fuerint affinitatem cum Cæſare ac fœdera ineundi; non eſſe jam conſtantis Principis ita verſatile habere ingenium, & ad Fortunæ gratiam compoſitum. Non deſcivit tamen ab illa Pietate, cujus encomium communi omnium calculo reportâvit ſub PII BONIQUE nomine. Pietatis monumentum inſigne adhuc ante Vitæ exitum poſuit Monachii, Domum nempe hoſpitalem ſub tutela S. Spiritûs, cui cenſum liberalem ex vectigalibus Iſeranis conſtituit. Hîc ſalutis ſuæ fundamenta poſuit æterna, & quo opere ſuum injit Principatum, eodem finiit. Pauperes pro cauſa ſua apud Judicem Deum feliciter agenda Advocatos Patronósque conduxit, quorum patrocinio, non dubium, quin MISERICORDIAM fuerit conſecutus, quoniam ipſe fuit MISERICORS. Evocatus itaque, ex hac vita tranſiit; ipſo S. Andreæ pervigilio Landishuti Anno MCCLIII.

Adels. fol. 665.
Reuſn. Baſil. fol. 211.
Adels. fol. 659.
Reuſn. ut ſuprà.
Reuſn. fol. 211.
Excub. Brunn.
Adels. fol. 665.
Brunn. Annal. p. 3. l. 14. fol. 755.
Brunn. fol 774.
An. Chr. MCCLIII.

XXIX. LU-

XXIX.

LUDOVICUS II.

COGNOMENTO SEVERUS,

OTTONIS-FILIVS,

COMES PALATINUS RHENI,

S.R.I. ELECTOR ET ARCHI-DAPIFER,

DUX BOJARIÆ.



Militiæ Præstans studiis: at Pacis in armis
Et memor in tanto semper honore DEI.

Reusnerus.

SUnt Heroës, qui nunquam cadunt; Sunt qui ex casu surgunt cum Antæo fortiores. Cecidit Ludovicus Hic, iræ & Zelotypiæ impetu in grave crimen præcipitatus (*nam malè cuncta ministrat impetus*) sed luctuosum casum infinita propè decora compensârunt. Casum primò & infortunium referamus. Postquam ab Ottonis morte duo Filii Ludovicus & Henricus, aliquamdiu Principatum utrumque Bavariæ & Palatinatûs pari imperio gubernâssent, placuit Anno quinquagesimo quinto post millesimum Ducentesimum partiri inter se, quæ hactenus in unius Provinciæ formam erant contracta. LudovicusMajor Natu

Gevold. Gen. 18. Brunn. inExcub. Reusner. Rader. Bavar. Sanct. p. 2.

tu

tu Palatinatum Rheni cum Bojaria Superiore ſibi aſſeruit; Henrico cum Ducis titulo inferior Bavariæ pars obvenit. Rebus pacificè diviſis Ludovicus, Maria Conjuge Henrici Brabantini Filia Donavverdæ (Werdæa Sueviæ tum nominabatur) relictâ, ad Rhenum ordinandæ provinciæ causâ proficiſcitur. Erat id temporis Donavverda Bavaris per Conradum olim Hieroſolymorum & Siciliæ Regem centum viginti octo millibus aureorum oppignorata. Agebantur ad Rhenum omnia feliciter, & pro bono publico res ſtrenuè à Ludovico componebantur; cùm ecce infortunium; à Maria Conjuge binæ veniunt literæ, alteræ rubrâ, atrâ alteræ ſignatæ cerâ. Rubra cera tabulario Ludovicum ſignare debebat, cui redderet epiſtolam; ſed nigra Ruchonem Dynaſtam, vulgò Rauchgrafium dictum. Verùm ordinem Fortuna invertit, & Ludovico dedit in manus epiſtolam, quæ Ruchoni inſcribebatur. Ludovicus ætate juvenis (agebat tum ſextum & vigeſimum annum) ſimul ardens amore erga conjugem, continuò furtivum quid latere ſuſpicatus, reſolvit literas, & quamvis innocuo eſſent argumento exaratæ, ex ſingulis tamen apicibus Zelotypiæ materiam legit, furoriſque ignem concipit, qui mox in teterrimas flammas prorumpens, ſtragem ingentem dedit; primus irati Principis ferro cecidit tabellarius; Donavverdam deinde citatis profectus equis, obvium arcis præfectum per ſatellitem extemplo interficit, Helicam Brennbergiam, Virginem Nobilem Mariæ conjugi inprimis charam, fidámque pugione transfigit. Gynæcei Præfectam, Matronam honeſtiſſimam ex arcis faſtigio præcipitari jubet, & Conjugem ipſam, innocentiſſimam victimam Carnificis ferro manúque, ſuo litat furori. Tota tragœdia citiùs abſoluta, quàm ab oratione, fugam & exitum ex rebus tam triſtibus quærente, narrari poſſit. Ut cæcus eques celerrimo curſu per abrupta viarum tendens, ſummo ſe impetu in ruinam præcipitat; ita ſe furens Ludovicus in hanc tam miſeram rerum triſtiſſimarum calamitatem, quæ non SEVERI duntaxat, ſed SÆVI quoque nomen in longam poſteritatem attribuit. Totam hanc ſcenam adornavit Mala Fortuna, furiarum peſſima. Et jaceret utique victus turpiſſimè Ludovicus, niſi ita ſurrexiſſet à caſu, ut ſeipſum & iniquiſſimam hanc ſortem Chriſtianâ & glorioſâ pœnitentiâ triumphâſſet. Proximâ ſtatim, quæ inſecuta eſt, nocte, in viduo jacens thalamo, ita ſeſe dolentis, pœnitentiſque animi cruciatibus exagitavit, tantis dolorum tormentis factum caſtigavit, ut qui juvenili decoráque cæſarie priùs erat florentiſſimus, unica illa nocte incanuerit, ut ſenem ſeptuagenarium manè referret, talémque etiam vitâ ac prudentiâ deinceps ageret. Romam deinde profectus ad pedes Alexandri Pontificis ſupplex accidit, piaculis, quæ ipſe ſtatuiſſet, orbi terrarum, læſæque innocentiæ ſatisfacturus: Pro expiandis criminibus præter cætera, ut juſſus erat, amplum & Nobile Aſceterium in Principis Campo, qui inter Auguſtam & Monachium eſt, germanicè Fürſtenfelda dictus, ad Ambronem fluvium conſtruxit, & juſto cenſu locupletavit; Ubi tot vota, & piacularia ſacra ad hæc usque tempora pro ſalute utriúsque Principis, & innocenter cæſæ & furioſè cædentis peraguntur, ut præter facti memoriam nil ampliùs poſſit de culpa ſupereſſe. Reliqua etiam vita omnis abjit in peccati deteſtatione ac cura tantò majore, commiſſum nefas virtutibus obruendi. Quem iniqua fors ſtravit ſemel, is centies per adverſa ſibi jure imputata, aut ſponte accerſita eandem Victor ſui expugnavit. Qui ſecutus eſt Davidem peccantem, ſecutus eſt & pœnitentem, cum Davide igitur dignus, ut in magnorum Heroum numero cenſeatur. Idem profectò

quod

Adels. fol. 671.

Brunn. in Annal 786.

quod olim de Davide S. Ambroſius, dicere nos poſſumus de Ludovico: *Vir erat Bello Fortis, patiens in adverſis, in Regno Pacificus, in Victoria Manſuetus, in peccato dolens, in ſenectute providus* (addere ex vero licebit) erat rebus in gerendis navus, acer in exequendis, pompæ modicus, parcus verborum, utilium operum aſſertor, Religionis avitæ tenax, & antiquæ probitatis amans. Cùm in aciem prodiret, magnanimus fuit & felix. Patriam adversùs Ottocari Bohemi irruptiones defendit; contra Mareſchallos Pappenhemios movens, Wiſſenburgum Nariſcorum urbem cepit; in bellis aliis multoties triumphavit; Cùm negotia Pacis agenda, neminem ea tempora habuerunt Ludovico potiorem; quod Vitellio Cæſari per adulationem tributum, ei veriſſimè notiſſimus rerum Boicarum Scriptor elogium dedit, Ludovicum ipſam fuiſſe CONCORDIAM. Bellum A. MCCLIX. inter Conradum Friſingenſem, & Leonem Ratisbonenſem Epiſcopos conciliavit Ludovicus. Henrico Fratre, & Epiſcopo Salisburgenſi Friderico, Anno MCCLXXXV. civili bello ingentem excitantibus tempeſtatem Pacificator intervenit: gliſcentia inter Albertum Auſtrium, & Ottonem Fratris ſui Filium odia extinxit. Et quod maximum, cùm Germania dudum Rectore deſtituta, principum factionibus, privatorum latrociniis, publicis odiis ceu Euripo adverſitatum jactata fluctuaret, cunctis rebus ad triſtem ruinam ſpectantibus, unus Ludovicus, & Septemvir & in illo Deorum conſilio Mercurius, cæterorum conſenſu poteſtatem accepit, ut Cæſarem nominaret; nominavitque feliciſſimis auſpiciis Rudolphum primum Habſpurgicæ Gentis Imperatorem. Raram in adverſis Patientiam in eo quoque oſtendit, quando Adolphus Naſſovius, qui Rudolpho Habſpurgico Imperator Succeſſit, præcipiti ſententiâ in eum innocentem detonuit. Erat Cæſari illata injuria, cùm Ludovici arcem Rheno adſitam prætervheheretur; ſed inſcio planè Principe id fecerant malè feriati ſubditi, neſcii quem læderent. Poſteà læſum agnoſcentes, trepidi continuò & ſupplices errorem ſunt deprecati; ſed Cæſar obduratis auribus, & iniqua ſuſpicione inductus, Ludovicum ex tempore læſæ Majeſtatis indictâ causâ condemnat, hoſtem Reipublicæ declarat, Palatinatum Rhenanum prædæ vicinorum Electorum permittit. Miſit Ludovicus Oratores, atque ipſe ſanctiſſimè juravit, ſe prorſus inſcio errorem contigiſſe. Cùm verò non obtineret fidem, Serena mens, & recti conſcientia pro clypeo fuit. Fronte igitur imperterrita ac impavidus Cæſaris iras tulit, haud dubiè memor, non ſine Divini Numinis permiſſu ita jam ſecum agi, quemadmodum impellente ira olim ipſe egiſſet in conjugem. Vim igitur non vi, ſed patientiâ depuliſſe contentus, tam candidè poſteà cum Cæſare in gratiam rediit, ut conciliandorum Cæſari Principum munus, & Legationem ultrò ipſe ſibi depopoſcerit, averſurus ſine dubio fœdas ab ejus capite tempeſtates, quæ paulò pòſt concitatæ ſunt, niſi vita in medio conatu Ludovicum deſtituiſſet. Manſuetudinis porrò exemplum dedit, quando fœdifragos Ottocari milites Müldorffenſibus muris incluſos primùm quidem ad deditionem adegit, inviolatos deinde omnes dimiſit, nobilémque victoriam hâc clementiâ longè reddidit iliuſtriſſimam. Plura Ludovici encomia pulcherrimis factis poſſemus diducere; ſufficient hæc pro noſtro inſtituto, ex quibus cuilibet pronum erit intelligere, quàm & Adverſam Fortunam cum inſigni patientiâ & pœnitentiâ laudabili, proſperam verò cum omnimoda virtute conjunxerit. Ejus felicitati hoc inſuper addendum, quòd ſub illo in Haidelbergenſibus Montibus vena auri detecta, aureorum cum Ludovico tempo-

Lib. 1. offic. c. 24.

Adelsr. fol. 688.

Brunn. in Excub.

Brunn. fol. 806.

Reuſn. fol. 213.

Adelsr. p. 1. f. 681

Spenerus in Sylloge Geneal. Hiſtor. fol. 183.

Adels. fol. 693.

Brunn. in Excub.

rum ſpem præbuerit, & indicium. Morbus, quo conflictari cæpit Anno Chr. 1294. & vitæ exitus, præterita omnia, uno nævo excepto, eodémque pridem abolito, confirmavit fuiſſe ad optimæ virtutis normam conformata. Decumbere cæpit ex occulto malo, cujus dolorem cùm premeret verecundia Principis, à Medicis nudum ſe aſpici non ſuſtinentis, malum evaſit immedicabile. Pudor itaque & modeſtiæ virtus accerſivit mortem. Animi Medicis totum ſe præbuit, ac potiſſimùm Fr. Bertholdo è Familia S. Franciſci, qui erat Divinæ propè eloquentiæ & ſapientiæ Vir, & in tractandis animis præclarum ſancti Spiritûs inſtrumentum, dictus proinde ſui ſæculi Elias. Poſtquam ex hujus aliorúmque plurium virtute, ac prudentiâ inſignium virorum ſententiâ res ſuas compoſuit omnes, Heidelbergæ deſiit vivere Kalendis Februarii A. 1294. in eodem conclavi, in quo ante annos ſexaginta quinque lucem primùm aſpexerat. Cadaveri Fürſtenfeldam translato, juſta funebria ibidem ſunt perſoluta, Epiſcopo Friſingenſi & Ratisbonenſi ſolenni ritu ad aram operantibus. Inſignem ejus pietatem in promovenda Religione præterire non poſſumus. Ludovicus hic eſt, qui ſacros Divi Franciſci Alumnos, Monachium atque Ingolſtadium introduxit. Idem Angeranam ejusdem Ordinis Sedem, quam Frater Caſtinus, è primis Patris Seraphici Diſcipulis eoúsque incoluerat, Sacratis hujus inſtituti Virginibus tradidit. Filios à Mechtilde Rudolphi Cæſaris Filia Conjuge tertia reliquit duos unum Rudolphum, qui tum viginti annorum erat, & Ludovicum quinquennem. Rudolphus Palatinatum & Septemviri Dignitatem retinuit; unde poſtmodùm nova Principum Palatinorum ſeries. Ludovico primùm quidem modica portio obtigit; poſteris Henrici, qui Ludovici Severi Frater erat, maximam adhuc Bavariæ partem obtinentibus. Anno autem 1308. Diviſio facta eſt nova, qua Rudolpho ejúsque Sanguini Palatinatus, Ludovico SEVERI Filio Bavaria tota eſt attributa. Hinc de Ludovico Patre extat hoc Diſtichum.

Adelsr. fol. 693.

A. Ch. MCCXCIV

A quo Bojariæ Procerum nova manat origo;
Sic utrumque genus ſcindit ſe Sanguine ab Uno.



PRI-

PRIMIS
GLORIOSISSIMÆ WITTELSPACHIANÆ STIRPIS
HEROIBUS.

ODE.

STirps Genitrix Heroum, & Stirps Heroibus orta,
Quæ sola Sortes hactenus sustinuisse Duas,
Et risisse Duas potuit, quæ ingentibus una
Et fessa nunquam partubus prodigiosa sat est.
Nunc jam quiescat ferre recentius
Miraculum Orbi, majus OTHONIBUS
Magnísque majus quid Pipinis,
Et CAROLIS paritura non est.

Est paritura tamen, totámque excedere digna est
Stirps ista Naturam: perit hæc pariendo, suâ
Et Prole exeditur, parvásque propagine longa
Arctatur in vires; suis fructibus immoritur;
Sed non iisdem BOJARIDUM Genus,
Natura queîs se legibus illigat:
Ex fructibus sugit vigorem,
Fert nova, fert meliora semper.

Atque utinam paribus vos possim dicere metris
Nomina Magna Virûm OTTONIS de stirpe profecta,
Ceu totidem Heroës TROJANI à ventre CABALLI.
Tu Wittelspachii Genius me ducito, Magnos
Dum MAGNI OTTONIS paucis dat Musa Nepotes.
Infinitus enim labor est, si singula tangens

 Com-

Commenſuratas DUCIBUS tentavero laudes.
Nôſſe dabo minimo Bojos ex ungue Leones.

I. LUDOVICUS Ottonis Magni Fil. Boj. Dux. Comes Pal. Rheni.

Inteſtina tonant jam bella; ſecant, lacerántque
Manu feroci propria viſcera Bojariam,
Arma quatit conjurati perjuria ferri,
Armísque tuta perfidis fata nefanda premunt.
Stat contrà Othonum Sanguis, & æmulis
Flagrat LEONUM Filius ignibus,
Et conſcius recti, rebelles
Non trepidat LUDOVICUS iras.

Cladem ſi patitur, media ſub clade triumphat;
Inter ruinas firmior Hercules iſte ſtetit.
Firmat in Adverſis Herous pectora fervor,
Pars orbis ignes Boicos nec capit una ſatìs.
Vexilla Cœli, ſignáque Boica
Erecta terris ſtant Aſiaticis,
Et Turca contraxit ſuperba
Cornua, Luna cruenta pallet.

Jámque etiam bifrontem Aquilam diadema ſub unum
Compoſuit, jam Cæſaream Bonus arbiter aulam
Conſiliis rexit; cùm te, Friderice, Neronem
Expertus, proprio depingit murice veſtem,
Sentit & occultam ſibi fixam in pectore ſicam.
Perfida ſors! nec Teutonicus tibi SENECA tanti eſt,
Ut vereare Virum? verita eſt; hinc talia fata
Huic dedit, æternam quæ promeruêre Coronam.
Quem pietas Sedi Romanæ addicta peremit,
Martyribus nunquid ſuppar lucebit in Aſtris?

ab Aſſaſſino occiſus Kelhemii.

II. OTTO Illuſtris Ludov. Fil. Boj. Dux. Comes Pal. Rheni. Septem-Vir.

Ecce BONUM ſidus poſt triſtia funera ſurgit
Illuſtris Otho, Purpuræ quem novus ornat honos,
Priſtina quem virtus Bojorum, reddidit orbi
Sago, togáque nobilem, quíque PATER PATRIÆ eſt.

Jam

Jam preſſa fato Boica ferreo,
Collum furori victa *Meranici*
Jam Reguli tendit, malignis
Penitùs interitura bellis.

Brunnerus in Theatro Virt. Boic. in Ottone.

Otto ubi BOIARICE contrà tulit arma, ſimúlque
Primo cecidit ſpiritu robora, ſigna, Duces.
Penſa fuit belli malè cæpti mulcta *Leoni*,
Tunc Boicæ Burghuſium Portio facta plagæ.
Et ſic ſtetiſti pro Patria Tua
Illuſtris Otho; pro Patre ſic Tuo,
Eccleſiæ quando nutantem
Unicus erigeres Tiaram.

Roma Caput Mundi, pedibus ſubverſa jaceret;
Pontificíſque Thronus, non ſolùm Martis arena,
Sed Mortis, ſtragíſque foret lugubre theatrum,
Ni Boicus firmâſſet Otho, Cælúmque tuliſſet
Romanum. Quid jam? num fortè ſilebitur iſtud
Herois facinus, quo debellata gementis
Dira fames Patriæ, quando granaria pandens
Omnia, ſubjectis populis dedit Otho ſalutem,
Utque perennaret PATRIÆ PATER optimus, ægris
Pauperibus fabricam, tribuítque in ſæcula victum,
Quem laudant hodiéque pii ſub mœnibus altis
Metropolis Monaci quatuor poſt ſæcula Codri.
Inde BONI Nomen, quod ſcuto alluſit avito
In pictis *Quadri Panis* ſub ſchemate Rhombis.

Sed novus en! Lodoicus adeſt, Heroica perge
Muſa Virum, grandi & digno deſcribere metro.
Fama quid obturbas? quondam fuit iſte SEVERUS,
Præcipitante animo lapſus; ſurrexit, & omnem
Laudibus expunxit culpam. Jam nomen amicum
CONCORDIS meruit; nam victis hoſtibus ille

III. LUDOVICUS Severus, Ottonis Filius Bavar. Dux Com. Palat. Rheni Septem-V...

 Par-

Parcere: pugnantes alios pacare ſequeſter,
Ipſa ſit ut pulchro titulo CONCORDIA dictus.
Quæ præclara EGIT, faſtíque & fama loquuntur
Iniqua quæ PERPESSUS eſt, dicere pauca juvat.
* E Patria Ludovice Tua proſcriberis: atrox
Te fulmen, & terras tuas, & tua jura ferit.
His non movetur Boicus Hercules,
Contemnit atras neſcia criminis
Mens Magna nubes, & ſerenum
Pectore fers, Ludovice, Olympum.
Nec de Vindicibus multùm circumſpicis armis,
Ferri locô, & ſunt militum, ſat tua corda tibi.
His ſolùm armatus furioſam Cæſaris aulam
Intras, & iratum petis ſiſtier ante thronum.
Tum tanta mentem Cæſaris irruit
Formido, jactas ut revocaverit
Minásque pœnásque, & ſtupente,
Quæ ſtatuit, reprobârit orbe.
Nempe Hunc Teutoniæ voluit ſervare Catonem,
Per quem ſex luſtris diſcors diadema RUDOLPHO
Auſtriacæ gentis Capiti, *Stirpisque Beatæ*
Impoſiturus erat, qui cœlo cuncta gubernat.
Hic Vir hic eſt, Cæſar quo ſuffragante Rudolphus
Habſpurgus Pomum Imperii tulit, omine fauſto
Auſtriacæ Domui, & Bavaræ; nam nata Rudolphi
Mechtildis, Lodoice, Tibi deſponſa, Parentem
Tam ſe fæcundam, fortunatámque probavit,
Ut totum Boiæ Stirpis Noménque Decúsque
Floreſcens hodie, Habſpurgâ à Mechtilde perennet;
Aſtra Domos junctas æterno fœdere ſervent!

* Ab Adolpho Cæſare.

Conjux Ludovici Mechtildis Rudolphi I. Cæſaris filia.

LUDO-



Cosmas Asam delin. Monachij. *And. Matth Wolffgang Sculps. Aug. V.*

LUDOVICO
BAVARO
MAGNO ROMANORVM
IMPERATORI,
MAGNO DOMUS BOIARICÆ
AMPLIFICATORI,
HEROI
IN UTRAQUE FORTUNA CONSTANTISSIMO.

ORATIO.

POstquam Imperii Romani Fasces ex Latio in Terram Germanorum immigrârunt, non absque singulari invictæ hujus nationis laude: Vix deprehendes in Augustorum fastis, Coronam Imperii gravioribus unquam fuisse quassatam procellis, quàm in Augusto Vertice Nostri Ludovici. Equidem virtus tot gloriosis spectata bellis, tot victoriis confirmata, ipsique Cœlo prodigiosè probata Sceptrum Imperii Ludovico præ æmulis asse-

ruit, ut nihil admodùm munificæ debeat fortunæ: invidiæ tamen insolentia eò usque ascendit, támque indignè Sceptrum illius, omni jure partum, exagitavit, ut eà una de causa in summo Imperii fastigio positus videretur Augustissimus Hic Cæsar, quò truculentiùs omni adversitatum genere ab insolente fortuna exerceretur. Tantus profectò, támque insolitus, & ad ipsam usque vitæ ultimam lineam continuatus furor invidiæ extitit, ut nisi in LEONEM Hunc BAVARUM incidisset, Pomum Imperii cum Sceptro & Corona pridem excutiendum credidisses. Tantum verò abest, ut Fasces Imperii, legitimo suffragiorum jure semel admissos, Ludovicus Cæsar per injuriam dimitteret, ut per ipsos adeò triginta tres annos ringentibus quibuscunque adversariis gloriosus tenuerit, eorúmque splendorem tumulo etiam Augusto intulerit. Mens tamen non est hodie, refricare dudum obductas vulnerum cicatrices, & acerbos Authorum non tam calamos, quàm gladios postliminio conferre, quibus pro studio partium acerrimè sunt congressi, hinc ad calumnias tanto Imperatori impingendas, illinc ad easdem jure scripto & naturali vindicandas. Relictis proin in medio his tricis, quas Veritas Judicii arbitra apud Hervvartum, Ludovici vindicem, dudum luce clarius discussit, meum innocens est consilium, Piis Ludovici Manibus de novo parentare, unáque ostendere, Leoninum utriusque fortunæ illum fuisse Imperatorem.

Lud. IV. defensus 3. Tomis.

Innata Leonibus fortitudo supra cæterorum animantium vulgus non duntaxat se prodit in vastissimis Libyæ arenis, ubi decoro jubarum & caudæ concussu prodromum bellandi signum effert, ubi horrendo rugitu classicum canit, & vel ante pugnam hostem propè exanimat, ubi terribili oculorum fulgure adversarii vires metitur, ubi toto exertorum unguium, dentium, ac faucium spumantium nisu Antagonistam suum aggreditur, atq; profligat: non ibi, inquam vires suas regias duntaxat exerit nativa Leonum fortitudo, sed & easdem explicat arctioribus athletarum in Circis, in clausis amphitheatrorum palæstris, ubi locum

cum pugnandi & vincendi ſibi æquè vendicat, ubi cum ſtrage congredientium Leo victor triumphat. Et ſanè utrumque hoc Leoninæ pugnæ ectypon ſiquis alius Auguſtorum Capitum ad vivum Orbi Romano antehac exhibuit, certè Ludovicus ſub decumano utriusque Fortunæ conflictu luculenter expreſſit. DEUM immortalem! quot Martiis in campis hunc BOICUM LEONEM belli Fortuna exercuit? quot exercitus vincendos objecit? quot pugnis delaſſavit, ſed nunquam debellavit? quot glorioſis victoriis, triumphis, trophæis coronavit? Tanta profectò fuit in difficillimis bellis noſtri LEONIS Fortitudo, tanta in præliis felicitas, tanta à devictis hoſtibus gloria, ut frendenti invidiæ pridem lividi ſtuperent dentes, ſéque ſuperatam, niſi puderet, fateretur. Teſtis præter ſexcentos alios eſto Ambro flumen, ubi bello gerendo, & tutando Pupillo Henrico Ludovicus ſuorum Majorum Gloriam transgreſſus, ad veterum Heroum famam pervenit. Quadringentis enim non ampliùs ex omni exercitu lectis rectà in hoſtem profectus, vix venit, vidit, vicit incomparabili, Leonina ſcilicet, virtute. Et quod victoriæ laudem in immenſum auget, quamvìs fugitivos hoſtes Ambronis pons ad victoris arbitrium retinuit: Ludovicus tamen pacis amantior, quàm cruoris aut ſpoliorum, inviolatos ſine cenſu dimiſit, plebeis judiciis facilitatem ejus accuſantibus. At Ludovicus, ne abluderet à ſpecioſo ſibi aſſumpto ſymbolo, cenſuit & hîc SOLA BONA, QUÆ HONESTA, omnem adeò ſævitiam execratus. Et verò tantæ victoriæ, & tantæ poſt eandem clementiæ fructus Imperium fuit, Ludovico non ambienti delatum, quin præ modeſtia rarò audita diu recuſanti. Teſtis alter Leoninæ Fortitudinis eſt Lycus Boicæ conterminus fluvius, propè quem Ludovicus Fridbergæ non aperto Marte, ſed ex perjuris inſidiis opprimendus fuiſſet, niſi Auguſtæ aſylum fidele reperiſſet, ubi collecto mox exercitu hoſtem ita mulctavit, ut Puechlaviæ paludibus defoſſum & obſeſſum fame, ſi perſtitiſſet, bene maceratum fuiſſet confecturus. Teſtis itidem eſt

Graffto Hohenlojus, quem ipſi hoſpitio Cæſaris faces ſubdere auſum ita ultus eſt Ludovicus, ut caſtrum illius Schillingsfurtum mox expugnârit, expugnatum vindici Vulcano tradiderit. Teſtis eſt quin ipſe Rudolphus Germanus Frater, quo pertinaciorem hoſtem Ludovicus totâ ſuâ vitâ non eſt expertus. Hic novi fœderis nuper ſanciti, & fraternæ pietatis oblivione ad vetera maleficia relapſus, obſidionem denique Wolffratshuſii à Ludovico juſtiſſimo vindice ſenſit, & ita ſenſit, ut in exilium pulſus, patriam non reviſerit. Teſtis eſt inter Müldorffium, & Ampfingam nobiliſſima victoria, auſpiciis Divinæ Matris parta, in qua Coronæ Auguſtæ Corrivalis cum ſuo fratre vivus in poteſtatem venit: uſus tamen pro more ſuo Ludovicus tam moderatè victoriâ, vel ipſorum confeſſione hoſtium, ut poſt paucorum annorum captivitatem, quâ Fridericum tenuit, Trauſnitium ultrò profectus, nobilem ibi captivum ſuum non modò libertate donârit, ſed oblitteratis inſuper offenſis in intimæ amicitiæ jura receperit. Silentio hîc prætermitto plures ejus generis bellorum exitus: ſileo & alios Fortunæ infeſtæ luſus, inſidias, inquam, Auguſto Capiti toties ſtructas, Domi, foríſque, in aulis, in menſis, in caſtris, in ipſis Divorum templis, ſecuritatis aliàs adytis, quas protegente & detegente cœlo Ludovicus ſalvus & invictus exiit, eluſit, ſuperavit. Si hæc & plura id genus facta Heroica non probant Leoninum Imperatorem ex tot ſuperatis bellorum omni parte incumbentium procellis, ex tot commiſſis fortiter, finitis feliciter præliis, & exantlatis inſidiis, ex tot reportatis glorioſè victoriis, neſcio ſanè, quid tandē poſſit demonſtrare.

In Campo Martio adhuc Fortuna Ludovicum LEONEM Orbi Europæò ſpectandum dedit, nullo nominis glorioſiſſimi diſpendio, quin etiam cum immortali ad poſteros Fortitudinis Leoninæ fama ac gloria: nunc à Martiali pulvere, à publica cruentorum præliorum arena tranſitum faciamus ad Fortunæ cætera amphitheatra, ad irritati livoris quaſi quosdam Circos, & Palæſtras, in quibus ſi Ludovicus quoque vicerit in-

ſul-

ſultantem cum toto criminationum apparatu invidiam, & junctam atræ Fortunæ inſolentiam, cauſam illius, & unà meam evici, peroravi. Hîc enimverò Ludovicum noſtrum, velut quadam indagine concluſum invida Fortuna deprehendit, &, quem tot bellorum molitionibus ſternere non potuit, omni calumniarum atque injuriarum armaturâ oppugnavit, & modis quidem usque adeò indignis, ut de Corona, de Sceptro, de Imperio dimicare novo prorſus pugnæ genere coëgerit. Inſolita belli alea, difficilis certandi ratio, nullo ſæculi Chriſtiani exemplo ſpectata eatenus, in qua ſive vincat, ſive vincatur Cæſar Ludovicus, miſerrimè utrobíque cadat, neceſſe eſt. En quàm inſolens Mala Fortuna Imperium exercere audeat in Imperatorem! Ut enim pace fruatur Ludovicus Cæſar, faſces Auguſtos dimittere, Coronam Cæſaream ponere, Imperium abdicare jubetur, id quod interpretor, Auguſtus Leo jubetur ire jugalis in triumpho non ſuo, ſed ſuorum devictorum à ſe hoſtium, exemplo Leonum apud veteres Romanos, qui ſibi honori ſingulari ducebant, habere ad pompam triumphali eſſedo junctos Leones, ad Jovem Capitolinum magnificè propellendos, in Circenſibus ſubin ſpectaculis aliarum ferarum certamini committendos. O indigniſſimum Cæſaréa Majeſtate luſum! O acerbiſſimam invidiæ exorbitantis ſtropham! Ergóne jubet MALA FORTUNA Ludovicum Cæſarem Glorioſiſſimum ritè electum exauthorari? Imperio nullis dolis parto, & rectè adminiſtrato exui? Ita ſanè audio, & audiens præ rei indignitate perhorreſco. Hanc Imperii abdicationem jubent intentata fulmina, quibus niſi cedat, niſi morem gerat Cæſar Ludovicus, heu! Schiſmatici, Hæretici, Impii ſtigma portabit in Auguſta fronte Cæſar fulminatus. Et primum, & ſecundum, quidquid ex duobus fecerit, ſanè indignum, & miſerrimum! O fata à ſæculis non audita! Quo merito tandem, O boni ſuperi! infame hoc ſtigma in Auguſto Capite? an quia victoriis ſuis mitiſſimè uſus Cæſar pro ſua innata clementia hoſtibus victis toties pepercit? quia Fratris

Rudolphi omnium hoſtium infeſtiſſimi relictos filios ab exilio in priſtinum paternæ dignitatis gradum reſtituit? quia bello juſto captos, & carceri datos Principes Corrivales Imperii libertate donavit? At tantæ clementiæ aliud præmium leges Divinæ & humanæ ſtatuerunt, quàm ut data libertas liberantis captivitate penſetur.

An verò præmium hoc denique Fortuna rependit, quòd poſt tot victorias, totidem, quin longè plura utriusque ſexûs Aſceteria cœlo gratus fundavit, aut dotavit, aut aliis Regiis beneficiis cumulavit? at hæc tanta liberalitatis prodigia patrari non ſolent, ut Hæretici, ut Schiſmatici, ut Impii nomen emantur. Aſſurgite in teſtimonium innocentiæ, quoniam ſilent Pii Manes patientiſſimi adhucdum Ludovici, aſſurgite & perorate cauſſam Pietatis & liberalitatis Cæſareæ, Vos vos per omnem Boicam ſparſæ Divorum ædes, & profeſſæ Religionis Sacraria, à Ludovico erecta, aut magnificè exornata, quorum Religioſi fructus in hodiernum usque diem ſanctiſſimè redolent, & in dies pulchriùs effloreſcunt. Loquatur præ omnibus Aula Schyrenſis, olim ipſa Domûs Boicæ Sedis Natalis, ſed lapſu temporis ab Ejusdem Sereniſſimæ Domûs Gentilitia Pietate in ſanctum Religioſorum Domicilium transmutata, cui poſtliminio, & toti univerſim Clero ſua privilegia, immunitates, libertates, à ſummis Pontificibus, & Imperatoribus anteceſſoribus conceſſas, Ludovicus Cæſar confirmavit, inviolata conſervari imperavit. An hic Stylus Curiæ Hæreticæ? an hæc indoles impiorum? Loquatur Parthenon Monialium Monachii Angeranus, ubi hodiedum viget Virginum DEO dicatarum ſanctitas, & Ludovici Fundatoris non intermoritura memoria. Præter dotem enim & fabricam aſceterio illi, Regia liberalitate tributam, Sereniſſimum Pignus Chariſſimam Filiam ſuam Agnetem in ipſa quadrima ætate piè donavit, non absque ſanctitatis fama ſubin inter prodigia emortuam. Loquatur iterum Parthenon Landishutanus in præſens usque tempus Religiosâ Sanctimoniâ

flo-

florens, cui antecedens insignis victoria, & subsequens cœleste prodigium ominosa dedit fundamenta, ad victoriæ tantæ, & Ludovicianæ liberalitatis perpetuum monimentum. Loquatur tertiùm Parthenon Pildenreuttensis in saltu Norimbergico, ubi aream fabricæ circumscribere aggressum Ludovicum aviculæ exoticis modulis ad proceram quercum traxêre, nec absque novo prodigio; nam triumphalis Crux, cœlesti luce circumamicta arboris summitati decorè institit, oménque ter auspicatum futuræ fabricæ præmisit, ut pius Cæsar Crucem prodigiosam religiosè veneratus, impactâ ominosæ quercui asciâ suis ipse manibus initium fecerit cædendæ silvæ, locóque nomen ex Crucis imagine, & strata quercu Pildenreuto vernaculâ linguâ dederit, sibi verò Catholici, & munifici Imperatoris famam sempiternam. Loquantur una voce varia varii Instituti & Monasteria & Divorum Templa in Fûrstenfeld, in Bayharting, in Bernried, Tegernsee, Mûnster, Raittenbuech, Beûrn, Ebersperg, Seon, Rhot, Staingaden, Schefflarn, Wessobrun, Zell, Attl, Polling, Underdorff, Windespach, Pettendorff, Altach, quibus omnibus & singulis Ludovicus Cæsar extitit vel Fundator, vel Dotator vel Protector & Fautor singularis, quemadmodum Diplomata, hodiedum exhibenda, sanctè attestantur. Loquatur & ipsa Magna Magnæ Virginis Basilica Monachii, ubi præter quàmplurima Beneficia, ut vocamus, Ecclesiastica, quotidianam eámque perennem in principe Chori ara Liturgiam fundavit Cæsar, cliens ex asse Marianus. Loquatur denique & speciatim Halensis Ecclesia Divinæ itidem Matri sacra, ab Imperatoria munificentia funditùs constructa, cum adjecti Monasterii ex Patriarchæ Benedicti Instituto reditibus sanè regiis. Certè isthæc pia fundatio, quæ Cæsari cælitùs est persuasa, singularem erga Divinam Majestatem, ejúsque Virginem Matrem exaltandam Zelum Christiano orbi palàm fecit, eo etiam ex capite, quòd Ludovicus Fundator, Magno Constantino hac parte non absimilis, suis Ipse Augustis manibus primum ibi lapidem posuerit, & effigiem Deiparentis ex alabastrite, sibi ex Ita-

lia reduci divinitùs oblatam collocârit, ad noſtra usque tempora Thavmaturgam, & Pietatis Marianæ teſtem Ludovico perennaturam.

Ne verò quis verborum meorum interpres malus Romanam Cathedram,fideíque Magiſtram veritatem hîc exiſtimet ſugillari, is non ab Orthodoxa, quæ errare non poteſt, Eccleſia, ſed à Privata Pontificis, aut ſequiore affectu abrepti, aut ſiniſtris documentis imbuti perſona, quidquid in Ludovicum acerbè agebatur, profectum eſſe intelligat. Pontificia ſanè authoritas nihil habet, quod inde detrimenti patiatur. Errare è Cathedra Pontifex non poteſt, è ſenſu ſuo labi, iraſci, commoveri etiam in immeritos poteſt. Quin eadem Romana Sedes noſtræ cauſæ, & LUDOVICI laudibus in ſuis ſucceſſoribus, clarè apertéque ſubſcripſit. Appello hîc, ut abundè fiat ignorantibus, appello præter Benedicti XII. oraculum, vìva voce de Ludovico adhuc vivente datum, tot alios Pontifices Maximos ſubſequentes, qui publicis teſtimoniis Ludovicum CATHOLICUM nominârunt, & laudârunt, teſtes utique & hi idonei, & ſine exceptione majores. Utinam ſingulorum oracula verbo tenus huc adducere præfixi limitis ratio permitteret! compendium dabo ſine cauſæ tamen diſpendio. Dic ergo Ludovicomaſtix, an nugivendi tibi ſunt Alexander V. Eugenius IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Urbanus V. Urbanus VI. Bonifacius IX. Nicolaus V. Calliſtus III. Superi! quanta nomina! quibus ſanctius in terris nihil, nihil verius, nihil teſtatius, in humanis habere poſſumus; & vos lividi ſcriptorum dentes, quod hæc ſuprema Orbis Catholici & Eccleſiæ Capita de Ludovico Catholico aſſeverant verbo & ſcripto, qua fronte audetis inficiari? an vos ſoli, non inſpectis Pontificum horum Diplomatis, inſpexiſtis arcanam DEI Diphteram, ut Ludovicum hæreticæ mentis & vitæ & mortis fuiſſe ibi legatis livido oculo, lectum orbi Romano tam aſſeveranter publicetis, publicatum orco tam injurioſè tranſcribatis? Negare audes calumniatrix invidia, quod integra

etiam

etiam ſynodus Baſileenſis teſtatum reliquit? quod Epiſcopi item Auguſtani Ulricus, Henricus, Marquardus: quod Divi Imperatores Sigismundus, Fridericus, Maximilianus: quod Reges potentiſſimi Valeſius Galliæ, Eduardus Angliæ: quod Principes Ferdinandus Infans Hiſpaniæ, Maximilianus Dux Auſtriæ: quin quod & ipſi. S. R. I. Electores, Trevirenſis, Moguntinus, Bohemus, Brandenburgicus, Saxo, in ſolemni & authentico Electionis Decreto dudum agnoverunt, obſignârunt? O Dementiam incredibilem! O enormem criminandi licentiam! Hi ſummi Electores Imperii cum enumeratis ſuprà Orbis Catholici Principibus quà ſacris quà profanis Ludovicum virum vocant Catholicum: vos Hæreticum? Illi orthodoxæ Fidei fervidum Zelatorem (verbis graviſſimis horum Principum loquor) vos per inauditam calumniam vocatis ſchiſmaticum? Illi Eccleſiæ ſanctæ DEI & Miniſtrorum ejus, & pacis Sanctæ devotum, & humilem amatorem: vos turbarum in Eccleſia & Imperio authorem? Illi in Judicio juſtum, in Conſiliis providum, in univerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem, manſuetum inſigni præconio dixerunt: vos Ludovicum horrenda hiſtoriæ metamorphoſi facitis injuſtum, ſceleratū, verbo, furentem Tyrannum! Parciùs iſta de Catholico Imperatore! cùm de Deciis, de Diocletianis inciderit ſermo, utamini hujusmodi verbis, utamini hac piperata loquéntia, aut potiùs maledicentiâ. Equidem non in eo ſum, ut ſacram Ludovico innocenti ſtatuam Apotheoſin, ut nihil admodùm ex naturæ humanæ imbecillitate peccâſſe inter Imperii ſui intricatiſſimi curas defendam: ſed hoc ultrò dabo, nec pudet fateri, quoniam laudis eſt, non infamiæ, agnoviſſe nimirum hunc Cæſarem citra palpum, citra fucum alios ſuæ vitæ errores, quandoquidem nihil humani à ſe alienum putavit, Hæreſis tamen maculam, ajo, alieniſſimam à ſe habuiſſe, ut nihil majore ſtudio, majore odio, prout par erat, ſit totâ vitâ deteſtatus. Interim non neſcio, vel ipſi Sereniſſimo ſoli ſuas eſſe maculas, quas mali tamen oculi ni-

miùm quantùm augent, eásque solas notant, non attentâ lucis cæteræ, & exuberantis majestate. Id nunc contendo, & quæro abs te, Imperatorii Nominis & honoris Mastix, quid maximè potuerit movere hos tantos testes, quos adduxi ex sacra & profana Curia tanquam supremos Advocatos, ut nostrum Augustissimum tam honorificis titulis, & præprimis Catholici appellatione honestârint, etiam durante, nec revocatâ unquam diri fulminis sententiâ? Dicam ego aliorum locô (quoniam pudet Ludovico-mastiges) dicam non meo, sed Principum superiùs adductorum ore, nimirum, nisi vita verè Catholica Ludovici Cæsaris, nisi opera verè orthodoxa ex Fidei Romanæ regulis, ex puro Religionis Zelo profecta, tot, tanta, & tam luculenta Orbi Europæo illuxissent, nunquam Catholicæ & tam piæ nomenclaturæ gloriam indulsissent sacrosancta illa Ecclesiæ Romanæ Capita, nunquam Augustissimi Germaniæ nostræ Imperatores ac Principes, nunquam tot Mitrati Præsules, viri non magìs Dignitate & Sapientia, quàm sanctitate clarissimi Titulo CATHOLICI IMPERATORIS fuissent decoraturi. Sed sileam tandem ego: audiamus jam Cæsaream Ipsam Majestatem post toties, sed incassùm dictam per Oratores suos causam: audiamus pro intemeratæ suæ Fidei iñocentia proclamantem Ludovicum, audiamus cœlo & orbe terrarum teste obtestantem. En in publico & supremo totius exciti Imperii consessu, in Principum Electorum & Procerum gravissimo Comitio Cæsar Augustissimus per omnia sacra, per superos, & homines, per illibatas Divorum aras juratò obtestatur, sibi illæsum Fidei avitæ Catholico-Romanæ amorem & cultum unicè cordi semper & fuisse & esse: obtestatur, se paratum ad hanc sacrosanctam Fidei normam & vivere & mori: utque dubio nullus relinqueretur locus, quasi subscriptionis & Sigilli Cæsarei locô quid addat, audiamus, & stupeamus: Factam hanc publicè solennem Religionis orthodoxæ Professionem ut confirmaret, recitat (audi tandem, O! invidia malè Catholica, audi!) recitat Ludovicus, Cæsaream suam Majestatem nihil moratus, recitat

in

in Conventu omnium Principum, & Procerum, audiente etiam ad fores Regalis atrii Populo universo, recitat, inquam, primùm Dominicam, dein Angelicam Orationem alta voce, cui subjungit Catholicum & Apostolicum Symbolum, tanquam omnium credendorum compendium. O mirum ex Imperatore Fidei Catholicæ Catechistam! O factum, cujus aspectu erubescat vel ipsa Invidia, si præ livore posset erubescere. Sed effare tamen, O inveterate livor, effare modò, quid censes? nempe, si quid ingenuæ mentis restat, si non penitus frons obduruit, si linea honesti pudoris superest in facie, fateberis deniq; vel invitus, faciliùs esse, ex vulgari & inimica fama, aut præpostero unius partis studio, non audita altera parte, calumniam impingere, quàm impactam post secula diluere: fateberis, sua sponte fluere è calamo invido criminationes, sed ad veritatis incorruptæ tribunal diffluere, cum sero quidem temere scribentium rubore, sed famæ læsæ vulnera non ita curaturo, ut non cicatrix vel innocentissimè læso olim supersit.

Itaq; ne porrò Pii optimíq; Ludovici manibus post tot bellorum turbas invideamus sacrum in Mausoleo, verè regio, silentium: sileant Augustissimi Nominis Mastiges. Ne turbemus post labores plusquàm Herculeos gloriosè cubantis quietem: potiùs bene precemur vel post quatuor secula nos posteri Catholici Catholico, & Leoninæ in utraque Fortuna Imperatori; qualem demonstrant tot egregiæ animi virtutes, Leone Cæsareo dignæ. Leoninus effulsit Ludovicus Imperator ante & post assumptos fasces in publicis & cruentis Gradivi campis: Leoninus in Fortunæ rebellantis quasi Circensibus conflictibus, in Invidiæ incònditæ theatris; Leoninus in elusis tot Capitis Augusti periculis: Leoninus (in quo Cæsarei honoris, Catholici Imperatoris apex & cardo versatur) Leoninus, inquam, in tam constanti erga DEUM, erga Deiparam, erga omnes Res Divinas Pietate, & Religione: Leoninus in tam longanimi inter tot devoratas calumnias, & acerbas injurias mansuetudine: Leoninus denique in concepto Fidei Catholicæ, & Pietatis fervore constantissimo ad ultimum usque vitæ halitum.

Interclusit hunc, ne vel ultimo mortalitatis momento deesset, quod pateretur Leonina fortitudo, interclusit hunc spiritum, quemadmodum scriptorum quorundam perhibent testimonia, ab invidia mixtum, à perfidia porrectum toxicum Ludovico, haud dubiè æquiores in cœlis superos, quàm in terris mortales experturo. Ille enim tutandæ causæ suæ non modò Deum Judicem pœnitens antè propitiavit, sed & Judicis ejusdem Matrem, potentem morientium Patronam, quæ nulli servorum, suorum, in extremis maximè, deest, devotissimo animo moriens compellavit, verbis dulcissimis in vota ultima vocavit, donec magnam animam Imperio, & Cœlo dignam inter pia hæc suspiria efflaret. Obmutesce ergo tandem insolens invidia: Non est jam, cur insultes, aut triumphes in Ludovici morte, cujus virtutes Catholicas, throno terreno, & cœlesti dignas audivisti. Modestiùs dehinc aut scribe, aut loquere de Catholico Cæsare, qui post omnem in terris sententiam habuit forum altius, quod appellaret, forum Dei Judicis, ipsos Ludovici Judices ex æquo judicaturi. Stabit interim integra Catholico & Leonino Cæsari fama posthuma, stabit, sed non eo colore, quo illum denigrâsti, O livida invidia: stabit sine labe hæretica Augustissimum Imperatoris Pij juxtà, ac Leonini Nomen, postquam invictus stetit toties in Martiali Campo, toties in aperto calumniarum theatro, toties in utriusque fortunæ arena: stabit Ludovici illæsa gloria, ut livor inveteratus eo successu nunquam gloriari possit, quem optabat, nimirum Ludoviciani Imperii basin ac nomen interiturum; tunc tandem credat hoc eversum iri, si post tentata necquicquam cruenta prœlia incumbente criminationum ac calumniarum mole rueret, si Catholici Cæsaris Nomen abesset, si juratæ Electionis jus pessum iret in Ludovico Electo, quem Livor tamen ad tumulum usque gloriosum Imperatorem malignis oculis vidit, & gloriosè sepultum doluit cum nominis *Leonini & Catholici* immortalitate.

EIDEM

EIDEM LUDOVICO BAVARO ROMANORUM IMPERATORI.

CARMEN EPICUM.

MAgna peto Musæ! si fas pulsare sepulchrum,
Et Manes turbare Pios, revocandus ad auras
Maximus Heroum, Ludovicus, Gloria Gentis
Summa Leoninæ, Gemma Augustæque Coronæ.
Pulso tremens, reverénsq; Viri, quẽ poplite prono
Mundus adorabat quondam, Dominúmque tremebat.
Surge Gigas! Patrias quatuor post secula Terras,
Imperiúmque, Tuum quondam, circumspice tantus,
Quantus eras, cùm Fortunæ collisus utrique,
Laurigerum Victor statuisti utrinque trophæum.
Surge redux! Mausoleum, quo condidit ossa
Grandia Majestas, & Honor, Pie desere Cæsar!
Audior! ecce subit cum Majestate theatrum
Fortunæ Domitor Fortissimus, Hercule major.

Vis ſcenam primam tanti Herculis? aſpice Fratrem
(Heu meminiſſe pudet!) Fratri impia bella moventem
Immerito, Lodoice, tibi, nec iniqua quietem
Prælia ſpectabunt citiùs, quàm morte ſequeſtrâ,
Judice Juſtitia capiant odia aſpera finem.
O quoties odium debellaturus amore
Plusquàm fraterno, pacem vitámque dediſti!
Sed vano Invidiam curat medicamine virtus,
Cùm curæ impatiens benefacta in crimina vertit.
Cæca rapit cæcos, innatáque jura Parentis
Naturæ ſus déque rotat: pia nomina Fratris
Neſcit, vel neſcire cupit Livore Magiſtro.
Tantum molis habet cæcæ vis invida mentis!

Nunc aliam intereà ſcenam cape: prælia cerne,
Prælia Victori pulcherrima, mitia victis.
Stabat ad Ambronis fluvii contermina Ductor
Hungarus indomitus, numeróque animísque ſuorum
Efferus in pugnam, palmámque voraverat antè
Cum Sociis, quibus in gladiis jus omne quieſcit.
An trepidas, Lodoice, nefas, hoc quærere? Neſcit
Quidquid in oppoſitum, Virtus trepidare Leonum,
Provocat ultrò hoſtem ex nebula, quæ denſa tegebat
Hungaricum, Sociúmque agmen, cum clade petendum
Ex improviſo: placuit ſed adire paratos
Hoſtes, ut Leo Dux ad prælia juſta Leones
Duceret absque dolo, ſola virtute pavendos.
Ergo quadringentis lectis ex agmine toto:
Non numerus penſandus (ait) ſed Martia Virtus,
O Socii! major numero, truculentior armis
Eſto hoſtis: plures Virtus numerare triumphos
Præ numero pridem didicit Ductore Leone.
Macti animis pugnate Viri! Victoria veſtras
Reſpicit en dextras, geſtítque parare coronas.

Me

Me Duce pugnandum: ſatìs hoc. Non noſtra, Sodales,
Tantùm cauſſa agitur (nôſtis) Patruelis Othonis
Sanguis in imbelli petitur ſine crimine Nato.
Faxo, Tutor ego Tutoris nomina ferrô
Et propriô, & veſtrô explebo juſtiſſimus ultor.
Sic tonat, horrendúſque armis, animíſque phalangas
Fulminat Hungaricas: veſtigia tanta ſecutus
Fulmineus miles ruit in certamina. Phœbe!
Pelle atras nebulas tantæ ad ſpectacula pugnæ,
Digna tuo, noſtríſque oculis! Libitina ferocit
Bellica: funeribus cumulantur funera: Campus
Sanguine Cæſorum natat, Ambroníque propinquô
Incrementa dat inſolitis per littora rivis.
Attonitæ Nymphæ Ambronis ſtupuêre cruentum
Ire vadum ſubitò, víxque arrexêre profundo
Glaucicomans caput, in liquidas redière cavernas,
Visâ exſternatæ pugnâ, fremitúque cadentûm.
Denique verſa acies: ridens Fortuna ſecundat
Juſtitiæ cauſſam: cedit numeroſior hoſtis
Virtuti Herculeæ; jam deſperatio clauda
Confuſæ dat terga fugæ, ſed ponte ſoluto
Clauditur Ambronis ſub littore, præda furenti
Debita Victori, violentáque victima læſæ
Juſtitiæ, niſi ſuſpendat Clementia ferrum,
Expugnâſſe hoſtem contenta, & parcere docta.
Ire ſinis victos victor mitiſſime, majus
Felicis lucrum reputans certaminis, hoſti
Parcere devicto, quàm debellâſſe ſuperbum.
O facinus, Cedro dignum, quódque aſtra coronent
Imperii Pomo! Clementia tanta profectò
Omen erat ſupremi apicis, quo dignior alter
Non viſus præ Te, Lodoice Electe Monarcha:
Si Fratrem excipias, paucóſque à felle tumentes
Invidiæ, quos Auguſto de Lumine cæcos

In Caput Imperii armavit, triſtémque ruinam.
Funus eras dudum, Lodoice, niſi aſtra ſalutem
Firmâſſent, ſoliúmque tuum, capitisque coronam.

Fruſtra agitis latrando canes, acuendóque dentes
Lethifero! Leo Cæſareus vos ungue triumphat
Cœlitus armato, contráque pericula tuto.
Teſtis Diſcophorus, Sicarius impius, auro
Emptus, ſed ferro Nemeſi ſua debita ſolvit.
Mœnia Fridbergæ teſtes, ubi fata parata
Romano Capiti, ſed conſervata fideli
Auguſtæ Auguſti debetur vita, ſalúsque.
Huc teſtis Wolfratshuſium, cùm Frater iniquus
Perpetuúsque Hoſtis renovata pericula cudit,
Exilio mulctata gravi. Quid? Propria Caſtra
Cæſaris in jugulum jurârunt, Aráque Templi
In tantum delecta ſcelus. Vah! nullus aſyli
Tam ſanctus locus ergò, ut non perjura tonanti
Impiet Impietas? Sed necdum meta furentis
Perfidiæ: nova monſtra parit, concepta ſub Orco.
Argentina ſcelus ſtupuit, cui Regia menſa
Tempus ad inferias daret, interitúmque Monarchæ,
Dum celebrat ſolitis læta Auguſtalia pompis,
Et Sacramento Procerum, Populíque fidelis
Auguſto jurata fides. O Monſtra! vel ipſi
Nulla fides ergò fidei? jurare jocari eſt?
Tutiùs ut lateat virtutis ſchemate tectum,
Graſſetúrque nefas? Tot tempeſtatibus actus,
An nondum, Lodoice, tremis? Stas arduus Atlas,
Deſpectásque inter minitantia fulmina mortes.
Quin ne ſe jactet petulans Fortuna dediſſe
Grande quid, Imperii exoſas generoſus habenas
Deſpiceres (O grandem animum!) niſi contra ſtetiſſet
Pars melior Procerum Imperii. Sed vulnera belli

Inde

Inde recrudeſcunt: jam conjurâſſe videntur
Omnia in exitium: totus fremit orbis in unum
Imperii Caput, & quam pridem ponere ſponte
Auguſto placuit, vi detraxiſſe coronam
Irritata cupit Fortuna, armátque Potentûm
Invidiam, nullâ quæ jam placabilis arte,
Seu ſuperos, homjnésque citet mens conſcia Recti.

Longus ero, Lodoice, Tibi, ſi indigna retexam
Omnia, quæ Virtus mille impugnata procellis
Sed non victa tulit; Tot tantáque facta Gigantis,
Virtutémque Leoninam Patrimonia feræ
Bojugenûm ſtirpi tranſcripta ex aſſe dediſti.
Poſteritas ſtupuit dudum, indoluítque legendo
Fanda infanda Tibi, Lodoice, ferenda Monarchæ,
Cui virtus dedit Imperium, Sapientia rexit,
VIRGINIS auſpiciis, cujus Tutela, Favórque
Prodigiis clarus, cauſſam decidere viſus.
Hac modò Patronâ Victor ſuper aſtra triumpha,
Bíſque coronatus mundóque Erebóque ſuperſta!



XXX.

LUDOVICUS IV.

BAV. LUDOV. SEVERI FIL. ROMANORVM IMPERATOR, HUJUS NOMINIS V. COMES PALAT. RHENI. UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX.



Auguſtum qui te Proceres, Ludovice, creârunt
Laudibus oſtendunt te meruiſſe Tuis.
Ergo tuis feſſos, tibi, tot virtutibus hoſtes
Non mirum eſt victas ſæpè dediſſe manus.

Gevoldus in Genealogia.

LUdovici Bavari Imp. Herois planè apud ſanos maximi dum aggredior Hiſtoriam, mare ingredior rerum amplitudine vaſtiſſimum, tempeſtatibus horridum, ſcopulis infame. Et tranſcurrendum eſt tamen ventis citiſſimis; nam per anguſtias temporis, propoſitámque nobis brevitatem immorari non licet materiæ ad inſtitutum noſtrum quàm maximè quidem idoneæ, & ſi veritatis ratio habetur, etiam glo-

gloriosæ. Mediam tenere viam decretum est; cùm utrinque scopuli; *Dextrum Scylla latus, lævum implacata charybdis obsidet*, Virgil. lib. 3. Meta, ad quam tendimus, hæc est; Ludovicum dabimus in felicitate magnum; in Fortunæ inconstantia Constantem; maximis agitatum adversitatibus, fluctuantem sæpè, atque etiam naufragum, nunquam tamen demersum. Habuit in Symbolo suo Cynosuram, ad quam respiceret perpetuò, MAGNAM DEI PARENTEM. Hujus auxilio è tot fluctibus emersit. Prima se tempestas jam in puerum exoneravit; Patrem Ludovicum Severum cùm septennis adhuc amisisset, à Rudolpho Fratre Natu Majore, in provinciarum sortitione circumscriptus est; quæ sortitio tanquam vitiosa à Ludovico adulto correcta quidem fuit, sed odii inter utrumque Fratrem perpetui sementem jecit. Tutoris partes in Ludovicum Rudolphus Frater ipse susceperat, qui tam in Fratrem, quàm Matrem Mechtildem periniquus, & hanc & illum ex arce Schiltpergia extractos Monachium captivos abduxit, atque ibidem peracerbè tamdiu habuit, donec apud Cæsarem injuriarum postulatus, tutelam ponere coactus est. Interim Ludovicus hæc inter adversa ad insignem gloriam educatus, Viennam Austriæ pervenit, ibidémque cum suis Amitinis Alberti Cæsaris Filiis; bonis litteris artibúsque Principe dignis optimè est institutus. Adolescentiam egressus Landishuti cum ducentis Inferioris Bavariæ Nobilibus Baltheo militari, pompâ memorabili, ad 5. Calend. Julii circa Annum Chr. MCCCI. fuisse accinctus legitur. Inde progressus aliquoties in campum, lauros semper, palmásque messuit. Præcipuè notabilis est Victoria, quam à Friderico Primo Austriæ Archiduce, cognomine Pulchro, in confinibus Mosburgi reportavit. Bellum id ex eo est ortum. Otho inferioris Dux Bojariæ Landishutanos & Straubingenses testamento obligaverat, ne post mortem suam ad Henrici Filii tutelam, alium quàm Ludovicum Nostrum Bojariæ Ducem admitterent. Sed quidam è prima Bavariæ Nobilitate Friderici Austrii auro, promissísque corrupti, insuper habito Othonis testamento, illum in Provinciam Tutoris nomine invitârunt. Ludovicus cùm litem amico colloquio Landavi habito componere non potuisset, arma intentanti Friderico arma opposuit. Ad Gamelstorffium pugnæ alea tentata est. Vicit Ludovicus, & hostium plurimos cecîdit. Fugitivos magno numero cùm ad Ambronis pontem occupâsset, ita jam tum Fortunam moderatus est, ut pacis amantior, quàm spoliorum, inviolatos sine lytro dimiserit. Prælio in illo laus singularis data Landishutanis, atque pro æterna hujus memoria indultum à Ludovico, ut Galearum insigne, quo hodiéque utuntur, scuto civitatis adderent. Utriusque subinde, Friderici & Ludovici animi in concordiam coaluêre; prensavit enimverò Ludovici amicitiam Fridericus, benè gnarus ad summum Imperii fastigium sibi adspiranti, neminem magis obstiturum, quàm Ludovicum; cujus & Fortitudo juncta virtuti, & potentia felicitati sociata jam passim in ore omnium, & æstimatione versaretur. Ergo quem armis vincere nequiverat, benevolentiâ aggreditur, & eoúsque devincit, ut Ludovicus suam addixerit operam Friderico in imperium evehendo. Vacabat id ab Henrici VII. morte unò jam ampliùs anno, Principibus non de Cæsare solùm eligendo, sed de ipso eligendi jure inter se certantibus; A quorum denique insigniore numero, Petro Moguntino scilicet, Balduino Trevirensi, Joanne Bohemiæ Rege, Waldemaro Marchione Brandeburgico & Joanne Saxoniæ Duce Cæsar dicitur Ludovicus, non modò nil tale ambiens, sed & datam Friderico fidem, & For-

Brunn. in Excub. idem in Annal. p. 3. l. 15. fol. 951. item fol. 1025. Adelsreiter p. 1. l. 25. fol. 700. Brunn. fol. 993. ad Ann. MCCCI. Reuln. fol. 223. Adelsr. fol. 700.

Adelsr. fol. 707. Brunn. fol. 1038. Chron. Fürstenf. Vitus Arenpech.

Adelsr. fol. 708. Brunn. fol. 1049. Arenpeck.

Adelsr. p. 2. l. 1. fol. 2. Argent. p. 11. §. ult. Nauclerus.

An Chr. MCCCXV. Adelsr. p. 2 lib. 1. fol. 1.

tunas Augufto nomini impares, caufatus. Diu reftitit, diu obluctatus eft, vix admiffis jis, qui venerant fuffragiorum confenfum gratulaturi, donec tandem graviffimis rerum momentis expofitis, is qui legationis Princeps erat, hæc decretoria verba fubjecit, aut *imperaturum*, aut *periturum*. Non aliis igitur artibus ad imperium graffatus eft Ludovicus, quàm fuis meritis, inclyta fua virtute. Injuriam fanè faciunt luculentam, qui perjurii accufant, vel ambitionis; hæc certè abfuit; perjurus verò non eft, qui addictam alteri operam præftat, ut poteft, ut debet. Et quis credat, eoúsque fe obftrinxiffe Ludovicum, ut fuo etiam cum periculo, fuo cum damno alterius honori debuerit velificari? Inter Electores Ludovicus ipfe non fuerat; nam Septemviratum Rudolphus Frater gefferat; & hic adverfus Fratrem proprium Friderico favebat. Pro fe dignitatem Ludovicus non prenfabat; fatis hoc effe debebat ad vota Friderici; fatis ad promiffa Ludovici. Quæ verò quantæque caufæ impulerint Electores Sapientiffimos, ut in Ludovicum tanto pondere confpirârint, extant in tabulario Monacenfi literæ teftes Autographæ. Has Pontifici futuro (nam tum quoque Apoftolica Sedes biennium ampliùs capite erat deftituta) in hunc modum Principes Septemviri perfcripferunt. *Confiderato diverfarum Perfonarum ftatu* (inquiunt) *per quas Imperio poffet utiliùs provideri, confenfiffe fe in Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Virum Catholicum, Orthodoxæ fidei fervidum zelatorem, Ecclefiæ Sanctæ DEI, & Miniftrorum ejusdem ac Pacis fanctæ ab ineunte ætate, experientiâ, quæ eft rerum Magiftra efficax, atteftante, devotum, & humilem amatorem, ftrenuum in armis, in judicio juftum, in confiliis providum, in univerfa morum honeftate præclarum, benignum, affabilem, & manfuetum, de alto & generofo Sanguine Divorum, Regum & Principum creatum, &c. &c.* adfcripferunt nomina fua: *Petrus Moguntinenfis Archiepifcopus, Balduinus Trevirenfis Archiepifcopus, Joannes Poloniæ & Bohemiæ Rex, Waldemarus Marchio Brandeburgenfis, & Joannes Dux Saxoniæ, &c.* Quibus fanè monumentis publicis, recèns facra Epifcopi Auguftani literas ritè infpicientis authoritate, aliorúmque teftium juratorum fide examinatis & comprobatis duo clariffimè evincuntur, Ludovicum inprimis ob præclariffimas fuas virtutes imperio digniffimum, ac deinde à majore Electorum numero nullis malis artibus electum fuiffe Cæfarem, qui tamen fcopulus fuit potiffimus, in quem Romana dein fulmina, & malevolorum calumniæ detonuerunt. A fua interim factione, & abfentibus Francofurto, ubi cæteri convenerant, Electoribus duobus, Colonienfi ac Palatino Rudolpho ipfe quoque Fridericus, Cæfar renuntiatur. Ad bellum confeftim res fpectabant, quod Ludovicus non intulit, fed quibus potuit viribus repreffit. Uterque fe pro Cæfare gerebat; uterque cùm Joannes XXII. Pontifex electus effet, fuos Avenionem mifit Legatos, atque à Pontifice pro more petiit inaugurari. Rem in ancipiti tum reliquit Pontifex, & in nullius vota conceffit; digladiabantur ergo ipfi inter fe, fuis quisque fultus partibus. Et Ludovico quidem non aperto duntaxat bello erat decertandum; occultas perfidia machinas non femel adornavit, ut eum de fumma Fortuna in infortunium, è folio in tumulum præcipitaret, fed ipfe fuprà invidiam perfidiámque, fupra Fortunam & cafum omnem major fua fe virtute extulit. Primo aditæ dignitatis anno Altzejenfis quidam Truchfeffius, Friderici Cliens fcelus tentavit

Adelsr. fol. 3. Volcmar. Abbas. Fürftenf.

Hervv. in Lud. defenfo fol. 7. & feqq. inde exfcripfit Odoricus Raynaldus tom. 15. An. Eccl. An. 1314.

Ex lit. Authent. Epifcopi Auguft. authoritate revifis, approbatis, &c. Literæ Electorum ad fumum Pontif. Author Chron. Belg. Villanus l. 9. c. 66.

A. 1316. Palatius de Cæfar. in Lud. fol. 143. Adelsr. fol. 12. Naucler. vol 2. Gen. 44 Crantz. lib. 9. Bzov. ad A 1316. col. 278.

vit ingens. Homo patrimonii sui decoctor, grandia sibi à Friderico prœmia pollicebatur, si ei erepto æmulo, imperium confirmaret; Ergo Ludovico notus, in cujus olim familiam erat adscriptus, simulati obsequii causâ ad eum venire parat; telum veneno illitum sub veste ita tegit, ut nisi de industria excuteretur, deprehendere nemo posset, ita rem cunctam disponit, ut nisi stolidè socios adhibuisset, actum fuisset de Ludovico. Degebat hic Moguntino cum Præsule Oppenhemii, accessu facilis, incogitánsque discriminis; cùm Haidelbergâ advolant nuntii Ludovicum clàm monentes, adfore Truchsessium novo more indutum ad tegendas insidias, quibus vitæ Cæsaris imminere t. Et adfuit is postridie; sed vix pedem intulerat, mox catenis vinctus, quæstionem subjit capitalem, scelerisque convictus, raptus est ad supplicium. Alia item vice cùm Müldorffii castra locâsset, parricidium denuò vix evasit; ut hoc tantò esset crudelius, junctum erat sacrilegio; nam in templo Ludovicum cogitabant cædere, dum vota pro exercitu solveret. Conjurati tot erant, ut per omnia tentoria scelus vulgaretur, solius Cæsaris aures præteriret; criminis magnitudo tantum omnibus horrorem injecit, ut qui rei erant, malâ conscientiâ perculsi, alii panico timore attoniti, omnes de sua salute soliciti, dilaberentur à signis, & in fœdissimam fugam incitarentur. Ludovicus ex solitudine castrorum advertit periculum; & cùm se videret derelictum, agnovit proditum. Bona causa, & virtus accepta Numini de hoc quoque infortunio triumphavit. Perspexit tamen hinc & Fortunæ perfidiam, & amicorum fallaciam, & Coronæ Imperialis ferreos sensit aculeos; Accedebat Pontificis ira, quæ in dirarum fulmen iamjam videbatur desitura. Nondum enim delatam ei probaverat dignitatem, & callidis quorundam artibus concitatus, non gratiam solùm negabat, sed & minas intentabat. Itaque de ponendo diademate deliberat Ludovicus; quod enim sine ambitione admiserat, non tam pertinaciter retinendum censebat. Sed Imperii Proceres obstitêre, partim ut sua tuerentur jura, partim quòd perturbatis adeò Reipublicæ temporibus, perito hoc nauclero quàm maximè indigerent. Cæsar ipse post maturam deliberationem judicavit denique, abjecti animi fore, si fluctibus his cederet, & virtutem suam in triumphum Fortunæ vel invidiæ duci pateretur. Regreditur ergo in arenam, & quà rebus civilibus administrandis, quà gerendis bellis strenuum se ostendit Imperatorem. Litem cum Friderico diuturnam ejus sæculi annus vigesimus secundus absolvit, quando nempe Ludovicus nobilissimâ ad Ampfingam victoriâ Fridericum cum Henrico Fratre vivum in potestatem accepit. Ajunt, cùm captivi Principes adducerentur, perbenignè eos à Ludovico fuisse exceptos, & nec rogantibus, nec sperantibus liberali sanè promisso factam vitæ gratiam: Voces ejus salutatoriæ ad Fridericum hæ fuerunt: *Domine Amitine, libenter vos videmus.* Jussit tamen eum in transdanubianam Boicam deportari, & Trausnitii, quæ in Nariscis arx est propè Neoburgum, pro imperii tranquillitate obtinenda custodiri. Memorabile est, quòd penuriam quoque pati, rarum in tanto fastigio malum, noverit optimè Cæsar noster. Pridie illius pugnæ, veniens in castra Ludovicus, ita ærarium reperit exhaustum, ut vix undecim libras Hallenses numeraret: tam parca cùm esset Fortuna, jussit suos tantò majore spe diem crastinum opperiri; ferrô nempe tentari, & expugnari debere Fortunam, non argentô. Expugnavit enimverò, sed spolia omnia, prædámque gregario reliquit militi; post relatam tantam victoriam ipse cum ducibus noctu in castrense epulum aliud obsonium non habuit præter ova; quæ

idem fol. 141. Adelsr. p. 2 lib. 1. fol. 10. Brunn. in Excub.

Palat. fol. 147. Brunn. in Excub. Adelsr. fol. 14.

Adelsr. fol. 14. Chron. Furstenf. Palat. fol. 147.

Palat. fol. 148. Adelsr. fol. 18.

Adelsr. fol. 8. Palat. fol. 149.

* Geht eim jeden ein Ay / Dem Edlen Schweppermann zwey.

ſingula tantùm cùm ſingulis ſuppeterent, uno tamen ſuperſtite, Schwepper-manno Duci Strenuiſſimo, & ea in pugna ſingulariter claro, bina juſſit dari* cum dicto: ſingulis ova ſingula, Nobili Schweppermanno bina; quæ verba germanico carmine prolata, inde à tot ſæculis ad noſtra usque tempora proverbii locum obtinuêre. Hac *ovatione* Schweppermannus per omnem deinde vitam gloriabatur, eadémque verba epitaphii locô, ſuo tumulo volebat inſcribi.

Bzov. Chron. Aul. Reg. Adelsr. fol. 20. Herw. per totú. Palat. fol. 153. Adelsr. fol. 22.

Hactenus mari utcunque tranquillo, etſi fluctus & tempeſtates non abfuerint, Fortuna cum Ludovico navigavit; jam verò adfremit Aquilonaris turbo, cœlum & terram incredibili miſcet tumultu, & ingenti terrore univerſum perturbat imperium. Finierat propè Ludovicus annum nonum delatæ per ſeptemviros Dignitatis, cùm Pontifex Avenione præter ſpem illi diem dixit, & ſub pœna anathematis juſſit imperium ponere. Miſit quidem & jam, & antè ſæpiùs Legatos Avenionem Ludovicus, qui vel diſcuterent ea, quæ in caput ſuum cuderentur mala, vel cauſam ſaltem comperendinarent; ſed quia modò Cæſaris dignitate, ut à Pontifice imperatum erat, non continuò ſe abdicavit, lata eſt ſententia, & Ludovicus fidelium cætu expunctus. Cohorruit ad hæc Romanum Imperium; trepidavit & ipſe Ludovicus; Bonam tamen mentem ſic attonitus, non amiſit; egit omnia, quibus Pontificem placaret, ſuámque demonſtraret innocentiam, non ſolùm per literas, pérque legatos ſe de objectis criminibus purgavit, cauſam, ut erat, edocuit, ſed conferto quoque Norimbergæ Senatu, coram Nicolao Epiſcopo Ratisbonenſi, multísque aliis Eccleſiarum Præſulibus palàm profeſſus eſt, nihil ſibi Eccleſiâ Romanâ, fidei Catholicæ Magiſtrâ antiquius, ei ſe obſequentem ſemper fuiſſe, & futurum; paratum etiam, ſi Imperii Proceres conſultum judicarent, faſces ſupremos deponere. Hæc & in hunc ſenſum plura tum Norimbergæ, tum aliàs ore, & calamo edebat, atq; Avenionem deferri jubebat. Sed ſurdæ erant Pontificis aures, obſtrepentibus nempe invidorum, obtrectatorúmque delationibus. Fuêre qui per ſpeciem pietatis, revera ſuis rationibus conſulentes Pontificem jam concitatum callidis artibus inflammabant, ut eo tonante & fulminante miſeras ipſi naufragii reliquias, & ſpolia colligerent. Juvat huc adducere, quod inter Gallicos Scriptores eruditiſſimus Cauſinus, de hoc noſtro Ludovico, candidè publicéque fatetur. *Ludovico illi Bavaro,* inquit, *omnia per Pontifices placidiora fuiſſent, niſi Philippus Rex Francorum (ut ſcribunt hiſtorici) cupidine imperii obſcuris artibus obſtitiſſet.* Ut omittam Authores alios, qui nomen famámque Ludovici hac in re veriſſimis calamis vindicârunt. Rejectus itaque multoties à Pontifice Ludovicus, exacerbatus & ipſe eſt, ac primùm provocare ad Concilium, deinde Anti-Papam Nicolaum V. ſubrogare. Non laudamus equidem tragœdiam hanc funeſtiſſimam, quam in ipſa urbe Roma Ludovicus adornavit; ſed fatigata tamdiu patientia in has iras denique erupit, & viri non pauci ſacra etiam dignitate ac Doctrinâ conſpicui faces ſuppeditârunt. Quid mirum, ſi moderatiſſimus cæteroquin Princeps, & obſequens planè Eccleſiæ Filius, in Patrem tam ſibi infeſtum & trucem, Regna ſibi, & famam, quæ Regnis potior eſt, eripientem, denique inſurrexit, & quem nullis obſequiis placare potuit, non tam ut parricida, ſed ut rerum ſuarum, quemadmodum ipſe judicabat, defenſor invaſit. Verùm in hoc quidem exorbitavit Ludovicus, dum Pontificem novum ipſe dixit, exceſſit modum, potentiæ ſuæ fines tranſcendit, ſed paulò pòſt pœnitentiâ ductus tum ipſi Joanni Pontifici, tum deinde Benedicto, qui ſucceſſit, rurſum per ſuos ſe ſtitit ſupplicem, honeſtiſſimis lega-

Cauſin. de Regn. Dei l. 1. diſſer. 27.

Adelsr. fol. 36. item 53. Adelsr. fol. 44. & 47. & 57. &c.

legationibus; aliis ſuper alias, Romanæ Sedis gratiam quacunque conditione prenſans, ita quidem, ut non dubitârit, ſignatis tabulis, quas Henricus inferioris Bavariæ Dux Avenionem perferendas accepit, polliceri; ſi aliter, quàm abdicatione Imperii ſatisfieri non poſſet, etiam Coronam ſummi Antiſtitis ſe pedibus ſubſtraturum. Benedictus XII. qui Joanni Succeſſit, proniore in Ludovicum fuit animo, ac niſi denuò alii ejus manſuetudini pedicas injeciſſent, diris utique ab Anteceſſore dictis eum exſolviſſet. Laudavit hic Ludovicum, UT QUO NOBILIOREM PRINCIPEM ORBIS NON HABERET; ALLATRARI POTUIT HIC GERMANIÆ SOL, ajebat, SED ILLUM TAMEN NEMO DE CÆLO DETRAXIT: ADHUC LUCET, ET ÆMULORUM OCULOS EXURIT. Cùm Legatos ad ſecretum Colloquium admiſſos, re infecta dimitteret, conteſtatus eſt, ſibi per Regem Franciæ, non omnia, quæ vellet, licere. Itaque & cum hoc nihil actum. BENEDICTO XII. Succeſſit, qui CLEMENTIS Nomen aſſumpſit, ſed Ludovico ſe neutiquam talem exhibuit. CLEMENS, dum Rothomagi adhuc Epiſcopum ageret, à Ludovico jam averſus, Franciæ & Bohemiæ Reges contra eum incitaverat; Carolo etiam Bohemi Regis Filio Imperium Romanum jam antè promiſit, & viciſſim hic vati ſuo ſpopondit opem ad Pontificatum. Diceres, ſub Clemente Pontifice coactas in novam nubem procellas; nova certè fulmina in Cæſaris caput ab hoc propediem ſunt vibrata, & tantâ quidem frequentiâ, ut per univerſam Germaniam, Italiámque Feſtis diebus omnibus, populo in concionem evocato execrationes in eum ex omnibus pulpitis jacerentur: Stetit tamen incomparabilis in Ludovico æquanimitatis etiam tunc non convulſæ perſeverantia, quæ poſt tot repulſas novæ ſupplicationis apparatum cum incredibili modeſtia inſtruxit. Ibant Avenionem Auguſtanus, & Bambergenſis Præpoſiti ſponſionem in omnia Pontificis vota Ludovici nomine afferentes, ſive abdicationem Auguſti nominis imperaret, ſive expeditionem Aſiaticam, ſive ædium ſacrarum molitionem, ſive votivas peregrinationes, ſtipésve, ſive alia quæcunque piacula ad ſui expiationem poſceret. Redierunt etiam hi Legati re imperfecta, & ſecutum eſt Pontificis mandatum ad Imperii Proceres, ut niſi pari pœnâ affici vellent, huic exauctorato Cæſarem ſubrogarent alium. Obſtrepebant Principes, totúmque Imperium Pontificis ſententiæ magnis animis diu interceſſit, ſed adnitente denique Bohemiæ Rege, novíſque minis à Pontifice accedentibus, Julio Menſe, Anno ejus ſæculi quadrageſimo ſexto detractum eſt Ludovico Auguſtum nomen, & Bohemiæ Regis Filio impoſitum, qui Carolus IV. eſt appellatus.

Adelsr. fol. 51. & 52. Hervv.

Palat. in Ludov. fol. 220. colum. 2. Rebdorf. ſenſ. & Argent.

Adelsr. fol. 54.

Adelsr. fol. 69. & fol. 70.

Adelsr. fol. 73.

Adelsr. fol. 71. & fol. 72.

Eoúſque duravit ferrea Ludovici patientia, tot procellis impavidum ſe objicientis, nec aliud magis, quàm ſuam obtendentis innocentiam. Naufragium paſſus eſt; ſed & è naufragio emerſit, apprehensâ virtutis & Fortitudinis tabulâ. Ad Cynoſuram in ſymbolo propoſitam, Auguſtiſſimam nempe Bavariæ Patronam, Dei Matrem oculos animúmque reflexit, huic res ſuas ſpéſque commiſit omnes; hac Maris Stellâ auſpice demergi non potuit. Coronam, quam etiam Fortuna dat, perdidit, alteram nobiliorem & immortalem, quam adverſa pariunt, in cœlis comparavit. Ita certos nos eſſe jubet pietas Mariana, quâ fulſit Ludovicus: in hujus monumentum Sanctiſſimæ Dei Matri Templum ac Monaſterium Ettallenſe magnis ſumptibus ædificavit, & in eo Divæ Virginis ſtatuam ex alabaſtrite, hodiéque prodigiis claram collocavit. Ædem aliam ejusdem Magnæ Virginis honoribus ab Hartwico De-

Adelsr. p. 2. lib. 3. fol. 63.

genbergio cæptam exſtrui, magnâ munificentiâ dotavit. Ad Deiparentis cultum quoque pertinet Bildenreutenſe ſacrarum Virginum Domicilium, quod non ſine prodigio ipſe condidit. Bettendorffium, à precum uſu perpetuo ſic appellatum, quod in Ratisbonenſi vicinia eſt, uti & Windesbachenſe Monaſterium alium præter Ludovicum Authorem non agnoſcit. Ingolſtadienſe Xenodochium ſua etiam ad eum principia refert. Superſedeo nominare plura ſacræ munificentiæ monumenta, quæ per totam latè Bavariam, in Deo & Deiparæ ſacris ædibus reliquit Ludovicus. Patet ex Bavariæ tabulariis plusquàm triginta eſſe Monaſteria ac templa, quæ Ludovicum præcipuum ſuum Patronum appellent, ut planè cum Carolo Magno, Ottonibus & S. Henrico, aliisque Bavariæ Principibus de hujus pietatis tam laudabili prærogativa partem capiat non modicam. Nihil ergo dubitamus, quin ejus jam prœmia capeſſat in cœlo; nam mercedem in terris (Deo ita paternè moderante) non accepit aliam, quàm in ſumma Fortuna ſummas adverſitates. Exceſſus quoque & mors luctu non caruit ſingulari; eam objit in venatione non procul Fürſtenfelda, gravi caſu ab equo in terram lapſus. Ferunt nonnulli, venenum ei præbitum, quod cùm in venis ſentiens equeſtri agitatione diſcutere vellet, ſuperante vi mali in terram effuſum ſuccubuiſſe. Id conſtat, inter clariſſima fidei, & pœnitentis animi ſigna, imploratámque Dei miſericordiam, & Patronæ Virginis opem, tanquam Cæſarem verè CHRISTIANUM, & PIUM exſpirâſſe, ut adeò ſpes ſit, æquiores eum ſuperos, quàm homines fuiſſe expertum. Cadaver Monachium deportatum Diva Virgo in Principe urbis baſilica excepit, ut quæ in vitæ difficillima navigatione fuit Cynoſura, jam portus eſſet, & aſylum. Succedentibus deinde annis Maximilianus Elector, abſolutiſſimæ artis, & ſplendoris verè Regii Mauſoleum ejus tumulo impoſuit, ut memoriam ſummi inter ſuos progenitoris nobilitaret. Id quàm jure merito fecerit, tum hæc, tum aliorum Authorum ſincera narratio comprobabit; certè apud eruditiſſimos quóſque Scriptores non ſolùm Auguſtum Imperatoris nomen (unde tamen tot tempeſtates originem duxerunt) ei per longam poſteritatem ſtabile attribuitur, ſed quotquot eum ſecuti ſunt Cæſares, ipsíque adeò Pontifices hos in eum titulos ſine dubitatione congeſſerunt. Baſileenſis ſanè Concilii Patres, & Eugenius ipſe Pontifex vocibus animísq; conſentientibus *Ludovicum Divæ Memoriæ Romanum Imperatorem* appellant. Calumnias maledicendi ſtudio in eum conjectas fuiſſe deprehendent facilè, quotquot ſolo veritatis amore ducti eos conſuluerint libros, qui non famam duntaxat ſecuti, ſed rem ex ipſis Autographis literis deſumpſerunt. Cum Magni itaque Herois fama perennet Ludovicus; MULTA TULIT FECITQUE. Bavariæ Regnum, quod lacerum accepit, locupletiſſimum reliquit. Veteres Bojorum Leges correxit, novas tulit, & quod mirum eſt, maximis calumniis irritatus, bellum nemini intulit niſi coactus, inferentes armis depulit, BELLICOSUS & PACIFICUS, PATIENS, & MAGNANIMUS.

Brunn. in Excub. Adelsr. fol. 76. Naucle-rus. Arem-peck &c.

Adelsr. fol. 76.

Vide Herw. p. 2. p. 907. & ſeq. Adels. fol. 76.

Anno MCCCXLVII.

XXXI. STE



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES AB OTHONE M. WITELSPACH
USQUE AD MAXIMILIANUM EMANUELEM HODIERNUM V.B. DUCEM AC ELECTORĒ

XXXI.

STEPHANVS SENIOR,

LUDOVICI CÆSARIS FILIUS,

DUX BOJARIÆ,

COMES PALATINUS RHENI,

SEPTEM - VIR.



Clarus eram belli quæsita laude per artes
Non minùs & Pacis munere clarus eram.

Reusnerus.

Perpetua, ut in mari, ita in rebus humanis est vicissitudo; post nubila Phœbus, post tempestates cœlum iterum ridet Serenum, procellis ventisque succedit malacia: sed & in hac nihil omnino tutum est. Mari tranquillo cantant Sirenes, & in brevia pelliciunt, ac præcipitia. Talis Siren est Fortuna, quæ in rerum secundarum affluxu, in ipsis suis illecebris insidias parat, & dum trahit ad se, adducit in *Naufragium*. Post Ludovici Cæsaris mortem Bavaria magnis ditionibus ac dignitatibus amplificata, spirantibus undique Zephyris, ad summam felicitatem provehebatur; sed cursus rerum istarum non erat diuturnus; fefellit iterum Fortuna, navigium rimas egit, & bonorum ingentium factum est *Naufragium*. Stephanus Ludovici Filius, hujus inconstantiæ non ignarus, ve-

Gevold. Gen. 20. Brunnerus in Theatr. Gloriæ Boicæ. Annal. Adelsr. part. 2.

lut alter Ulyſſes à Sirene hac ſibi cavit, Fortunam magno vicit animo, dignisſimus propterea, qui Heroibus Argonautis accenſeatur. Dictorum jam exempla capiemus, ac primùm videbimus facta Bavariæ ſub Ludovico incrementa, in ſex ejus Filios (tot enim ex bina conjuge ſuſceperat) redundantia. Palatinatus quidem eo tempore à cognatis obtinebatur, Bavarico Sanguine jam in duos defluente rivos; ditionem illam Ludovicus, antequam fieret Imperator, Rudolpho Fratri cum Septemviratu aut ceſſerat ſponte, aut cedere natu majori debebat. Accidit, ut ob privata diſſidia, Rudolphus à Ludovico expelleretur hoc ipſo Palatinatu, ac profugus abiret in exilium, in eóque vitam poneret. Tam iniquus tamen non fuit Ludovicus, ut Patris Rudolphi delicta plecteret in Filiis, eximiam laudem præclaræ probitatis apud poſteros inde commeritus; námque hos in omnia Principatûs jura ultrò reſtituit, adjecta tamen conditione, ut ſuffragium in Comitiis Imperatoriis Palatinus & Bavarus alternis ferat, eáque viciſſitudo deinceps perpetua ſit; qui interruperit, turbaverítque, jure ſuo cum omni poſteritate excludatur. Magnis hæc multisque teſtibus quin & propriis Septem-Virûm Imperii tabulis firmata ſunt. Itaque & ad Bavariæ Principes Septemviratus hic, ſaltem alternis ex jure & pacto pertinebat; acceſſit præter hunc alius, nempe Brandenburgenſis. Cùm enim illius gentis Principes Anno 1323. absque hærede eſſent extincti, Brandenburgenſem Marchiam, & Septemviratum eidem annexum, Imperio apertum Cæſar Bavarus tranſtulit in Ludovicum è Filiis ſuis natu majorem, qui *Brandenburgicus* inde dictus. Conſenſerunt, rémque habuerunt ratam Proceres Imperii. Huic ipſi Ludovico Brandenburgico, atque adeò Sanguini Boico, ex ſecundo cum Margarita Maultaſchia conjugio Comitatus Tyrolenſis cum Carinthii Principatûs jure, Patre inaugurante, obvenit. Erat enim Maultaſchia (à magnitudine oris ita compellata) Henrici Carinthiæ Ducis Filia, quo ſine aliis liberis defuncto hæres ipſa ſucceſſerat. Præterea cùm Cæſar Ludovicus altero matrimonio duxiſſet Margaritam Wilhelmi Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ & Friſonum Reguli filiam, cujus Parens quoque ſine hærede defunctus eſt, omnes illæ Provinciæ Domui Boicæ acceſſerunt. Ipſa Bavaria, cùm in plures hactenus partes, Superiorem, Inferiorémque Provinciam eſſet diviſa, ſub Ludovico quoque Imperatore Anno 1340. defuncto Henrico inferioris Bavariæ Duce in unum Corpus coaluit, atque ita in viginti ſaltem annos indiviſa ex decreto Cæſaris perſiſtere debuerat, quod tamen, infelici planè eventu, à filiis paternæ voluntatis oblitis ſervatum non eſt. Supervenit Bavariæ Graiſpacenſis Dynaſtia, quæ gentis ſuæ Regulis extinctis ad Bojos redierat, item Donawerda, Höchſtadium, Lavinga, Gundelfinga, aliáque loca plura pignoris nomine conceſſa, nominatim Campiduni, Ulmæ, Luitkirchii & Wangæ urbium tutela. Floruit hac ratione non opibus duntaxat & fortunis ſtemma Boicum, ſed & Romani Imperii Coronam poterat ſperare; námque res Caroli IV. qui viventi adhuc Ludovico in Imperio ſubrogatus fuerat, multis in partibus vacillabant. Ut Romanum ſceptrum id temporis in Bojorum Principum manibus permaneret, multorum judicio & votis expoſcebatur. Norimbergæ eapropter gravis orta ſeditio; verùm Principes ipſos Bavaros ſive paternorum laborum, tempeſtatúmque horror deterruit, ſive publicæ quietis amor, & innata modeſtia retardavit. Ludovicus certè Brandenburgenſis ut cum Imperatore Carolo pretioſis amicitiam pignoribus ſanciret, séque, ſuósque ambitionis expertes oſtenderet, Auguſta Cimelia toti Germaniæ, atque adeò Eccle-

Adelsr. p. 2. lib. 1. f. 10. & 11.

Adelsr. fol. 40.

Adelsr. fol. 9.

Brunn. in Excub. Adelsr. fol. 68. & 69.

Adelsr. fol. 19. & fol. 74.

Adelsr. fol. 61.

Adelsr. fol. 83.

Adelsr. fol. 80.

Ecclesiæ summè veneranda, sacram nempe Lanceam, qua Christi latus erat perforatum, clavos item, instrumenta pretiosæ necis, cui vitam mundus debet, Gladium Caroli Magni, & Paludamentum, aliáque rara Monachii à Parente Cæsare hactenus asservata, Norimbergam ipse lubens volénsque detulit. Ad Bavariæ felicitatem etiam illud pertinuit, quòd intra hos annos arctior cum Austriacis pauló antè diffidentibus inita sit conjunctio, quando Ludovicus Brandenburgicus Meinhardo Filio sponsam inde quæsivit; ea fuit Rudolphi Austrii cognomento Magnanimi Filia nomine Margaretha. Nuptiale fœdus Passavii ictum, indulgente Pontifice, ut quarto licèt inter se consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonii tamen vinculo possent illigari; quamvis antequam contrahendis nuptiis par esset ætas, Meinhardi mors sponsalia dissolverit, quæ nisi intervenisset, grandis hæreditas Bavariæ parabatur. Sed & Pontifici Bavariæ Principes rursum sunt conciliati, datâ Frisingensi Antistiti potestate, Ludovici Cæsaris Filios, sive propriâ, sive paternâ olim culpâ Ecclesiæ gratiâ excidissent, in pristina piorum jura restituendi. Monachii id factum non minore apparatu, quàm gratulatione bonorum. Ab eo tempore vix alii Principes Sedi Pontificiæ se magìs addixerunt, interposito juramento, amicorum se hostiúmve numero neminem habituros, nisi quos illa sibi addictos, aversósque censeret. Adelzr. fol. 89.

Cuncta hæc ad summam Bavariæ prosperitatem referenda; Jam verò instabilem vide Fortunam; ET AB HAC dignitatum, ditionúmque multarum NAUFRAGIUM. Post Ludovici Cæsaris mortem, contra ejusdem instituta saluberrima, diviserunt inter se Provincias relicti filii: Stephano, cui propagatio Boici Sanguinis meritò primum reliquos inter Fratres locum assignat, Bojaria cessit inferior; cujus tamen non modicam partem Fratribus Alberto & Wilhelmo dedit; Wilhelmus admodum puer non diu quidem in Bavaria substitit, sed cum Matre Margaretha ad hæreditarias Hollandiæ, Hannoniæque Provincias abjit. Bavariam Superiorem duo Ludovici Brandenburgicus & Romanus (ita dictus quòd Romæ natus esset) cum Ottone sortiti sunt. Marchia Brandenburgensis uti & Styriæ, ac Tyrolis Comitatus Ludovico Natu majori extra ordinem attributa rebus jam recensitis auctarium accessit. Sed hæc Dignitas omnium prima fluctibus est absorpta. In flore ætatis exemptus est rebus mortalibus Ludovicus; relicto Meinhardo unico è Margarita Maultaschia Filio, rebus gerendis nondum per ætatem idoneo. Hic quoque ætatis anno quarto decimo extinguitur; & cum ipso spes Tyrolensem Provinciam retinendi; Mater enim Maultaschia eam Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Austriæ Ducibus, velut proximo Sanguinis jure se contingentibus plena donatione transcripsit. Armis initiò Stephanus jus suum nec infeliciter propugnavit; sed re deinde justitiæ arbitris commissa, Schardingæ ita Pax fuit constituta, ut Bavari Duces centum & sedecim aureorum millia acciperent, omni verò in Tyrolin jure se abdicarent, retentâ duntaxat Kizbihelâ, Kopfensteiniô, & Ratenbergô. Jam verò in Ludovici Brandeburgici Marchiam & Septemviratum successit quidem Ludovicus alter, Romanus nempe, sed & hic anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono sine liberis decessit, & Fratri Ottoni eam reliquit Dignitatem. Otto, quamvis arctissima affinitate Carolo IV. Imp. esset conjunctus, & cujus filiam in matrimonio habebat, anno tamen septuagesimo tertio ab eo partim armis obrutus, partim inescatus pecuniâ, Septemviratu Brandenburgensi, & quidquid terrarum ei juriúmque annectebatur, fuit exutus: centum alii scribunt ducenta aureorum millia in pretium venditæ Marchiæ promissa: sed quatuor

Adelzr. fol. 83.

Adelzr. fol. 93. & fol. 99.

Adelzr. fol. 94.

 tuor

tuor duntaxat numerata, oppignoratis pro reliquo urbibus, Lauffâ, Sulzbaco, Rofenbergâ, Hirfchaviâ & aliis. Adversùs iniquiffimum tanti Principatûs, & maximæ dignitatis pretium fæpè & multùm conquefti funt reliqui Bavariæ Duces, ac Stephanus præcipuè, cenfuerúntque, nec funes campanarum, quæ in tam ampla provincia effent (ita de re tam iniqua loci placuit) jufto fuiffe pretio redemptos. Septem-Viri quidem, & Archi-Camerarii Nomen, quoad viveret, Othoni relictum; Dignitas ipfa primùm in Caroli IV. Filios Wenceslaum & Sigismundum, ac deinde in alias Familias eft translata. Grande naufragium! quô non minus erat alterum: Ipfi Principes Boji ftabili Septemvirorum dignitate, quam ratione Palatinatûs nuper erant pacti, exciderunt. Rudolpho Palatino Bojorum Fratrum Patruele mortuo, Septemviratus Bavaris ex fœdere Ticini feu Papiæ inito debebatur: Æquitatem rei de alternandis fuffragii vicibus Imperii Proceres ipfi antè agnoverant, probántque; fed jam Carolus IV. Rudolphi Fratrem Rupertum Bojis exclufis ea dignitate auxit, atque ita in tabulas retulit, ut ne præter Palatinatûs Rheni poffeffores in Electorum Collegium quisquam Archi-Dapifer cooptaretur. Denique & Belgicæ Provinciæ Dominos fuos mutârunt, à Bojis ad Burgundiones, ab his ad Auftrios translatæ. Ita eunt humana; nihil magnificum fimul & ftabile in rebus caducis; fluctuant omnia; modò attolluntur, modò deprimuntur: abforbentur terræ, ficcantur maria, fubfidunt montes, Regna tranfeunt, & per orbem, ut Petrarcha *de rem. utr. fort.* loquitur, Choreas fuas verfant. Quid inter hæc Regnorum Damna, Provinciarum Naufragia Stephanus? Velut qui in edita ftans rupe circa fe videt omnia concuti, & ipfe manet inconcuffus; videt aliorũ ruinas, & ipfe ftat erectus: reputavit hæc omnia effe Fortunæ dona, quàm brevì obtenta, tam facilè amittenda, modò non conftantis & magni animi faceret naufragium, rerum aliarum exiftimans poffe jacturam facilè tolerari. Tutatus eft, adminiftravit res fuas fapienter; ne, dum alienis fe impenderet retinendis, amitteret propria. Bavariæ, quam à majoribus acceperat, gubernaculum tenuit, ut Patriæ Patrem decebat; hanc primùm cuftodivit bonis legibus, Beneficiis fibi obftrinxit fubditos, rebelles armis compefcuit. Nec otiofus fedit, ut fcriptor aliquis indignè criminatur; fed arma induit, cùm neceffitas pofceret. Ita Meinhardi Nepotis tutelam fibi jure Sanguinis debitam bello vindicavit; Petrum Eckerum, qui arcem Stauffiam Carolo IV. Cæfari velut clavem Boicæ in manus tradiderat, proditæ eapropter, aut prodendæ Patriæ fufpectum victrici gladio in ordinem poteftatémque redegit; Solâ adventûs fui famâ factiofos ab obfidione Köttingwerdæ rejecit. Nec iners paffus eft ea Boico Sanguini eripi, quæ fuâ manu defendi poffe judicavit. Eo fine perrupit Tyrolenfium clauftra, montium præfidia fugavit; Kopfenfteiniâ, Kizbiheiâ, Ratenbergicâ aliisque potitus arcibus, quas hoftis infederat, fefe Styriæ finibus victor inferebat, utramque illam Provinciam, quæ à Maultafchia in alienas manus confignata fuerat, Boico imperio afferturus, nifi oblatæ Pacis conditiones & diverfa aliorum confilia curfum victoriarum inhibuiffent. Nec defunt alia infignium operum veftigia, quæ orbi demonftrent, neutiquam Stephani vel culpâ vel focordiâ factum, quòd Bavariæ tum Principatus ejusmodi damna tulerit; fatis hæc adfcribenda, vel potiùs fuperis, è quorum nutu Regna transferuntur. Ingentem præterea laudem huic Stephano Annales tribuunt ex eo, quòd in fubditorum fuorum utilitatem plurimùm advigilârit, legésq; faluberrimas conftituerit, aut a majoribus ftatutas confirmârit, digniffimus idcirco, per quem, cùm Fratres alii fine hæredibus deceffiffent, Bavariæ Sanguis propagaretur. Filios habuit Joannem, Stephanum Juniorem, & Fridericum. Extinctus eft Anno MCCCLXXVII.

Adelsr. fol. 95.

Brunn. in Excub.

Spener. in Sylloge. f. 184.

Adelsr. fol. 88.

Brunn. in Excub.

Adelsr. fol. 91. & alibi.

ANNO MCCCLXV.

Adelsr. fol. 97.

Adelsr. fol. 94.

ANNO MCCCLXXVII.

XXXII. JO-

XXXII.

JOANNES,
STEPHANI FILIUS, LUDOVICI CÆSARIS NEPOS, DUX BOJARIÆ, COMES PALAT. RHENI, &c.



Simplicitatis Amans, & fallere nescia vita
Me Populis gratum, me facit esse DEO.

Reusnerus.

Quamvis inter Stephani Filios Natu minimus fuerit Joannes, meritus tamen est venire in numerum Majorum & Heroum Bavariæ. Fratrem ejus Stephanum tum temporis appellabant BELLICOSISSIMUM, Fridericum PRUDENTISSIMUM, Joannem verò MITISSIMUM, non quòd vel defuerit Prudentia, vel Scientia militaris Joanni, sed quòd hic maluerit ejus Herculis Nomen à posteris referre, qui non ferreis, sed aureis catenis homines ad se trahit, & obsequia subditorum benevolentiâ potiùs, quàm timore conciliat. Hinc cùm maximè popularis esset, atque è germano suo candore cæteros metiretur omnes, apertè ausus est dicere, nihil se dubitaturum, quin in cujusvis subditi sinu (ita omnes

Brunn. in Excub.

 Prin-

Brunn. in Excub.

Principi fideles judicabat) noctem somnúmque exigeret securum. Absque Prudentia non fuit hæc verè Christiana simplicitas, si tamen ita est appellanda, ne vulgo imponatur, qui simplicitatem vix inter virtutum decora numerat. Sic Principatum suum gerebat, ut populorum omnium colligeret affectum, quod nemo obtinet, nisi prudentissimus. Et bella gessit, & palmas victor retulit, sed nunquam sine clementia, nunquam sine pietate. Infame adhuc est bellum incendiarium, quod illo sæculo Bojos cum Republica Augustana collisit, & triginta ferè annos cum magna utrinque agrorum devastatione duravit. Multa ibi Joannes adhuc Junior, & sub Stephani Patris Disciplina constitutus egit præclarè; varia statuit monimenta suæ virtutis bellicæ; ita tamen, ut & generosæ pietatis emicarent indicia. Extat adhuc hodie ædes Divæ Virginis Thalkirchensis non procul Monachio visenda, ipso illo Augustanorum bello constructa; cùm enim Christianus Frauenbergius, qui Principis Joannis signa ducebat, superante hostium multitudine ad Isaram usque fugam intenderet, & ut vadum tentaret, præsenti vitæ periculo absterreretur, concepto voto ædiculam Divæ Virgini in littore ponendi, ingressus est fluvium, & salvus enatavit; unde damnatus voti, templum, jam Thalkirchense dictum, excitavit. Stat illud in hunc usque diem, & sinistram quidem Joannis Principis Fortunam, sed non sine vestigio magnæ Pietatis contestatur. Mala nempe in bello sors plerúmq; BONÆ BAVARORUÆM DEÆ, hoc est, ut Christianè loquar, Matri ter optimæ cogitur sacrificare. E damnis belli nascuntur fructus Pietatis, Boico Sanguine, quem Virgineum Lac, sive cultus Deiparæ semper temperat, etiam lolia irrigante. Hujus Joannis pietati grata debet Bavaria pretiosissimum thesaurum, quem ea ætate inventum in hæc nostra tempora magno suo solatio, pariq; utilitate conservat. Rem illam, tanquam inclytā suæ pietatis tesseram habet idcirco Joannes Symboli loco appictam. Latebant in Montis Andecensis ædicula admodùm multa rerū sacrarum monumenta, quæ majorum olim cura, ne bello interciperentur, abdiderat; oblivio posterorum, aut ignorantia sic neglexerat, ut nulla eorum ampliùs extaret memoria. Hypogæum quoddam seu conditorium nemini observatum aræ suberat, in qua cùm è Divi Francisci Familia nonnemo sacrificium Deo fortè immolaret, sub ipsum sacrum musculus inde prorepit, chartámque mordicùs ferens in conspectum prodit Sacerdotis; quem ubi res advertit, injecta ei divinitùs mens est, ut excussam timido musculo chartam inspiceret; inspexit, ac planè reperit, maximarum rerum esse syngrapham. Factum rei indicium Joanni Bavariæ Duci, qui ut erat Divinis addictissimus, ad Montem Andecensem ipse se statim contulit; apertum hypogæum, protractáque capsella plumbea ingentem detexit thesaurum; Erant ternæ Divini Panis prodigiosæ formulæ, seu Hostiæ Evcharisticæ nondum vetustate corruptæ; insignia Divorum lipsana magno numero: aliáque plura, quæ pietas Orthodoxa terrenis opibus longè censet cariora; adfuitque testis frequentissimus, cùm hæc egestâ humo in lucem eruerentur. De tam eximio certóque Dei favore continuò Princeps Joannes Bonifacium IX. Pontificem per literas edocuit. Bonifacius felicitati ejus gratulatus, ut communem hanc toti Bavariæ faceret lætitiam, Thesauro invento suas quoque adjecit opes, plenam peccatorum condonationem jis impertitus, qui ritu Catholico priùs expiati hæc cœli munera essent veneraturi. Erat illo tempore Montis Andecensis Sacra Ædes angustior, quàm ut confluentis multitudinis pietatem caperet; donec ergo augustius templum surgeret, Monachium deportari sacrum jussit thesaurum Princeps, & quot hebdomadis à verno jejunio usque in adultam æstatem ve-

ne-

Adelsr. fol. 103.

Adelsr. fol. 125. Excub. Tut. Vitus Arenpeck in Chron. An. 1389.

nerationi publicæ exponi. Tantus fuit non unius provinciæ concursus, ut sexaginta hominum millia una sæpè die convenirent. Memoriam gratiæ Pontificiæ, quam Indultum vocamus, hodie adhuc Monacenses celebrant, anniversarias nundinas in æstate ad Divi Jacobi Festum, ab hoc Indulto, * Germanico ferè nomine ita appellantes. Habet igitur Bavaria nostra, habet Monachium, quod tanta cœli munera Pietati Joannis, sub quo Duce hæc acciderunt, grata adscribat: profluunt hinc immensa hactenus maximáque beneficia, & à Sancto illo Monte descendunt in provinciam universam gratiæ perpetuæ. Si Bavaria Heroës illos nominat; à quibus propugnatur, & defenditur, vel à quibus terrarum, ditionúmque accipit incrementa, an ab Heroum numero excludet illum, qui in his eos hucúsque conservat? Terras expugnârunt alii victricibus armis; Hic Pietate sua expugnavit cœlum, suisque subditis aperuit portas gratiæ, aditum salutis. Nunquid enim hic perpetuus, & multis experimentis testatissimus est fructus pietatis, quam sacris Divorum Cineribus impendimus, ut per eos cœli beneficia, quin ipsam animæ salutem impetremus? Et hæc utique Fortuna est toti Bavariæ fecundissima, quam sibi totique Patriæ subjugem sua JOANNES reddidit pietate. Jam adversam quoque ejus Fortunam breviter inspiciamus. Attulit Joannes memorata pietate Monacensibus sortem prosperam; Monacenses vicissim Principem suum, cùm adversâ premeretur, Benevoli gratique exceperunt. Ut fieri solet, virtus, & Pietas odio & infectationibus non carent. Probum, & pacificum Fratrem Fratres odêre. Vixerunt aliquamdiu tergemini Stephani Senioris Filii, Stephanus nimirum Junior, Fridericus & Joannes Noster in hæreditatis communione, & Boicam regebant indiviso imperio, summáque voluntatum, quæ charitatis mutuæ, & quietis publicæ conciliatrix est, consensione. Sed non diu tenuit Fratrum concordia, semper rara, raro diuturna. In Joannem duorum exarserunt odia; hunc Pacis amantem ausi sunt deprimere, & nihil sibi arrogantem vix non conculcare. Ventum est ad sortitionem Provinciarum, in qua portionem minimam Joanni assignârunt, non solùm de magnitudine opum, sed etiam de splendore dignitatis multùm detrahentes. Quare ut Sanguini Boico & justitiæ labem inferri non pateretur Joannes, Fratres monere, & jus suum persequi non destitit; cùm nihilominùs cunctarentur, à Monacensibus subsidium auxiliúmque petiit, qui eum egregiè tutati, in Principem Regiam, suámque ditionem receperunt. Illic cùm moraretur, cives morum suorum suavitate, virtutísque pulchritudine ita sibi obstrinxit, ut hi causam ejus sibi fortiter suscipiendam rati, Fratres reliquos adegerint ad novam hercifcundam majore æquitate faciendam. Eâ factâ convenerunt Monachii Ordines omnes, qui ad Provinciæ Joanni attributæ Comitia spectabant, & non solùm Joanni, sed ejus quoque Filiis Ernesto ac Wilhelmo interposito jurejurando omnem & perpetuam fidem atque obedientiam promiserunt, servâruntque. Atque ita in adversis triumphavit generosa Ducis ac Herois Pietas, ita coronata est in terris; majoribus longè triumphis exornanda in cœlis, ad quos evocatus est Anno millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, Augusti die octavo, Princeps virtute, & felicitate inclytus, Justitiæ amans, quietus, Satórque Boicorum Ducum, IN QUEM INTUENTES Posteri continuam hucusque servârunt laudem eximiæ in DEUM Pietatis, atque cum eâdem PIAM, FORTUNATAMQUE BAVARIAM, porrò longissimè conservabunt.

[Margin: * Dult. — Adelzr. p. 2. lib. 6. sub fin. — Adelzr. fol. 127. — An. Chr. MCCCXCVII.]

XXXIII.

ERNESTUS
JOANNIS FILIUS, BOJARIÆ DUX, COMES PALAT. RHENI.



Integer & sumptis Pacis studiosus in armis
Obsequio merui commodiore decus.

Reusnerus.

ITerum Heroëm Damus, & Fortitudine & Clementiâ Diis Parem. Neptuni nomen & Personam à Symbolo, quod appingitur, ei possemus attribuere. Neptunus turbulenti maris Pacificator notissimus, cùm aliquando fluctus à ventis rebellibus in mari concitatos observaret, *graviter* quidem *commotus*, *& alto prospiciens*, *placidum* tamen *caput extulit undâ*, ac duobus duntaxat, jisque plùs clementiæ, quàm iræ indicibus verbis (*quos ego!*) tumultuantes compescuit. Ita Virgilius Poëta. Ernestus Bavariæ Dux simili planè modo excitatam adversùs se tempestatem, placidô & æquô animô est intuitus, & insigni clementiæ exemplo dissipavit. Vix Principatum suum hæreditarium superioris Bavariæ cum Wilhelmo Fratre adierat, indignissima debuit pati ab jis ipsis, qui talia inferre minimè debe-

bebant ſubditi: Cives enim Monacenſes malignis Waremundi Bienzenavii artibus corrupti, temeritate incredibili Erneſtum & Wilhelmum legitimos ſuos Duces Sede Principe, & urbe ejectos in exilium compulerunt; Ludovico Barbato Ingolſtadienſium Duce, qui alienis ſemper rebus incubabat, in Monacenſem Regiam perfidè admiſſo. Rem ſanè luctuoſam! injuriam in Principes atrocem, quam tamen Fratres ferendam potiùs, quàm inferendum Patriæ bellum cenſuerunt. Receperant ſe ergo Landishutam ad Patruelem Henricum, ubi omnia priùs experiri placuit, quàm ad extrema remedia deveniretur. Cauſa ad æquos rerum arbitros eſt delata; implorata ſummorum tribunalium juſtitia, quæ pro Principibus equidem pronuntiàrunt, ſed apud Monacenſes aditum & aurem non invenerunt. Itaque præcipua totius Boicæ Nobilitas, rei indignitate commota, civitates, oppida, ordines univerſi, edidère in publicum tabulas, ſeptuaginta omnino ſigillis munitas, quibus edicebant, ſe Principum jura in ditionem Monacenſem, ac Superiorem Bavariam rata habere, atque ad illos tuendos data fide conſpirâſſe; proinde vi compulſuros ad officium Monacenſes, niſi ſponte lubentéſque ad Dominorum ſuorum obſequia redirent. In hoc conſilium vires bellicæ (cùm alia non ſupereſſet malo tollendo via) ex ipſa etiam Auſtria & inferiore Boica collectæ. Interim Ludovicus Barbatus clientes ſuos Monacenſes tributis priùs probè emunctos, digreſſus ipſe in Franciam ad Reginam Sororem, ſub cultro reliquit. Erneſtus adduxit copias, & Monachio admovit apparatu quidem magno, reipſa ut majore militum numero perterrefactos, mitiora brevì conſilia amplecti perduelles cogeret; neque tamen Monachii adeò multos deteriore hac nota cenſendos fuiſſe credendum eſt: Senatus à Ludovico Barbato in partem iniquiorem abreptus cives aliquot ſecum traxerat, facilè in id propendentes, quod juſtum arbitrantur, quia prudentiorum, ut rebantur, exemplo comprobatum. Ergo ubi volantia ad Iſaram Fratrum Principum, & Henrici Patruelis ſigna viderunt, plebs potiſſimùm adversùm conſpirationis Duces tumultuata, portam Schifferianam (cui ad geſtæ rei memoriam hodiéque Leo adpictus viſitur) effregit, & Principes in urbem intromiſit. Mox exercitus quaquaversùm infuſus plateas portáſque præſidiis occupavit, ne quod pateret rebellionis authoribus effugium: Sed vetuit mira Erneſti lenitas, ne vel civium fortunis, aut corporibus ulla vis afferretur. Quis mirari ſat poſſit Sanguinis Boici clementiam? cùm & cauſa & occaſio foret vindictæ graviter ſumendæ, abſtinuit tamen Erneſtus ſummæ moderationis Heros, & cùm poſſet plectere, ſatis habuit motos componere fluctus, DEI Optimi veríque, non fabuloſi illius Neptuni manſuetudinem æmulatus. Ut tamen ſcelus ita demergeret, ne peſſimo perduellium exemplo provocata audacia reſumere porrò vires poſſet, noxio aliquot reorum Sanguine omnium aliorum debitum expunxit. Verſis dein ad ſananda Patriæ vulnera curis, cùm poſſet ferrum etiam & ignes, hoc eſt duriora remedia, eum in finem adhibere, maluit ſeligere molliſſima: tales enim concordiæ impoſterum ſanciendæ poſuit conditiones, quæ plebi ferè quàm Principibus erant æquiores; jura civitatis municipalia magnis immunitatibus aucta confirmavit, atque adeò pertinaciam jam armis edomitam, adhuc beneficiis expugnavit, ſibique devinxit omnes Princeps verè Clementiſſimus. Pænituit ſanè Monacenſes ab optimo Principe defeciſſe, & ut æterna oblivione maculam delerent, jam tantò majorem ſuis Principibus, & intaminatam perpetuò ſervant fidem. In eximia autem hac raráque manſuetudine Erneſti, qua ſibi adverſantes, & ipſas

Adelsr. fol. 31. p. 2. lib. 7 item fol. 133. & ſeqq.

 ipſas

ipſas adverſitates excepit, quis non altiſſimam in Fortuna ſiniſtra virtutem ſuſpicit? Principem ſe oſtendit ſuprà communem ſortem longiſſimè poſitum, & ad quem nullæ ſubditorum injuriæ poſſent pertingere. Animi hæc erat fortitudo & magnitudo mentis, quam hactenus deſcripſimus; Corporis etiam robur, & Herculea manus non defuit Erneſto, qua Patriæ, & quod ſuaviſſimum Patri, Filio ſalutem attulit. Sub Annum MCDXXII. Agri Monacenſes, & tota latè vicinia à Ludovici Ingolſtadienſis milite incendiis, ac deprædationibus vaſtabatur; ignis undique collucens, & funeſtus ardentium villarum fumus Erneſtum excitavit, ut cum Filio Alberto, & magna civitatis parte armatus prodiret, hoſtémque in Pago Allingenſi magno numero collectum aggrederetur. Signis collatis, cùm dubio Marte acerrimè pugnaretur, Albertus Erneſti Filius inclytum primæ militiæ daturus experimentum, in medios ſe hoſtes conjecerat; jámque undique circumventus, hoſti captivum ſe dedere, ni mallet occumbere, jubebatur: cùm vox imperantis hæc atque inſultantis Erneſtum Patrem advertit, & generoſum animum eò mox impulit, ut ancipiti prælio ſimul, & Filio cum ingenti ſuo diſcrimine ſuccurreret. Clavâ pro ejus ævi more armatus, viâ factâ per ſtipatos hoſtium ordines, irrumpit in medium agmen, ubi Filius dimicabat; & jam in eo res erat, ut hic vel vitam, vel libertatem poneret, cùm Erneſtus facta hinc & inde ſtrage, hoſtes velut fulmine afflatos diſſipat, atque uni, qui cæteris audacior Albertum urgebat, clavâ, quam eo die multo tinxerat Sanguine, ſupremum capitis diſcrimen intentans, prædam excuſſit; Tum acie reſtituta, & labefactis hoſtium Ordinibus, pugnam victor abſolvit, multiſque in loco pugnæ obtruncatis, dilapſis aliis, ducentos captivos urbi nihil imminutâ ſolitâ modeſtiâ oſtentavit. Facti generoſi gloriam, nec ſibi nec fortunæ retulit in acceptis, ſed Deo integram remiſit, útque extaret æternum grati animi ad poſteros monimentum, ſacram ibi voluit excitari ædem, ubi Moderator Bellorum & exercituum Deus victoriam eſt largitus. Geminum hoc, & in utraque Fortuna eximium Erneſti facinus dixiſſe ſufficiat; diverſa alia Boici referunt Annales, inter quæ & illud eſt memoriâ dignum, quòd Boicum Stemma Erneſto debeat nobiliſſimum ſuum ſanguinem ab omni nævo ſequioris affinitatis, & labe natalium incontaminatum. Cùm enim Albertum Filium indignis mulierculæ lenociniis abreptum adverteret nuptias cogitare toti poſteritati propudioſas, ſua Parens poteſtate ſeveritatéque negotium omne ita diſſolvit, ut Filius ipſe amore priùs excæcatus, abſterſo dein glaucomate temerarium conſilium fit deteſtatus, & illuſtriſſima Brunovicenſium Ducum Principe filia in matrimonium ducta, ſeriem Boicorum Ducum non vetuſtam magis, quàm incorruptam conſervârit. Gravis quidem Erneſti animadverſio in puellam ad tam impares nuptias aſpirantem, quam Straubingæ Judicio, & morti ſubjici juſſit, viſa nonnullis eſt juſto acerbior; ſed eam & cauſæ graviſſimæ, & illuſtriſſimæ ſtirpis incorrupta claritudo, & laudata aliorum exempla defenderunt. Ultimos vitæ ſuæ annos nova pietate conſpicuos reddidit Erneſtus, quando nobile templum excitavit in Monte Andecenſi, quem ob repertas ibi tot Divorum Reliquias, ut ſuprà memoravimus, ſanctum compellant. In hoc adhuc pietatis officio occupatum mors ad cœlum evocavit Anno MCDXXXVIII.

Brunn. in Excub. Adelzr. fol. 155.

Adelzr. fol. 165.

An. Chr. MCDXXXVIII.

XXXIV. AL-

XXXIV.

ALBERTUS PIVS,
ERNESTI FILIVS, COMES PALAT. RHENI, BOJARIÆ DUX.



Contentus tu Alberte tuis, aliena recusas;
O Magnum Magni Principis ingenium!
Felix quem Pietas Magnum facit; imò Pius quòd
Dictus es, hoc magni nomine Major eras.

Gevoldus in Genealogia.

NOvum ecce Fortunæ Domitorem! Novum Heroëm! Atque & ipsum inter magnos denuò maximum! Sortem alii pluribus mortalibus communem ita tenuerunt, ut nec frangerentur rebus asperis, nec blandis mollescerent, FORTISSIMI, quia UTRAQUE FORTUNA superiores: Sortem Hic Regiam, & nonnisi paucissimis obtingentem, raro exemplo, virtute incredibili devicit. Obtulerat Fortuna Alberto Coronam ac Sceptrum, ut in suum pelliceret sinum; sed Albertus insigni moderatione rejecit hæc munera, & contempsit. Spernere dum potuit, Fortunam vicit. Res in hunc modum gesta est. Anno salutis Christianæ

Adels. p. 2. lib. 8. fol. 171.

Dubrav. Histor. Bohem. c 57. Aeneas Sylvius. Bonfin. lib. 4.

ſtianæ MCDXLI. Poſt Alberti II. Cæſaris mortem, Ungariæ Bohemiæque Regna Ladislaum Quadrimeſtrem Infantem, & poſthumum Alberti Filium, vagientem nempe in cunis, Regem averſabantur, & ad alios, quorum fortiore dextera regi ac gubernari poſſent, reſpiciebant. Itaque in Ungariam vocatus eſt Uladislaus Poloniæ Rex, qui mox comparato exercitu iter pro Regno capeſſendo adornavit. Proceres verò Bohemiæ, qui pronis jam dudum animis in Albertum Bavarum, ſibi de inſigni virtute notiſſimum ferebantur, Legatione ſplendida veniunt in Bavariam, ampliſſima Oratione ſuorum vota ac deſideria explicant, Regni potentiſſimi opulentiam extollunt, rogántque Albertum, ut gentis ſibi addictiſſimæ habenas capeſſat. At ille, quamvis ſummorum Virorum Authoritate ad id haud parùm moveretur, paruit tamen virtuti potiùs ſuæ & moderationi, qua nec immeritò ſuſpectam hanc habuit felicitatem. Gratias itaque Legatis agit, quòd ſe dignum tanto imperio judicâſſent; agnoſcere ſe præclarum nobiliſſimæ Nationis erga ſe ſtudium, ac benevolentiam, ei viciſſim ſe fore addictiſſimum; cæterùm cùm Proles legitima in Regni hæreditatem jam nata ſit, ſibi nimiùm quantùm vile ac indecorum videri, ut cum Infantuli injuria alienum captet diadema. Dubravius Bohemicæ Hiſtoriæ Scriptor hanc inſuper laudem Alberto noſtro tribuit, quòd cùm Legati ſuis ad novum Regem precibus pacta quædam adjunxiſſent, quæ nonniſi calcatâ Religione inire poſſet, exclamaverit Albertus, moriturum ſe potiùs, quàm his legibus imperaturum; quæ una vox, ſi cætera abeſſent omnia, PII Nomen, quod pro laude perpetua obtinuit, ei poterat conciliare. Hoc igitur modo de ambitione, déque Fortuna præclariſſimè triumphavit Albertus, ſpretóque Regno, ſe Rege Regnóque majorem orbi terrarum oſtendit; Glorioſius enim eſt Regnum non concupiſcere, quàm concupito per fraudem potiri, & ſervire injuſtæ cupiditati. Humanam verò virtutem propemodum excedit, eas etiam Dignitátes, quas jure poſſis admittere, altiore animo deſpicere. Hi ſtant in faſtigio veræ magnitudinis, & hominum REGES ſunt, quia omnium excelſiſſimi. Regem certè non cultus exterior, ſed internus habitus facit, & mens Regia; Imperium in virtute, non in diademate conſiſtit. Illam poſſedit Albertus; hoc abdicavit, quia hoc obtento noluit illam amittere. Profectò nonniſi FORTISSIMI ſic pugnant cum Fortuna, ſic triumphant, Regum etiam Reges dicendi; námque

Rex eſt, qui metuit nihil,
Rex eſt, quíque cupit nihil.

Intellexit Albertus, quot aculeis & ſpinis, quot curis & periculis obſitæ ſint Coronæ, quæ ex auro fiunt. Regnum putavit, quod mel eſt urſo; qui dum quærit dulcedinem, pungitur apum aculeis, & Sanguine ſuo expiat voluptatem. Rei hujus imago in Alberti Symbolo idcirco ponitur, uti & id, quo muſcas aut pyrauſtas videre eſt, flammæ pulchritudine delectatos ad lucernam temerè advolare; ſed dum flammam nimis prehenſant, comprehenduntur, ludúmque in exequias vertunt. *Tanti non emo perire*, ajebat Albertus; non hìc ſtat vera felicitas, ſed ſplendida potiùs miſeria. Felicior planè ero, ſi periculoſam non admiſero felicitatem. Proinde, quem proſpera decipere FORTUNA non poterat, tentavit ADVERSA. Quæ priùs obtulit ſua Dona, nunc alia aufert. Amplam terrarum ditionem reliquerat Ludovicus Barbatus, qui Dux Ingolſtadienſis jam aliquoties à nobis eſt nomi-

Annales Boici p. 2. lib. 8.

mi-

minatus, Princeps maximi quidem animi, & egregiæ fortitudinis: ſed ſuâ profectò culpâ ſæpè infelix, & ad ultimum à proprio filio in captivitatem abſtractus, ac in ærumnoſiſſimi carceris ſqualore extinctus. In omnia hujus bona, filio quoque jam vivis exempto, involavit Henricus Landishutanus, Alberto noſtro, Superioris Bavariæ Duce prorſus excluſo, cui tamen hæreditas ſaltem ex ſemiſſe competebat. Et erant urbes Bavariæ non paucæ, quæ potiùs Alberti Principis Optimi Dominatum, quàm Henrici requirebant; Hic enim ad ſuas magis, quàm ſubditorum rationes erat attentus; Albertus verò & ſibi ipſi, & ſubjectis imperabat bene; ſe virtutibus, populum ornabat commodis. Quid agit Albertus ab iniqua Fortuna ita circumſcriptus? Aderant hortatores, qui jus tam opimum & luculentum vel ferro etiam perſequendum cenſebant. Albertus, ne hinc juri, & poſteris quaſi iners deeſſet, inde verò in ſuam nihil delinqueret PIETATEM, Doctiſſimos in Germania, Italiáque viros conſuluit, iíſque auditis, mitiorem ſecutus partem ad arma adversùs cognatum Sanguinem ſibi non putavit deſcendendum: pacem ſibi potentiâ ajebat potiorem, neque commiſſurum ſe, ut cum publicæ quietis detrimento, privata aliquando augere voluiſſe crederetur. Sic adverſa ſuperantur non abſque gloria, nec ſine lucro. Cœlum ſanè moderationem hanc in poſteris remuneratum eſt magno cum fœnore, quando hi deficiente omnino maſcula Henrici Landishutani prole, totâ Bavariâ ſunt potiti. Adverſitates alias, & magna incommoda Alberto ejusdémque ditioni jam dudum attulerant Judæi incolæ, ſordidum, & ob uſuras fraudéſque Chriſtianis pernicioſiſſimum hominum genus. Eos proinde Albertus Anno Chriſti MCDXLII. Monachio omnes exterminavit; Domum, in qua fæx illa nidulabatur, ſuáque conventicula celebrabat, donavit Joanni Hartliebo Medico, quam is cum tempore ſacris altaribus ornatam in ſacellum, & Marianum illud Hypogæum commutavit, quod Cryptam Sacram hodie nuncupamus, magna Religione & prodigiis claram. Alberti noſtri exemplum in proſcribendis Hebræis ſecutus quoque eſt Ludovicus Landishutanus Henrici Filius, unáque die ac hora eos quadraginta omnino locis exeſſe juſſit; qua ratione malis Corvis jam nullus in Bavaria relictus eſt nidus. Pari modo, quo Albertus ditionem ſuam purgavit à Judæorum perfidia, ſecuram quoque reddidit à rapinis & latrociniis publicis, quæ illa ætate ita frequentabantur, ut nobiles quoque hæc inter Equeſtris ordinis decora numerarent; gravibus ergo ſuppliciis tantam licentiam caſtigavit. Duos Cameravios optimi ſanguinis, ſed peſſimarum graſſationum compertos cum undecim prædonum manipulo Straubingæ Carnificis ferro ſubjecit. Neunhuſium caſtellum, infame jam dudum ſpoliarium, & receptaculum latronum de improviſo circumſeſſum expugnavit, & quingentos ſicarios inde extractos ultimo juſſit ſupplicio mulctari. Sic altera manu Juſtitiæ tenebat gladium, altera Oleam PIETATIS; in omni Fortunæ viciſſitudine ſibi ſimilis, abſolutæque virtutis exemplar illuſtriſſimum. PII Cognomen promeritus eſt, Pietatem, quæ ad omnia teſte Apoſtolo utilis eſt, ſic intelligendo, ut omnimodam virtutum laudem numerósque comprehendat; cùm Annales Domeſtici clarè innuant inceſſiſſe Principem Hunc, quacunque prodivit, in plurimarum ſemper virtutum Comitatu; eluxiſſe nimirum in eo PACEM, MODESTIAM, HUMANITATEM, CLEMENTIAM, BENIGNITATEM, & LITTERARUM BONARUM EXIMIUM AMOREM. Alberti Gynecæum hoc erat, Pio Principe utique digniſſimum, cujus in contubernio ſe ad iter æternitatis diuturno


Brunn. in Alberto.

jam consilio studióq; comparans, mortem oppetiit Anno MCDLX. Funus illatum est Mausoleo sacri Montis Andecensis, in quo Canonicorum Collegium ex Pontificis sententia in Asceterium vertit. Ex Elisabetha Principe Wirtenbergica prima Conjuge nullam sustulit sobolem. Ex Anna verò, Erici Ducis Brunsvicensis Filia suscepit Filios septenos, ternas Filias. Joannes, Ernestus, Sigismundus, Christophorus, Wolffgangus & Albertus unus, omnes vel in pueritia, vel Cœlibes defuncti sunt; Albertus alius, quem SAPIENTEM dixerunt, natus Anno Christi MCDXLVII. cum summa laude imperavit Boicæ, & Illustrissimum stemma ulteriùs propagavit, de quo agemus posteà. Inter tres Principes Filias Barbara mortales nuptias aversata, Christum Francorum Regi, Virginitatis Lilia Gallicis prætulit, & Monachii in Parthenone Angerano, PIAM, ut à Patre hauserat, vitam tantáque vocatione dignam egit, & mortem non absque prodigiis obivit.

An. Chr. MCDLX.

XXXV.

ALBERTUS SAPIENS,
ALBERTI PII FILIUS,
COMES PALAT. RHENI, DUX BOJARIÆ.



Quis fuerim, vitáne gravis, virtutéque præstans
Atque fide, nomen consule, certus eris.
Ingenii vigor, & magnæ solertia mentis
Sæpiùs ad magnas res mihi fecit iter.

Reusnerus.

Regna

Regna & Imperia Labyrintho simillima rectè dixeris; tot implicata sunt curis, tot vicissitudinibus, tot casibus & periculis intricata. In hoc Labyrintho nemo incedit securior, ex eo nemo egreditur felicior, quàm Sapiens; Sapientia præbet Filum, quo regantur vestigia, & optatus exitus inveniatur. Talem SAPIENTEM habuit Bojaria, ut in cæteris suis Ducibus, ita præcipuè in hoc Alberto Nostro, qui cùm difficillimis sanè temporibus Principatum obtinuisset, luctuosa sinistræ Fortunæ victima succubiturus erat, nisi sapientiæ præsidio evasisset, seque, Bavariámque in gloriosam libertatem, ampliorémque asseruisset dignitatem. Fortuna, suum ludum (ut ait Poëta) ludere pertinax, omniáque sæcula variarum rerum vicissitudinibus & mutationibus commiscens, ea præsertim tempestate Albertum in sua cogere retia, captúmque opprimere laboravit; sed ille altiore animo laqueos supergressus est, & fatis cœlestibus, Divinæ nempe providentiæ, non Fortunæ se prudenter attemperavit. FATA VIAM INVENIENT, sibi ipsi identidem occinebat. Verba hæc sapientiæ plena, aurea illa fila erant, quibus à sinistris perplexísque casibus se potuit feliciter expedire. A Parentis Alberti Pii morte, Joannes & Sigismundus cæteros inter Filios natu maximi, pari simul imperio rerum Boicarum habenas capessebant; ita enim supremæ voluntatis edicto, prudentissimóque consilio Albertus Parens caverat, ne in singulos hæredes, quorum plures erant, Provincia divideretur. Triennium abjit, cùm per totam Bavariam, Austriam, ac Sueviam dirè grassata pestis Monachii quoque inter alios sustulit Joannem; eáque ratione Sigismundo soli Principatus cessit: hunc tamen ille duos non ampliùs annos tenuit, sed quietis sacræ, vitæque tranquillæ amore abdicatum ultrò Fratri Alberto tradidit; egregii nihilominùs Principis numeros Regiis virtutibus etiam privatus implevit. Non est hujus instituti laudes pertexere Sigismundi, ut qui in Progenitorum Boicæ Domûs non venit numerum; id duntaxat memoramus, quòd ei Urbs Monacensis debeat ædificatum eximiæ illud Religionis monumentum, Basilicam Marianam, quam ad Divini Numinis gloriam, & intemeratæ Virginis cultum suis jussit impensis, Sigismundus erigi, & ipse primum insignis structuræ lapidem in fundamenta jecit Anno MCDLXVIII. Propylæo templi hoc inscripsit Distichon à seipso, uti dubium non est, literarum nempe amantissimo peritissimóque conceptum.

Annal. Boic. p.2.lib.9.

Annal. Boic. l. p.2.f.191.

Clàm Fortuna ruit, fragili pede tempus, & hora;
Nostráque sunt semper facta dolenda nimìs.

Ruentem Fortunam sua fulcivit & sustentavit Fortitudine, ponendo publica Religionis pietatísque fundamenta in urbe, privatæ quidem, sed consummatæ virtutis in animo. Albertus verò, uti principatum adiit Sigismundo Fratre volentissimo, ita gessit cum magnis Christophori & Wolffgangi natu minorum Fratrum, ingratiis. Christophorus præcipuè multùm molestiæ facessebat, Princeps cæterà, si hoc unum excipias, summis Heroibus, & laudatissimis Viris æquiparandus. Corpore erat suprà vulgarem modum robusto, proceróque; animo non minore. Visendum est in Regia Monacensi asservatum hodiéque saxum trecentarum sexaginta quatuor librarum pondere, quod ille Miloniano robore sublatum facilè jactabat ad multos passus. Cla-

 vum

vum quoque duodecim pedibus terrâ altiorem, depactúmque in parietem agili ſaltu in altum ſe librans attigit, excuſsítque, nemine hucúsque reperto, qui vel in hoc, aut illo eum æmularetur. In ludis equeſtribus primam Chriſtophorus palmam, & prœmium ferè ſemper reportavit: ac Landishuti quidem cum inſigni ad poſteritatem gloriâ; cùm enim nuptialis ibi ſolennitas ageretur Georgii Ducis cum Hedwige Regis Poloni Filia, in magnificentiſſima illa, ſi quæ unquam fuit, plurium dierum pompa, præſente Cæſare, Romanorum Rege, & totius ferè Imperii præcipua nobilitate, Dynaſta quidam Lublinenſis Germanorum equeſtria certamina, ac palæſtras auſus eſt habere deridiculo, & fortiſſimum quemque in arenam inſolita cum jactantia provocare. Vir erat vaſto & mirè robuſto corpore, ita ut ſemi-gigantæam corporis molem pugiles pœnè omnes reformidarent; iraſcebantur præſentes homini ita contemptim Germanos provocanti; ipſe Cæſar ægrè ferebat Germanici nominis deſpicatum. Adeſt itaque Chriſtophorus Bavariæ Dux, & præſtituta die arenam cataphractus & eques ingreditur; alacri deinde ſaltu ex equo deſilit, & idem poſcit ab antagoniſta; qui cùm contra leges agonales loris eſſet ephippio adſtrictus, ut hac fallacia adversùs caſum ſe muniret, diu id detrectabat; ſed denique, quod poſtulabatur, facere coactus, præſectis loris, totius caveæ riſu, & in congreſſu à Chriſtophoro Duce tam valido exceptus eſt haſtæ ictu, ut in longum ſpatium ab equo effuſus, porrectúsque in arenam, venis impetu ruptis, Sanguinem & poſt triduum vitam evomuerit. Verùm non in privato duntaxat, aut ludicro circo, ſed & in campo Martis ſerii & aperti nomen indeptus eſt magnum Chriſtophorus, quo & Natalium ſimul ſplendore, ſtimulíſque adulantium incitatus, Bavariæ habenas & ipſe cum Alberto prenſabat. Jus obtendit ex eo, quòd Alberti Pii Parentis tabulis juberentur bini ex filiis natu majores ſimul rerum ſum̃æ præeſſe, uti jam antè præfuerant Joannes & Sigismundus; ſed Ordines Provinciæ variis ex cauſis obſtiterunt, multò utilius fore unius Alberti, quàm duorum imperium rati. Superiorum temporum exempla oſtenderant, quàm pronum eſſet duo capita inter ſe peſſimo publico collidi. Erant tamen aliqui, præſertim ex trans-Danubiana Boica, qui Albertum, quem Litteratum appellabant, averſabantur, Chriſtophorum Juvenem Martium & generoſum præoptabant; horum ergo ſuffragiis litem Alberto intendit Chriſtophorus; cúmque hæc à Ludovico Landishutano, cui res decidenda commiſſa fuerat, contra ſe pronuntiaretur, in arma cum amicis conſpirat. Albertus pro ſumma ſua modeſtia, & ſapientia nihil non egit, ut Chriſtophorum in officio contineret. Quò ſuaviùs coaleſceret fraterni animi neceſſitudo, ubi ejus vota utcunque ſatiavit, Romam profectus ad ſalutandum Paulum Pontificem, ſocium itineris Chriſtophorum accepit. Erat Pontifex, cùm adhuc in Fortuna minore degeret, Alberto, Bonas artes Romæ diſcenti, notiſſimus; nunc quoque in ſupremam dignitatem evectus Albertum cum Fratre, ceu magnos & gratiſſimos hoſpites perquàm amicè habuit, ſacríſque privilegiis, immunitatibus, theſauris abunde ditatos in Patriam dimiſit. Ubi Chriſtophorus in Bavariam rediit, malè feriatorum conſiliis inſtigatus, renovata denuò cum ſeditioſis conſpiratione, odia in Fratrem reſumpſit, gravéſque molitus eſt turbas; pro quibus avertendis Albertus neceſſe habuit Chriſtophorum è balneis, in quibus absque magno tum fortè comitatu erat, tollere, & honeſtâ cuſtodiâ aſſervare. Multas id turbas Alberto, multorúmque odia concitavit. Wolffgangus Frater Junior immite hoc exemplum, & ad ſe quoque per-

pertinere ratus, pernici fugâ Auguſtam elapſus eſt, & quamvis Albertus amiciſſimè ad ſe invitaret, non tamen Fratris tunc amicitiam admittere voluit, ſed à Cæſare & Comitiis Ratisbonenſibus opem & aſylum imploravit. Illuc profectus oratione ita ad commiſerationem compoſita perorabat, ut Cæſar totius Imperii nomine, Principes diſertiſſimósque viros ad Albertum Legatos miſerit, qui Duorum Fratrum agerent cauſam. Sed & Legatis, & ipſi dein Friderico Cæſari congreſſus Prüflingæ Albertus ita ſuam probavit cauſam, ut quamvis Chriſtophorum vellent liberum, Alberti tamen Sapientiæ non poſſent contradicere. Otho Palatinus Novifori Dux aliam eximendi è captivitate Chriſtophori viam tentavit adductis ad urbem Monacenſem centum equitibus, qui extemporali ponte ſuper foſſam, quæ arci adjacet, impoſito, facilè in muros evaſiſſent, niſi, quemadmodum Galli olim in Capitolium Romanum enitentes clangore anſerum ſunt proditi, ita hìc olores in vivariis ſtabulantes obſtrependo excubias excitâſſent, ut inſidias depellerent. Cùm multi denique Bavariæ & Imperii Proceres fidem ſuam pro Chriſtophoro obligâſſent, poſt octodecim menſium captivitatem reddidit eum Albertus publico, & Landſpergam, Weilhemiúmque urbes cum Pala arce in decennium ei vectigales eſſe juſſit, unde ad ſuſtinendum dignum Principe ſtatum abunde ſuppeteret. Duravit Pax Fraterna illud quidem decennium; ſed cùm hoc exſpirâſſet, recruduit denuò bellum. Ipſi, quos ſibi ſubditos hactenus Chriſtophorus habebat, etſi Albertus vellet, Chriſtophorum jam porrò Dominum nolebant; nimia enim profuſione annuos cenſus longè exceſſerat, & æris alieni grandia fecerat nomina Nolebat quidem Albertus irritare crabrones, & quietem pacémque publicam longè habebat chariorem, quàm vel lucrum urbium, vel novam de hæreditate altercationem; ſed & fideles cives negligere non poterat; ergo collectis in ſigna nobiliſſimis quibúsque è ſua Bavaria, & magno militum numero inſtructus, ſine vi ac violentia, urbes, quas Chriſtophorus hactenus obtinebat, in ſuum recipit obſequium. Chriſtophorus Fratri, fortunæque immanè quantùm iratus continuò & ipſe arma induit, omníque intentus occaſioni, qua Fratri noceret, primùm ejus fidiſſimos & optimos Belli Duces in agro Friſingenſi adoritur, Rorbachium, Bognerum, Abenſpergium, ultimum illum è Babonis Familia Comitem occidit, tum alia agit hoſtiliter. Pacem amabat Albertus, & hinc Chriſtophorum concordiæ ſanciendæ causâ Monachium invitatum, coram omnium Provinciarum ordinibus, & miſſis etiam aliunde arbitris, ultrò oblatis honeſtiſſimis conditionibus placat, & ad amicitiam inducit; Weilhemium reddit, & Palam arcem, addit Schongaviam, & Lechſpergam; æs illius alienum omne ſe diſſoluturum ſpondet, in ſingulos inſuper annos quaterna aureorum millia pecuniæ præſentariæ aſſignat. Pacatus hunc in modum Chriſtophorus ſtabili denique germanóque amore coluit Albertum, & magnâ è variis bellis obtentâ gloriâ, Anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto in Inſula Rhodo defunctus ex morbo, ibidémque ſplendidiſſimè, & pro Natalium ſuorum dignitate, tumulo à Sacræ Militiæ Equitibus eſt illatus Anno Chriſti MCDXCIII.

Unum hoc erat, quod Albertus cum Adverſa Fortuna diſcrimen ſubiit, ſuperavítque; alterum intendebatur à Friderico Cæſare, quo invito & Kunegundem Filiam in matrimonium duxerat, & Ratisbonam urbem ſuo ad quod olim ſpectârat, ſubjecerat dominio. Cælebs egerat in annum usque ætatis quadrageſimum; denique oculos animúmque adjicit ad Friderici Cæ-

ſaris Filiam Kunegundem, quam Sigismundus Auſtrius, qui præerat Tyroli, educabat. Inter Sigismundum hunc & Albertum magna familiaritas, & intimus uſus non uno tantùm officiorum genere, & pecuniariis potiſſimùm pro bello Veneto ſubſidiis ab Alberto ſuppeditatis coaluerat; contrà verò Alberto jam antè parùm favebat Fridericus Imp. & difficile futurum judicabatur, ut Filiam Alberto in ſponſam concederet. Oenipontum itaque ad Sigismundum proficiſcitur Albertus, ſua vota aperit, ab eo ſponſam obtinet. Kunegundis ipſa lubens volens conſentit, rata Sigismundum Patruum nihil injuſſu Cæſaris eſſe auſurum. Ergò nuptiarum ſolennia Oeniponti Feſtis cæremoniis, Wilhelmo Epiſcopo Euſtadiano ſacris operante peraguntur; initur thorus genialis; & tum primùm Imperator de matrimonio fit certior, qui, re intellecta, mirùm quantùm excanduit. Auxit iras, quòd Sigismundus prolis expers Tyrolin Kunegundi dotem dixerit. Jam & Ratisbona ab Imperii urbibus in Bavariæ denuò adducta poteſtatem, quod anno priore Albertus fecerat, Cæſarem graviter offendit. Erat Ratisbona antiquiſſimis temporibus Boicæ gentis caput, primùm à Theodone occupata, ſedes dein, & ipſorum Bavariæ Principum Regia usque ad Ottonis Wittelſpachii tempora. Tum verò cùm Fridericus Ottoni ob præclara merita Ducatum Bavariæ attribuit, Ratisbonam reſervavit Imperio, & Liberam dixit urbem; poſtquam trecentos jam annos in hoc ſtatu fuerat, vel temporum iniquitate, vel culpâ Magiſtratûs ad gravem redacta eſt inopiam, & hac cogente libertatem ſuam vendidit Alberto, atque in ejus poteſtatem ſe ultrò dedit. Suburbium jam antè ab eadem redemerat Albertus, & nonnulla in urbem jura obtinebat. Tradita tum pariter eſt Thumſtauffia Arx cum facultate caſtri intra urbem condendi, portæque Urbicæ aperiendæ. Cæſar itaq; triplici jacturâ præreptæ Imperio urbis, abductæ filiæ & abalienatæ à ſua gente Tyrolenſis Provinciæ, vehementer offenſus Bellum in Albertum adornat, Sigismundum Auſtrium inducit ad antiquanda pacta genialia; Ratisbonenſium civium capita & fortunas, nì intra menſem ſe, urbémque Imperio redhiberent, ſeveriſſimo edicto proſcribit. Alberti cauſam Maximilianus Romanorum jam Rex, Friderici Imp. Filius, & Kunegundis Frater ſuſceperat, Patrémque conabatur reddere mitiorem: atque hoc interveniente belli incendium non continuò erupit; præſertim cùm Suevi à ſuſcipiendo adversùs Albertum bello, ad quod à Cæſare invitabantur, abhorrerent. Albertus ipſe Lincium ad Cæſarem deſcendit Maximiliani Regis interceſſione aliquantò jam placatiorem; & à Cæſare hoc quidem impetravit, ut initas cum filia, ſuo injuſſu, nuptias, quas nequibat diſſolvere, ratas relinqueret; ſubductam tamen Imperio Ratisbonam omnino reſtitutam volebat. Quidquid excuſaret Albertus, decretoria animi deſtinatione interminatus eſt, ſe nec priùs conceptam iram, nec arma poſiturum, quàm arx Ratisbonæ impoſita æquata ſolo, & civitas Libera, ſoluta Boico dominatu ad Imperium rediiſſet. Cùm verò hæc Alberto & indecora, & ſuis rationibus juribúsque perniciosſia viderentur, animo & ipſe à Cæſare averſo diſceſſit. Sperabat Albertus ſubſidium bellicum à Gregorio Landishutano Inferioris Bavariæ Duce, qui tum à Cæſare ob Dynaſtiam Burgovienſem diffidebat: Eam Georgius impetrato aſſenſu à Sigismundo Archiduce, pignore Auguſtano ſolutam, redditáque pecuniâ, ſui fecerat juris; ſed litem idcirco natam brevì compoſuit Georgius, pacta cum Cæſare redimendi pignoris libertate, ſi ſibi pretium expenſum ab eo refunderetur; quod & factum Anno poſt milleſimum quadringenteſimum no-

Adelzr. fol. 204.

Anno MCDLXXXVI.

nonagesimo secundo: atque hac ratione Burgovium Austriacæ ditioni rursus assertum; Georgius verò Dux Friderico conciliatus, avulsúsque à partibus Alberti. Ergo rescissis præter spem à Georgio Landishutano pactis, & negatis in bellum auxiliis, Albertus necesse habuit Palatinorum Ducum, Regis Bohemiæ, Saxonis, Brunsvicensis, Hassi & nonnullorum Episcoporum fœdera, auxiliáque implorare. Iteratum intereà est Imperatoriæ proscriptionis fulmen in Ratisbonenses, quo & ipse Albertus afflabatur. Nec fulminis tantùm species erat, aut ignis fatuus, sed gravissimus mox ictus insequebatur; in agrum Ratisbonensem, omnémque latè viciniam se bellum exoneravit. Adfuit Albertus, suámque rem non segniter gessit, vindice & victrice gladio invasores repressit; verùm invalescente hostium numero, suísque fœderatis parùm auxilii conferentibus certum Bojariæ exitium impendebat, nisi Rex Maximilianus semper Alberto addictissimus adfuisset in tempore, & stantes in Boico solo, jámque ad confligendum paratos utrinque exercitus, primùm induciis, dein ipsa pace composita, sejunxisset. Ratisbona, posteaquàm annis sex, mensibus decem sub Boica clientela fuerat, Imperii Liberis civitatibus denuò adjuncta est; Albertus Cæsari plenè conciliatus. Ita fluctus in Boicæ excitati exitium repressi, compositíque, & Patriæ Fortuna, quæ periculosiùs nunquam inter sacrum & saxum hæserat, à fatali ictu servata.

Sed nondum exivimus ex hoc Labyrintho. Aliud jam & perniciosissimum Bavariæ bellum superest dicendum, quod ex eo natum: Georgius inferioris Bavariæ Dux, Ludovici Divitis Filius (illius nempe Ludovici, qui ut suas bene collocaret opes, Ingolstadiensem Academiam opus æternâ dignum memoriâ erexit) mascula prole & hærede carebat; Elisabetham ergo filiam Ruperto Philippi Palatini Septem-Viri Filio despondet, útque hic suæ, id est, inferioris hæres esset Bavariæ, possessiones universas dotis locô filiæ addicit, tabulis idcirco erectis, non approbatis tamen ab Imperatore, & repugnantibus iis ipsis, quos rerum arcanarum Consiliarios habebat; cum pactis enim Familiæ, & cum ipsa Georgii promissione pugnare videbantur, qua ante annos aliquot Alberto caverat, fore, ut Boicæ inferioris imperium superiori junctum penes Albertum maneret, si prior ipse Georgius sine mascula prole migrasset è vita. Id intelligens Albertus providè agit, & sapienter, auxilia circumspicit, quibus in tempore se júsque Boicum tueretur: impetrat ergo pro se literas ab Imperatore Maximiliano datas, arma præparat, & Sueviæ multorúmque Principum fœdus obtinet; sed & Georgius Dux, Philippus Elector Palatinus, ipséque Rupertus pro vindicanda dote, & firmandis in eam rem tabulis laborabant. Statim à morte Georgii, quæ Ingolstadii contigit Anno MDIII. Studia partium cæperunt effervescere. Maximilianus, Friderico jam Defuncto Cæsar, re Augustæ Vindelicorum diu ad tribunal justitiæ disceptata, ventilatis utrinque juribus, Alberto & Wolffgango Fratribus Bojis, contra Rupertum Palatinum, causam adjudicavit, eósque more majorum inauguratos tantæ Fortunæ hæredes dixit; Rupertus autem, ut qui contra Cæsaris arbitrium, & modo violento ditionem non suam armatus jam invasisset, læsæ reus Majestatis denuntiatus, cum universa sua factione ex Imperii finibus ditionibúsque est proscriptus. Inde fax belli undique circumlata, ortúmque incendium Bavariæ funestissimum, quod Palatinatum etiam, Wirtenbergiam, Sueviam, & transdanubianas ad Bohemiam Regiones corripuit. Varia hinc inde damna, eáque magna, & diuturna, variæ clades sunt illatæ. Maximilianus tamen Cæsar pro Alberto pugnavit, suæ Majestatis interesse

Adelzr. fol. 216.

ratus, ſpretam à Ruperto æquiſſimam ſententiam vindicare. Itaque cùm & Cæſar & Albertus junctis viribus arcem Kueffſtainiam oppugnarent proditoriis artibus à Bienzenavio in manus hoſtium traditam, id contigit, quod Germano dein carmine paſſim fuit celebratum. Bruta Cæſaris fulmina Bienzenavius, arcis proditæ jam defenſor, ridebat, impactósque ictus rupi & muris, ceu pulverem tantùm, non damna feciſſent, ſcopis abſtergebat; inde Cæſar vehementer offenſus: *En, inquit, miles iſte novo invento impacta muro vulnera ſcopis curat, viderit porrò, ne iſti faſces ejus cervicibus ſecurim accerſant.* Vaticinio reſpondit eventus; advectis enim Oeniponte immanibus tormentis, quibus majora id temporis non vidit Germania, rupes, rupiſque ſuperbæ incolas ita excepit, ut repurgandis diſſilientium munimentorum ruderibus non tantùm ſcopæ jam non ſufficerent, ſed neque ſupplicum preces ullæ victoris Maximiliani animum mitigarent; luit petulantem jocum Bienzenavius præciſa cervice. Interim Rupertus, ejusdémque conjux Eliſabetha, tanti fax belli, è vivis ſunt erepti, relictis tamen duobus pupillis filiis, quorum cauſam Philippus Avus, Septemvir Palatinus, agebat aliquamdiu, bellúmque promovebat; ſed multis calamitatibus, ditionisque ſuæ detrimentis maximis tandem laſſatus, ſimul & victrice Belli Boici Fortunâ, metuendáque Cæſaris manu territus ad Pacem adſpirabat, quæ hoc modo Coloniæ eſt compoſita: Georgii ditiones Alberto & Wolffgango Fratribus ceſsêre, exceptis jis, quæ ultrà Danubium ſitæ erant: illæ (reſervato tamen pro Bavaria Ingolſtadio) pupillis Ruperti, cum Principe Ducum Sede Neoburgo, attributæ. Novus hic Palatinatus deinceps eſt dictus; additæ conditiones variæ, quas libri alii fuſiùs adducunt. Wirtenbergicus Dynaſta, paulò antè, anno nimirum 1494. è Comitum Ordine ad Ducis evectus Dignitatem, quíque Sabinam Alberti Filiam, lectiſſimam Principem, in conjugio habebat, uti & Brandenburgicus, ac Norimbergenſes fœderati in partem quoque herſciſcundam venerunt. Maximiliano Auſtriaco Cæſari, ejúsque hæreditariis ditionibus ceſsêre Ratenberga, Kueffſtainium, aliáque nonnulla. Ita bellum plerúmque eſt perniciosum, quíque lucratur, perdit, patitúrque vel divitiarum vel regionum detrimenta. Albertus Sapiens, ut in futurum Patriæ proſpiceret, hanc optimam pro triſtibus fatis à poſteritate ſua avertendis invenit viam, ut indiviſus Bojariæ Principatus unius deinceps imperio regeretur. Hac igitur ſuper re, Fratre Wolffgango, quem periculorum conſortium jam omninò tractabilem effecerat, libenter aſſentiente, lectiſq; ex tota Provincia LXIV. Viris ſuo quoque ſuffragio ſententiam approbantibus, Legem in tabulas retulit, ſtatuítque, ut unus ſemper, Natúque Maximus, totius deinceps Provinciæ hæres, ſummæ rei præeſſet. Atque ſic tum ipſe, tum poſteri è LABYRINTHO egrediuntur & *Viam* habent ad ſolidam felicitatem tantò certiorem, ſecuriorémque, quò minùs diviſi, & hoc ipſo debiles, magis verò fortes ſunt & invicti. Mors Alberti Sapientis incidit in annum Chriſti MDVIII. Reliquit ex Kunegunde tergeminos Filios, Guilielmum, Ludovicum, qui cælebs provixit ad annum ætatis quadrageſimum quintum, & Erneſtum Adminiſtratorem Paſſavienſem, demum Archiepiſcopum Salisburgenſem. Præter hos Filios reliquit magnum & immortale Sapientiſſimi Viri nomen, ſimul & Hæredes hujus nominis poſteros plurimos, quibus ut ſemper FATA VIAM aperiant ad omnem felicitatem, Boni omnes precantur.

Anno MDVIII.

GLO-

GLORIOSISSIMÆ STIRPIS

VVITTELSPACHIANÆ HEROIBUS.

IN FORTVNA VTRAQVE FORTISSIMIS,

CARMEN AMÆBÆVM.

Fortuna Adversa.

STEPHANUS C. P. R. Sup. Bav. Dux & Elect.

SIc est, flebilibus vertere sortibus
Orbem dum reliquum, ferréq; turbine,
Sursum, ferre deorsum,
Et miscere queo omnia.
Solam cum reliquo BOIARIAM DOMUM
Heroës Atavis Regibus editos
Non subvertere possum,
Nullis subruere artibus.

Fortuna Prospera.

Sic est flebilibus vertere sortibus
Incassùm satagis BOIARICAM DOMUM
AUGUSTO integra per me
Hæc stat Gloria STEMMATI.
Æternis celebres cingere laureis
Heroës, meus est hic labor: atráque
Adversi agmina Martis
Per me BOICA subruit.

Fortitudo Adverſa.

Ac ſi percelebres redderet unicè
Heroës, aciem vertere cladibus,
Et poſt bella ſuperbis
Urbi curribus invehi!
Has jactare tuas perge ſuperbias,
Cantabo meliores ego Boiidûm
Te ringente triumphos
Palmæ nobilius genus.

Fortuna Proſpera.

Stragum mœſta Parens dicere nobiles
Palmas audeat? & noctua ſplendidos
Decantare triumphos?
Id BOII prohibeant DII!

Fortuna Adverſa.

Quin BOII hoc etiam præcipiant DII!
Nimirum furiæ nobilitant meæ,
Non fœdant: per & atros
Scandit Gloria tramites.
Fer me ſtat potior, veráque Nominis
Majeſtas, duro pondere dum premo
Magnos: Nomina preſſis
Magna Heroibus erigo.
Te Magni Sobolem Cæſaris, obrutum
Te grandi rerum STEPHANE triſtium
Turmâ: Te volo teſtem,
Nos inter volo Judicem.

Fortuna Proſpera.

Effrontem Superi perdite fœminam!
Quem tantis Stephanum cladibus impia
Vexâſti, tibi teſtem, &
Audes poſcere Judicem?

CAROLI IV.

Urgebas Caroli, perfida dexteram
Cùm ſcripſit tabulas, queîs pia Papiæ
Fregit pacta: ſiniſtra
Rebus Dextera BOICIS.

Et

Et vidi ſociam jungere te manum
Iratus raperet cùm AUREA BOICO
POMA à STEMMATE Cæſar,
Auro juráque cuderet
Sancitis STEPHANI ferrea juribus.
Et vidi ſpurium te Duce fœderis
Monſtrum: quando Nepos, &
Natus furiis Patrem
Preſſerunt STEPHANUM: denique BOICI
Vix non excidium flebile NOMINIS
Vidi: Sors mala totis
Quando viribus integras
Es fœdè BAVARIS auſa LEONIBUS
Terras eripere, & Jura petentibus
Non Legum ordine, ferro
Sed tranſcribere faſcibus.

Fortuna Adverſa.

Si, quas intulerim ſæva ego noxias
Clades, tot phaleris occinis: arduos
Quî poſſis tacuiſſe
Forti in Principe Spiritus?
An fletu furias, an gemitu meas
Dignatus rabies? dicito? guttulâ
An conſenſit in ictus
Noſtros triſtior unicâ?
Nunquid dum medius denſa prementium
Inter conſtiterat ſpicula ſortium,
Denſas meſſuit ipſa
Inter funera laureas?
Dum ſolâ repulit fronte ferociam
Et Nati, & Patruo bella cientium
Sub Ductore Pupillo
Tutorum armáque contudit.

Et nunquid gladios inter, oliva, quæ
Creſcit, gratior eſt: nunquid amœnior
Sol, qui diſſipat imbrem, &
Laurus fulmine pulchrior?

JOANNES C P.R. ſup. B. Dux.

Fortuna Proſpera. Ceſſa; non facies peſſima putidis
Fumum Conſiliis, in cineres ruat
Quamvis integra BOJA
Vultum hinc nigrior exeres!

Prædones illo tempore fædè graſſabantur.

Nimirum miſeræ qui Patriæ color
Et mœſtæ fuerat forma miſerrima
BOJÆ: fœda latronum
Quando incendia fleverat,
Solus, cui ſteterant pectora triplici
Vallata ære, faces Impavidus videt
Clara fronte JOANNES
Nigris clarior ignibus.
Princeps ille PATRUM maſculus æmulus
Sectatórque SUORUM hic nova vindice
Ferro bella parare
Tentat, fauſtáque prælia.

Fortuna Adverſa. Si ſpirat BAVARUS DUX nova prælia
Atque inter medios ſtat LEO firmior
Ignes: Gloria noſtris
An non hæc venit artibus?

Fortuna Proſpera. Annon hæc tragicis arma quòd aſperent
Fratres diſſidiis, & moveant fera
Fratri bella JOANNI
Veſtris hoc venit artibus?

Fortuna Adverſa. Noſtris hoc furiis diſſidium venit,
Adverſæ, fateor, machina ſortis eſt,
Sed te per tua teſtor
Semper Candida ſidera!

Edic

Edic! Magnificis quid magè mentibus
Optandum? zephyris altiùs evehi?
An conſcendere Laudis
Hoſtili Boreâ Thronum?

Adversâmque ſimul frangere fortiter
Sortem, atque armicrepas fundere militum
Turbas, ferre potenter
Et patrare ſonantia.

Et nunc quanta meæ pondera ſentio
Acceſſiſſe rei, dum tua ſentio,
DUX ERNESTE! Trophæa
Alter Boiariæ Hercules!

ERNE-STUS Com. Pal. Rh. Sup. B. Dux.

Fortuna Proſpera.

Erneſtum Superi! Nobile pluribus,
Carum quod Caput incingere Laureis
Conceſſit mihi Cœlum,
Erneſtum tibi vendicas?

Per me vindicibus contudit enſibus
Cervices rigidæ plebis: & impia
Juſto robore preſſit
Victor bella rebellium.

Per me (quod Superos reddere prælium
Viſum eſt attonitos) miſcuit igneos
Allingæ hoſtibus Armos
Spirans integer Herculem.

Jam non agminibus, non petit artibus
Hoſtiles cuneos: Solus, & unicâ
Clavâ armatus, in omnes
Partes vulnera dividit.

Atque hoſti medius, retrahit hoſtibus
Albertum mediis: & ſibi lauream
Et vitam parit atra
Inter funera Filio.

Fortuna Adversa.

Et tantis basians ausibus Herculem
Accendit Bavarum, blandáque sortium
Mater? livida sors hæc
Jecit semina gloriæ.

Et quas seminibus crescere viderat
Nostris, has segetes messuit inclitus
Princeps: suntque tui nec
Fructus, nec tua semina.

Sic movisse meis prælia præliis
Et duris animos ictibus integros
Obfirmare LEONUM est,
Laus est primáque Principum.

Fortuna Prospera.

ALBERTUS PIUS.

Non movisse tuis prælia præliis
Sed risu furias ludere, Principis
ALBERTI fuit: Hic Vir,
Nunquam fronte minacior,

Fraternas acies, fortis acerbáque
Risit furta: nec armis sua quærere
Hæres Jura volebat,
Dum fas, juráque poscerent.

Fortuna Adversa.

Sed tu splendidiùs nunquid ab inclyto
Risa es Principe, quando potentior
Sola mente Monarcha
Sprevit Sceptra Bohemica.

ALBERTUS Sapiens

Fortuna Prospera.

Et tu splendidius nunquid ab inclito
Victa es Principe, Summo Sapientiæ
Illo prodigio: qui
Solis vertere nutibus

Novit fata suis, & dare sortibus
Constans Imperium: non animosior
Sorti infractus utrique
Alcides moderabitur.

Prò

Prô! quot non dubiis volvere Principem
Tranquilláque animum fraudibus orbitâ
Deturbare flagrabas,
Boio injuria ſtemmati!

Adverſas ſine me, dicere pluribus
Quas frendens furias ſparſeris invidis,
Quàm tu triſtia dextris
Præſes fœdera junxeris.

Per te CHRISTOPHORUS (fulmineum integris
Eſt nomen populis) turbida Fratribus
Injeciſſe odia auſus,
ALBERTI petiit Caput.

Per me Chriſtophorum turpia rumpere,
Et verſis clypeis prælia Turciæ
Pulchra inferre coëgit
ALBERTI ſapientia.

Fortuna Adverſa. * Auguſtas etiam Cæſaris occine
Iras in Bavarum Nomen, & efferos
Junctorum Feciales
Diro fœdere Principum.

* Cæſar Fridericus lites & bella habuit cum Alberto.

Et demum recine immitia DIVITIS,
Crudeles tabulas, pacta GEORGII,
Natúmque inde ferox, &
Lamentabile bellum.

Fortuna Proſpera. Infandum renovas Tigride durior
Mœrorem mulier! ſíccine triſtibus
Promiſſas canis atrox
Lauros præfica næniis?

Fortuna Adverſa. Sic eſt Laurigeros, ſic benè næniis
Bellè canto Duces, inter & horridæ
Funeſtos ululatus
Sortis, clarior inſonat

 ALBER-

ALBERTUM resonat quæ tuba tetricæ
Fortunæ, & Tragici Martis, & asperi
Belli, & dissilientis
Fortem fœderis arbitrum.

Isque ALBERTUS erat, res ubi Boicas,
Et res horrificâ vertere proprias
Ausus Sorte * Rupertus
Tanti Buccina turbinis.

*Rupertus Palatinus.

Tum mens intrepido constitit integra
Heroi: Patriâ mille furentium
In partes lacerata
Ferro & fraudibus hostium.

Fortuna Prospera.

Et mille his furiis, mille periculis
Nunquid tu BAVARAM vertere gloriam,
Tantique ASTRA LEONIS
Nigris voluere nubibus?

Fortuna Adversa.

Sed mille has furias, mille pericula
Nnnquid Bojaricè risit, & obtudit
Nostri vivida Virtus,
Et mens ænea Principis?

Ignoras, video, Gloria Principum,
Quòd crescat potiùs multa per ardua,
Cernis MAXMILIANUM
Quantus redditur orbi!

XXXVI.



GLORIOSISS. ET ANTIQUISS. DOMUS BOIARICÆ
ORIGINARIÆ MAIORUM EFFIGIES AB OTHONE M. WITELSPACH
USQUE AD MAXIMILIANUM EMANUELEM HODIERNUM V.B. DUCEM AC ELECTOREM

XXXVI.

VVILHELMUS CONSTANS,

ALBERTI SAPIENTIS FILIUS.

COMES PALAT. RHENI,

UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX.



Hic Vir, hic est, Animam cui debes Boie, sed illam
Quam Regnorum Animam dicimus esse, Fidem.

Brunner, in Theat. virtut. Boicæ.

Vidimus hucusque, & admirati sumus Boicos Heroës in diversissima Fortuna, varias inter adversitates suam semper probâsse FORTITUDINEM. Exercitati sunt per aspera, passi infortunia, victi interdum, stratique, nunquam tamen succubuerunt: steterunt inter ruinas; cladibus firmati sunt, & dum à Fortuna eos aliquis desertos putâsset, totum Fortunæ Regnum suis ipsi pedibus conculcârunt; Cœlũ ipsũ dũ premeret(ita Deo subinde visum) tulerunt veri Hercules; orbem factis,& victoriis impleverunt; supererat, ut & cum orco confligerent, atq; hunc quoque triumpharent. Penum suam exhauserat penè omnem FORTUNA; ita ut quidquid armorum haberet in terris, habetatum cerneret à Virtute

Boica. Inferos ergò ſolicitat; ab his peſtilentiſſimam evocat Hydram, exitioſam nempe hæreſin, & quinto decimo ſæculo talem in orbem emittit, qualis vix unquam alia tempeſtate legitur extitiſſe, Lutheri nempe & Calvini peſtem ſectámque diriſſimam. Dici nullis Annalibus poteſt, quanti hæc generi humano lues ſteterit, poſtquam Apoſtatarum erroribus diſſidiisque, ſummorum etiam Principum factio coaluit. Lugemus funera, quæ enarrari non poſſunt, & deſunt verba, nunquam areſcentibus lacrymis. In tam luctuoſo Germaniæ noſtræ ſtatu, inter hos non *malæ* tantùm, ſed *peſſimæ Fortunæ*, quin ipſorum Inferorum inſultus, ferè ſola Bojorum Principum Virtus victrix apparuit; ſola ferè Bavaria à Duce ſuo tanquam ab HERCULE, contra Hydram hanc protecta fuit & defenſa. Per Principum ſuorum CONSTANTIAM BAVARIA ſtetit PIA, manſit CATHOLICA. Wilhelmus eſt, qui hoc encomium primus meretur; habuit deinceps & Filios, & Nepotes omnes hujus Virtutis ac FORTITUDINIS ex aſſe hæredes. Boji Hercules poſt ipſum ſinguli, ab ejus Symbolo *Crucis Signum, & Clavam* acceperunt, qua adversùs ſtygiam hanc Hydram ut CONSTANS WILHELMUS, ita & ipſi pugnarent CONSTANTER, triumpharent. Vox erat Wilhelmi cedro digna: *Catholicam ſibi Fidem fuiſſe, eſſe, fore, vitâ chariorem, neque ſe ullius periculi denuntiatione, aut ipſius adeò mortis metu ab hac ſacra anchora avellendum: tolerabiliorem fore Patriæ perditæ, quàm Luthero proditæ jacturam. Vitam ipſam ante fidem ereptum iri.* Nónne hoc idem eſt, quod paſſim dicimus, dum rem factu impoſſibilem ſignificamus: *Clavam Herculi non extorquebis!* Hoc Wilhelmi Principis verè Catholici erat apophtegma aureum; *Nemo extorquebit:* Nemo conſtantiam, nemo Herculeam virtutem, nemo Fidem, nemo DEUM. Quot Verba, tot ſanè triumphi, imò triumphis bellicis, quos præclaros quidem in Hungaria præſertim & Wirtenbergia reportavit Wilhelmus, longè illuſtriora: quin & triumphi Bellici, quos noſtris, & antiquis temporibus Catholicæ Piæque Bavariæ propitii ſuperi induſsère, ſua hinc ducunt exordia. Quod verbis protulit, re & opere, ut Heroëm decebat, præſtitit. Fines ſuæ Provinciæ ſeveris munivit legibus, ne cuiquam hæretico pateret ingreſſus; ſuſpectos, qui circumferebantur, libros tota Regione proſcripſit; hos inter erat Germanica illa, & peſſima fide reddita novi Teſtamenti interpretatio, quam in lucem ediderat Apoſtata Lutherus; unde potiſſimùm errores incautum combibebat vulgus. Siqua verò vel clàm, vel palàm infecta hæreſeos veneno capita ſe modicùm erigerent, Hydram mulctavit continuò Wilhelmus; id egit, cùm in media Bavaria defectionem à Religione meditaretur Balthaſar Hueber Fridbergæ natus, Divini juris olim apud Ingolſtadienſes in Academia pariter templóque interpres, Ana-Baptiſtarum deinde anteſignanus. Ubi primùm innotuit viri pernicioſi conſilium, ſtatim vertere ſolum coactus eſt, Viennæ igni ſubinde exuſtus; ejus verò aſſeclæ, qui Monachii jam nidulari volebant, ex hortis & cauponis, in quibus ſuos egerant cætus, protracti flammis ferè, aut aquis ſunt extincti: Ut autem non uno in loco vigiliæ agerentur, ſed ubique in ſtationibus excubaretur, adhibuit Hercules hic Chriſtianus ſuos Theſeos, ſuos ſacri Dux belli commilitones. Præcipuus inter eos erat Joannes Eckius, Boicus & hic Alcides dictus. Præter hunc Viri quatuor præclariſſimi, quos non immeritò Brunnerus Boicorum conſiliorum, & publicæ ſalutis quadrigam appellavit. Non erit injucundum poſteritati eorum immortalitate digna

Kilianus Leibius.

gna nomina in hac quoque pagina legere. Primas tenet Christophorus Comes Schwarzenbergius, Sanguine, & eruditione maximus; tum Leonardus Eckius Boicæ Nobilitatis ingens ornamentum, in Aula Wilhelmi Oraculum domesticum, in Comitiis Imperii, & apud Cæsarem Carolum V. Prudentissimi Solonis, aut Catonis nomen indeptus. Explent quaternarium Augustinus Löschius, & Franciscus Burcardus, Divini humanique Juris consultissimi. Per hos avitæ fidei Pietatisque constantia sub auspiciis Wilhelmi totâ Bavariâ circumferebatur. Jis postmodum succenturiati sunt Petrus Faber, & Claudius Jaius, uterque Allobrox, quos Wilhelmus ab Ignatio Lojola Societatis Jesu tum recèns institutæ Auctore pro Orthodoxæ Pietatis, & Romanæ Ecclesiæ Defensione subsidiarios postulavit. Primi illi fuerunt ex isto Ordine, qui in Germaniam Wilhelmo Auctore venerunt, cui proinde tempora nostra & perpetuam laudem debent, & gratias immortales. Intereà tota penè Germania luctuosissimo belli Rustici, ut passim audiebat, incendio conflagrabat; facem à Luthero desumptam præferebat impius asſecla Thomas Münzerus, & plebeia capita falso Christianæ libertatis nomine inescata ad jugum omne suorum Dominorum excutiendum impellebat. Incredibile dictu est, quàm celeres progressus habuerit flamma hæc sævissima. Arsit primùm Alsatia, dehinc Suevia, Thuringia, Saxonia, Wirtenbergia, Rheni Palatinatus, Franconia, Tyrolis, Austria, Styria, Salisburgensis ager; sed quod Divino Numini in cœlis, ac Wilhelmo in terris est adscribendum, tametsi omnia circùm ferverent seditionibus, Boica ab hac labe fuit intacta. Tanti nempe erat Lutherum, & Luthericæ doctrinæ incunabula in fomite suffocâsse; asylum erat Boica Pietatis, & alibi malè habitæ Religionis Patria. Felix in Pace illa quiescebat, quia Principem habebat *Constanter* & sapienter in virtute persistentem.

Cùm super has illætabiles Germaniæ calamitates, & super ipsas adversantis Orci machinas *Constans Wilhelmi Fortitudo* gloriosè assurrexerit, non mirum est, minores alias Fortunæ injurias eum, ceu tela levissima, victrice pariter manu repulisse. Præter has enim Religionis turbas gravissimas, non defuerunt, uti in humanis solet, adversitates aliæ. Sub initia statim Principatûs sui, lis domestica maximis agitata contentionibus eum cum utroque Fratre Ludovico & Ernesto collisit. Supremis hi nolebant SAPIENTIS ALBERTI Parentis sui tabulis acquiescere, quibus inter Principes unus duntaxat ac natu maximus Dux & hæres dicebatur. Post varias tricas ita res composita est, ut Ludovicus Frater suprà vota etiam propria æquissimè habitus, in una deinceps Monachii Regia, junctis animis ac consiliis Wilhelmo convixerit; Ernestus verò Fratrum minimus, tum artibus liberalibus, quibus insigniter excellebat, tum vitæ Ecclesiasticæ, quam spontè elegerat, summis virtutibus conspicuus, Episcopalem acceperit Dignitatem, eâque & suos ornaverit Natales, & his eidem ingens addiderit ornamentum. Passaviensem námque Mitram annos gessit XXIII. Salisburgensem XV. Princeps ubique laudatissimus, & Religionis pariter in Boica sustentatæ columna celeberrima. Alterum, quod non multò pòst, & longè molestiùs acciderat Wilhelmo, id erat, quod Sabinæ Sorori suæ, atque adeò Bavarico stemmati Ulricus Wirtenbergiæ Dux suâ sævitiâ intulerat probrum. Heroidem hanc in conjugium sibi datam, etsi neque fœcunditate, neque aliis animi corporisque dotibus destitueretur, barbarè & dirissimè tractabat, ac nihilo meliore conditione, quàm bruta jumenta eoúsque inclementer habebat, dum ad fugam deniq; capessendam tantorũ Natalium Matronam, compelleret. Accedebant facta alia in alios truculenta & immania, quæ primùm Cæsarem Maximi-

Brunn. in Theat. Virt. Boic. Annal. Boic. fol. 238.

lianum adegerunt,ut eum Imperii diris oneraret, Wilhelmum verò, ut belli in eum à Cæſare, & Fœderatis Suevis decreti ſummam admitteret præfecturam. Admiſit Wilhelmus, nec privatam ſolùm injuriam, ſed cauſam publicam juſtis,felicibúsq; armis eſt perſecutus. Alias ſubinde lites cum eodem hoc Ulrico Duce coortas,rationeFilii ex Sabina Boica nati,hic non adduco;dixiſſe ſufficiat, Wilhelmum uti nullis unquam ceſſit difficultatibus, ita Boicæ clementiæ non immemorem cum Duce Wirtenbergico ſub Annum 1540. Lavingæ plenam ſincerámq; amicitiam iniviſſe. *Crucis Signum* inSymbolo nempe prætulit,ut hujus amore ſe oſtenderet hoſtibus, qui gratiam amplecti vellent, ignoſcere; *Clavam* uſurpavit in pertinaces ac rebelles, quam experti ſunt tum multi alii, tum vel maximè Imperii & Eccleſiæ jurati hoſtes Ottomanni. Occupato enim jam à Turcarum CopiisBelgrado,terroréque latè diffuſo,ne ſæviens Procella inHungariam Germaniámq; ingrueret, cum optimo militum delectu illuc ſe contulit Guilielmus, hoſtéque vel fugato vel deleto, in patriam redux, cum Palmis & triumphis nomen immortale ſecum reportavit. Digniſſimum proinde cenſuerunt eum Hungari, non ſolùm à quo tegerentur in bellis, ſed & in pace regerentur; demonſtrârunt id, quando Ludovicus eorum pariter ac Bohemorum Rex calamitoſâ ad Mohazium pugnâ occiſus eſt; diviſis enim tum Regnorum ſtudiis, cùm alii Ferdinandum Auſtriæ Archi-Ducem peterent; non pauci ad Guilielmum Bavarum reſpexêre. Ceſſit quidem Ferdinando Corona, ſed Guilielmo noſtro decorum fuit, Boici nominis exiſtimationem tanti apud exteros fuiſſe,ut quod inAlberto *Pio* eligendo fruſtrà tentârantBohemi,nunc inGuilielmo felicius ſucceſſurum arbitrarentur. Pacifica Fortuna fuit, quia Guilielmi, amicitiâ inter Utramque Domum, Auſtriacam, & Boicam illæsâ, maximiſque continuò documentis teſtatâ. Ferdinandi gloria Guilielmum non depreſſit; nec Guilielmi ſecunda apud Bohemos fama Ferdinando ſuſpecta fuit. Nexus amicitiæ novis ſubinde arctioribúsque vinculis eſt firmatus, quando Carolus Cæſar, Annam hujus ipſius Ferdinandi, Fratris ſui Filiam, Alberto Guilielmi Filio, aureo vellere priùs donato ſponſam conciliavit, deditque, fortaſſe non abſque fauſto præcedentium temporum omine, & exemplo, quod poſteriora ſequerentur.

Annal. Boici p. 2. l. 10. n. 54.

Cæterùm inter plura alia,quæ Wilhelmum noſtræ & æternæ memoriæ conſecrârunt,meritò reponi debet Ingolſtadienſe munimentum,quod ipſe, anno MDXXXVIII. Cœlo auſpice, velut imminentis neceſſitatis præſcius, ad eam,quam hodiéq; obtinet,firmitatem,nominiſq; celebritatem erexit, Alberto Filio, qui tum ſtudiorum cauſâ illic verſabatur, primum in fundamenta lapidem ſolenni ritu deponente. Munimentum hoc in bello Smalcaldico Nobiles Boji cum Cæſare & pro Cæſare egregiè defenderunt,grandíque illo tormento, quod non abs re Ficum appellant, è ſumma turri in hoſtes tonante irritos fœderatorum Smalcaldenſium conatus ſæpè exploſêre. In ipſa quoque urbe Religionis arcem & propugnaculum adversùs hæreticos quotidie magis invaleſcentes, novis majoribúſque præſidiis, viris nempe Doctiſſimis firmavit Guilielmus. Romam eapropter miſit Leonardum Eckium Cancellarium ſuum litteris & mandatis inſtructum, qui à Paulo III. Pontifice Maximo, Alexandro Farneſio, & Conditore Societatis Ignatio poſtularet tres è Societate Theologos, atque in jis nominatim Claudium Jaium, qui in Ingolſtadienſi Academia ſacrarum Literarum ſcientiam traderent. Impetravit facilè, quod optimus Princeps, & in maxima exiſtimatione apud Pontificem Romanum poſitus jure petebat æquiſſimo. Monachii igitur ſumma benevolentiæ ſignificatione,chariſque amplexibus accepit adventantes ex Italia Patres Claudium Jaium, Alphonſum Salmeronem,

&

& Petrum Caniſium, paulò pòſt Ingolſtadii cum totius Academiæ applauſu introductos. Atque ita Primus fuit Wilhelmus inter omnes Germaniæ Principes, qui de condendo Societatis Jeſu Collegio curam cogitationémque ſuſcepit, ſed cùm eam exequi morte prohiberetur, cum eximio Religionis Zelo in hæredes filios tranſcripſit. Diem objit anno ſuprà milleſimum quingenteſimum quinquageſimo & Jubilæo; ætatis anno quinquageſimo ſeptimo. Illatus eſt majorum ſuorum Mariano in Eccleſia Collegiata monumento. Ex Jacoba Badenſi Conjuge tulit Theodonem natum anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, denatum XI. Julii anno trigeſimo quarto. Natus ipſi eſt ex eadem Uxore Albertus V. hoc nomine inter Bojariæ Duces quintus, & tertius inter Sereniſſimæ Stirpis Propagatores. Guilielmus item, qui ſeſqui añum tantùm, & duos ferè menſes ſupervixit. Poſtremò nata fuit Mechtildis decimâ quartâ Junii Anno M. D. XXXII. nupta Philiberto Marchioni Badenſi Anno MDLV. mortua Anno LXV. Reliquit Wilhelmus Bavariæ ſuprà alia ſacrarum æquè ac profanarum rerum augmenta ingentem quoque ex re ſalinaria utilitatem per Aquæ ductum Halæ divitis, quem arte & opere admirando, æmulationéque Romanæ magnificentiæ ipſe ſtruxit. Sed omnia priſci juxta ac novi ſplendoris monumenta ſuperat, quod in Boica poſuit cœlo proximum æternúmque *Conſtantis* in Deum *Fidei* monumentum.

Annales Boici p. 2. l. 10 n. 63.

Anno M. D. L.

XXXVII.

ALBERTUS MAGNANIMUS, VVILHELMI FILIVS, COMES PALAT. RHENI, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX.



Te Pietas, te Prisca Fides, defensáque Pacis
ALBERTE, æternâ munia laude vehent.
Unde, tibi quantum debet tua Boica tellus;
Teutoniæ tantum debet & omne solum.

Geroldus in Genealogia.

Annales Boici p. l. 11.

NOmen Magnanimi Gloriosos inter Heroës retulit Albertus, non quòd non omnes Fortissimi Bavariæ Duces eadem laude sint insignes; sed ut Tullius propter excellentiam commune Oratorum nomen apud Latinos effecit suum, sic & Albertus Magnanimitatis titulum eminenti quadam prærogativâ cæteros inter Heroas est consecutus. Inerat magnitudo animo illius, & corpori Majestas planè singularis; inerat Sanguini ex inveterata tot retrò annis majorum fortitudine colle-

ctus

ctus in unum vigor: frons dignitate plena vel aſpicientibus reverentiam imperabat, ut Turcarum Imperator quantumvis barbarus, cùm vultum ejus in effigie expreſſum vidiſſet, virum verè Auguſtum, dignúmque Imperiô pronuntiârit; Leo expers quidem rationis, ſed magnanimum animal, ſuam Alberto ſubjiciebat feritatem, Alberti Majeſtatem reverebatur; quique aliàs metuit nihil, ipſe metuendus omnibus, Alberto in obſequium ſe inclinavit, herili ſe manu paſſus mulceri, & aſſiduus tanti Herculis Comes. Longè magis eum expavit hæreſis ferarum ferociſſima, & per reliquam impunè vagata Germaniam, nunquam in Alberti Provinciam auſa eſt graſſari. A Parente nimirum Guilielmo Junior Hercules virtutem didicit, & modum hanc contrà hydram fortiter & glorioſè depugnandi; magnanimitatē ipſe addidit, qua velut clypeo impenetrabili armatus ſtetit inter cæterarum Provinciarum ruinas imperterritus, ac invictus. Erat hoc illi Symbolum: hæc vitæ totius erat actio, & ſententia: *Impavidum ferient ruinæ:* Totus licèt orbis ab hæreſi, infelici Diſcordiarum Matre agitatus diſſiliat in partes, vitium faciat, & ruinam, objiciam ego veræ ſcutum fidei, DEI Nomine, ceu teſſerâ inſignitum, & ſub hoc ſtabo impavidus. Inſultabat ferocia Martis Acatholici Reipublicæ Orthodoxæ, & Germaniam penè jam omnem oppreſſerat Lutherus; jámq; hic Angliam quoq; devaſtabat, & Calvinus latum in Gallia excitabat incendium; ſícque Europa penè tota tumultuabatur. Una tamen Iſta Potentiæ Boicæ Columna ſtetit collabentibus penè omnibus Regnorum cardinibus; ſtetit aurea hæc ſtatua in ſæculo ferreo. Quod exemplum dignius magnanimitatis deſiderari poſſet, quàm ita ſtare pro DEO, pro Religione, orbis commoti molem ita aſpicere, ita ſuſtinere, ut à ſuo gradu Heros non moveatur? Rectè eruditiſſimus Scriptor Cauſinus de Regno DEI: *Hæc prima* MAGNANIMI *Principis Lex eſt*, inquit, *ut magnificè de rerum omnium Moderatore DEO ſentiat, &c. ut ſpiret & ſuſpiret ad ampla facinora pro ſummi Numinis gloria non ſolùm deſtinanda, ſed fortiter obeunda. Totus ſit in altis, arduisque non inani ſpecie fulgentibus, ſed latè diffuſis in mortalium utilitatem.* Hæc ad apicem adimplevit Albertus Noſter; hæc ſumma ejus votorum, & cura extitit, ut quibuscunque impenſis aut laboribus integrum Numinis cultum procuraret; hæc erant Magna ejus conſilia, quæ animo deſtinabat, opere exequebatur. Huc pertinebant promulgatæ Religioſiſſimæ leges, huc inſtitutæ Provinciarum Viſitationes, huc idonei populo præfecti, datique Paſtores; huc continuæ ad DEUM pro ſubditis effuſæ preces. Munimentum Ingolſtadienſe, in quo primum olim lapidem optimis ſanè auſpiciis ipſe adhuc adoleſcens poſuerat, perfici curavit non ſolùm adversùs arma inſultantium hoſtium egregiè firmum: ſed Academiam quoque, firmiſſimum Religionis propugnaculum in ea urbe Doctorum virorum præſidiis communivit adversùs DEI & Eccleſiæ hoſtes, Theologos, quos præſtantiſſimos advocavit, ſubinde graviter, atque ferventer adhortatus, ut non contenti ſolam Doctrinæ lucem aliis diſpenſare, auditores ſuos ſacris etiam Divini Verbi flammis incenderent; nec defuturum ſe, quin hos labores Principali munificentiâ compenſaret. Ut juventus etiam, unde Reipublicæ ſpes, velut ex flore fructus pendet, rectè formaretur, & idonei Eccleſiæ Miniſtri, quorum magna tum inopia erat, educarentur, Româ evocatis Societatis JESU Patribus Ingolſtadii Collegium inſtituit; unde cùm ſeges uberrima extitiſſet, ſimilem ex agro Monacenſi meſſem collecturus, in eam quoque urbem Societatem JESU Anno hujus ſæculi quinquageſimo nono introduxit. Magiſtratus pariter ut in urbibus quàm integerrimi eſſent, ſingulari curâ providit, eos pro-

Brunn. in Theat. Glor. & Virt. Boic.

Differt. 23.

Annal. Boici p. 2. l. 11. toto.

MDLIX.

proinde Sacramento inviolabili adegit, Romanam quòd Fidem Germano candore velint colere; ſiqui ſuſpecti fuerant, ſeverè in eos animadvertit, nullis, quæ hinc oriebantur, cedens difficultatibus. Nondum tamen Principis Magnanimi partes in DEI amplificando cultu à ſe impletas exiſtimavit, ſi Pietatis duntaxat Magiſtros Provinciæ daret, & non ipſe ſimul exemplo & opere manum adderet. Itaque Aulam ſuam verè effecit SCHOLAM PIETATIS, ut Celeberrimus Cardinalis Hoſius eam appellavit, ſeipſum verò præbuit vivam raræ omnino virtutis imaginem. In privatis alloquiis adhortabatur ſubditos ad omnem honeſtatem, aberrantes reducebat in viam, libros hæreſi infectos malè cautorum manibus excuti, & in eorum locum ſinceros ſubjici ſuis impenſis curabat. Eam enim largitionem judicabat quæſtuoſiſſimam, ex qua æternæ vitæ fructus ad plurimorum ſalutem ſuccreſcerent. Quamobrem Sanctorum Hiſtoriam à Laurentio Surio olim elucubratam, vaſtum opus, in ſena volumina Latino ſermone collectum Albertus Germanicè reddi, & typis mandari juſſit, ut hoc quoque idiomate cum multorum utilitate legeretur. Geſtiebat gaudio Princeps optimus cum Divino Paſtore Chriſto, ſi vel centeſimam ovem ab interitu revocâſſet. Ita Andream è Prænobili Ligſalziorum Familia peregrinis extra patriam erroribus imbutum, monuit identidem, rogandóque (tanta erat humanitate) induxit, ut Cardinalis Hoſii laudatiſſimi ea ætate viri librum evolveret, atque ſalutarem inde pro expellendo veneno temerè imbibito ſumeret medicinam; ſanavit hac ratione hominem, qui Librum illum in perpetuam tanti beneficii memoriam ſuæ familiæ reliquit, ut proſtaret in Bibliotheca Ligſalziana perenne monumentum Apoſtolici fervoris, quo ab Alberto & ipſe, & poſteri ſui in vera fide eſſent conſervati. Jam verò ſuam quoque extra ditionem inſigne hoc Religionis amplificandæ ſtudium conſtanter protulit. Plurima & pro ratione valetudinis difficillima ſæpè itinera ſuſcepit, jam ad Imperialia Comitia, jam ad ipſum Imperatorem, jam ad Principes Imperii, omnia ferè pro Religionis Catholicæ incremento, próque avertendo crudeli ferro, quod Hæreſis Germaniæ jugulo jamjam admoverat. Præſens adfuit Pacificationi Auguſtanæ in qua circa annum 1550. & 1551. multa rei Orthodoxæ ſalutaria ejus conſiliis ſunt conſtituta. Paſſavienſem quoque pacem An. 1552. ſua potiſſimùm Authoritate compoſuit. Cùm Ratisbonæ Anno 1556. Imperii Principes, atque Ordines conveniſſent, juſſit Ferdinandus Cæſar Albertum Comitiis ſuo loco, & ſumma cum poteſtate præeſſe. Extat in Monacenſi tabulario volumen ingens Litterarum de his ipſis Comitiis, quæ partim Cæſaris ſummam in Alberto fiduciam exiſtimationémque, partim Alberti labores maximos pro Eccleſia ſuſceptos Imperióq; commonſtrant: ſed & Maximilianus II. Imp. optimè gnarus, Catholicæ Fidei integritatem nullius quàm Alberti SCUTO meliùs eſſe protectam, ſuas quoque in Conventu Ratisbonenſi vices A. 1567. eidem commiſit. Dici vix poteſt, quàm ab Alberti ore & eloquentia ſummi Germaniæ Principes penderint, ſuſpexeríntque eum velut Boni Conſilii DEUM, qui ingentis ſapientiæ præjudicio fluctuantes ſententias facilè poſſet in concordiam redigere. Ipſum Conſilium Tridentinum æſtimavit Albertum tanquam Fidei Columnam, & FIRMISSIMUM (Patrum Congregatorum verba ſunt) APOSTOLICÆ ECCLESIÆ PROPUGNACULUM. Quamvis enim præſens illuc non venerit, per Legatos tamen ſuos Auguſtinum Baumgartnerum, & Joannem Còvillonium Soc. JESU Patrem ea egit, & dixit quæ in communem omnium utilitatem, & laudem Bojariæ eximiè redundârunt.

In

In immenſum excreſceret Alberti Elogium, ſi ea omnia, quæ pro Divini Numinis cultu magno animo magnificè geſſit, adducere mens foret. Ad alteram igitur Magnanimitatis, & huic inſtituto magis propriam dotem me converto. Iſtud Pulcherrimum in Magnanimo conſurgit decus, ut animum habeat IN UTRAQUE FORTUNA ſui ſemper ſimilem, qui ſicut in proſpera & æquabili ſorte ad veræ virtutis altitudinem ſe erigit, ita nunquam demittit in triſtibus ac metuendis. Conſpirent igitur ardua, conjurent adverſa, fortuna, quotquot habet, emittat fulmina; Albertus non refugit, non perhorreſcit, eodem ſtat animo, vultu eodem; nunquam viſus, nunquam auditus, aut queri, aut gemere, aut dolere, aut timere: quin ipſa ſi mors ſua intentet vulnera, non formidat MAGNANIMUS, & mortalia contemnit, & mortem. Fortè Ingolſtadii ex Ratisbonenſibus Comitiis feſſus conquieſcebat tantiſper Albertus, eo ipſo tempore, quo arcano Divinæ Providentiæ conſilio, funeſtum irati cœli vexillum, horrida Cometæ ſtella apparebat. Et Albertus, ſive ignarus, ſive negligens Phænomeni cum Proceribus hilariter colloquebatur; cùm ſideris exorti mentionem aliquis atque indicium facit; commoveri cæteri, & ſtare attoniti: ſed ipſe nihil conturbatus, magno generoſóque animo ſubjecit: *Ecquid miramini unum aliquod novum, atque inordinatum apparere in cœlo, quando in terris nova & inordinata ſunt tam multa? nimirum & cœleſtium quædam ſunt viciſſitudines rerum.* Jactantur, veterum ſententiæ Philoſophorum; ſed enim quid gravius, quid conſtantius vel ab ipſo Seneca, qui integrum de Cometis Librum perſcripſit, ſubitò dici potuiſſet? quid eſt, quod animum triſtiſſima quæque nihil metuentem clariùs demonſtret? Sed non tantùm non metuit futura; præſentia quoque, quæ animum propiùs feriunt, nihil expavit. Quæ fortitudo major in Principe excogitari poſſet, quàm ſi à ſuismet laceſſitus injuriâ, proditione circumventus, tentatus aggreſſione, bello appetitus, nil aliud opponat quàm clementiam, vindictam ſeponat? annon hæc Magnanimitatis pars omnium præſtantiſſima? Nobilium quorundam inter Bavaros factio grande aliquid in Albertum moliebatur. Erant nonnulli excelſo loco nati, & præcipuæ apud Principem admiſſionis, qui clancularia hæreſeos lue infecti, cùm ad libertatem Religionis adſpirarent, eámque & ſibi, & aliis, uti volebant, parare alia ratione non poſſent, vim tandem optimo Principi, nihil minùs, quàm arma cogitanti decreverunt inferre. Eam in rem milites, & arma conducunt in Saxonia, & quidem ipſius Alberti nomine, & Auctoritate ad hoc perfidè interpoſita, tanquam ei conſcriberent exercitum. Auguſtus Saxoniæ Elector, miratus, ſe inſalutato, ſua in Provincia delectus à Bojis agi, ea ſuper re cum Alberto per literas amicè expoſtulat. Albertus nuntio tam inexpectato commotus, ut in rem præſentem veniat, citatis equis excurrit in Saxoniam, conquiſitores militum rapit in quæſtionem, & ſceleris totius, quod in ſe texebatur, intelligit telam. Obſcurum non eſt, quid Principi Leges & jura permittant in eos, qui perduelles, & de tanto crimine ſunt convicti; ſed Albertus verè Magnanimus pari modo ſpernebat injuriam & vindictam. Graviter increpitis, & graviora formidantibus hanc ſolummodò pœnam dictavit, ut detracti è digitis annuli, gentilitiæ nobilitatis inſignibus notati imponerentur incudi, & malleo contererentur, indignos hac ratione declarans, qui porrò Nobilium Familiarum portarent indicia; ſpem tamen fecit novæ gratiæ, ſi novo & meliore vitæ genere anteacta emendarent; quin ut clementiæ daret ampliùs, nomina quoque eorum in vulgus emanare non

Hungerus in Orat. funebri.

permisit; quamobrèm hodiéque de jis annales silent. Præclara enimverò hæc erat Victoria de se, déque Fortuna Adversa, adversitates expugnare clementiâ, & offendentes sic ulcisci, ut ipsi potiùs irascantur sibi, quòd tantam clementiam offenderint. Magnanimitas hæc est Divinitatis æmula; Excellentia enim DEI est, facilem delinquentibus dare veniam; DEO proximum, jisdem placari piaculis, quibus læso Numini satisfacimus. Porrò ex hoc ipso, quem narravimus, casu adverso facilè erit intelligere, quàm multarum persecutionum meta extiterit Princeps in Religione defendenda tam Constans. Pronum est, quod cum multorum hominum malitia, cum pervicacia plurimorum fuerit depugnandum, quorum opiniones altis & pertinacibus nixæ radicibus si eruantur, latam plerúmque ruinam trahunt; irritata enim ejusmodi hominum fœx ad perfidiam rebellionémque viam sibi quærit undique, nec DEO locum, nec fidem reverentiámque Principi servat; instar colubri se torquet hæresis, quando calcatur; sibilat, venenum expuit: uno hydræ capite contuso, furor & invidia alterum exerunt; inde insectationes, inde vindictæ cupiditas. Verùm persecutiones istæ cesserunt Alberto in augmentum Potentiæ; Adversa in gloriam. Cùm ei Divinus honor, subjectorúmque salus adeò curæ fuerit, mirum videri non debet, ipsum viciſſim DEO singulari curæ fuisse. Hinc quamvis Adversarii non deessent, DEI tamen SCUTO protectum lædere nemo potuit: circumvolabant tela, sed ad animum non pertingebant; Dæmones ipsi hæreticorum Patroni Alberto machinabantur interitum, sed actum egêre. Ita Bruñerus claris edisserit verbis: „Dæmonis inquit, in Principem odio, quíq; Dæmoni in exitium mortalium ope„ram navant, execrabili ministerio concitata tempestas navigantem in Wür„mio Lacu ex improviso deprehendit, & tanta ventorū, procellarúmq; vi inter „horrendos cœli fragores, mortémq; intentantia fulmina in navim incubuit, ut „de humanis auxiliis nautæ pariter vectorésq; desperârint. Sed eminebat reliquos inter Albertus MAGNANIMUS, spem & sacram jacere anchoram jubet in MARIÆ Matris Oetinganæ potenti auxilio, cujus eximio cultui à prima ætate erat addictiſſimus. Mirū dictu! mox ut auditū MARIÆ Nomen, & ingeminatæ preces, navis ad portū incolumis ejicitur. Regiis subinde muneribus Virginis Sospitæ aram Oettingæ Albertus exornavit; extant adhuc oblata ab eo duodena SS. Apostolorum signa ex argento affabrè facta, sacrificantium prætereà, ac ministrantium ad aram pretiosæ vestes, auro gemísq; illusæ, & Velum Altaris fronti oppandendum gemmeo Deiparæ Nomine insigne. Sunt & alia tum Oettingæ, tum Monachii & Ingolstadii illustria monimenta beneficentiæ Albertinæ; nam qui Magnanimus, idem & munificus: Magni certè animi est dare, ac perdere (si ita fas est loqui) in DEI causa. Stat Ingolstadii Princeps Ara egregii operis in Basilica Mariana Alberti juſſu ac sumptibus constructa. Ejusdem curâ & impensis Bavaria præcipuum suum Tutelarem D. Bennonem è Misnia accepit. Primam Divi ossa stationem Monachii in palatio Alberti per quadriennium obtinuerunt, donec anno ejus sæculi octogesimo festâ cæremoniâ, & communi urbis gaudio in maximam Divæ Virginis ædem translata, stabilem ibi sedem nacta sunt. Dedit sacrum hunc thesaurum Patriæ Albertus, à quo gratias illa etiamnum trahit inexhaustas, Beneficentiam quoque ejus immortali laude extollet minima nostra JESU Societas, quæ ipsius beneficiis inter Bojos educata, Collegiis illustrata, fundationibus amplificata est. Testabuntur multæ aliæ Religiosorum familiæ, liberaliter paternéque ab ipso adjutæ, exornata item tot ubique templa, tota Bavaria, magnis opibus, nobiliſſimísq; ædificiis adaucta. Mæcenatem verò præcipuè expertæ sunt Musæ,

Theatr. Virt. Boic.

&

& artes liberales, quarum cultoribus haud facilè quisquam Principum favit prolixiùs. Fontem auri rectè coævi Auctores appellârunt, ita largè rigavit, inundavítque beneficiis, quidquid fuit usquam eruditionis, & eruditorum. Viventibus his benefacere non contentus, mortuorum quoque monumenta ut in longam posteritatem durarent, procuravit, conquisitis undique libris, & in amplissimam Monachii Bibliothecam illatis. Eâdem munificentiâ, magnificentiáque rarissima quæque penicilli, & artis statuariæ miracula, celebrésque antiquitatis reliquias immenso sumptu collegit, & in Monacensi Principum Regia collocavit, ut ubique Magnus, æterna Magni animi, magnáque molientis documenta posteritati relinqueret.

Qui ergo MAGNANIMUS in omni vita extitit, eodem tenore, magno nimirum, fortíque animo mortem rerum omnium durissimam excepit. Cùm ultimam operam Reipublicæ in Augustanis Comitiis impendisset, & non multò antè Gymnasii, ac templi suburbani pro Societate Jesu ædificationem, quam inter plebis sepulchra tunc cœperat, Monachii absolvisset, suarum simul virtutum Pantheo ad omnem perfectionem elaborato, A. MDLXXIX. tentari morbo cœpit, statímque contestatus, omninò se ex eo moriturum, animæ Medicum accersivit, quocum rebus conscientiæ compositis, & SS. Evchaństiâ religiosissimè perceptâ, corpus ad supremam inungi luctam voluit, sat firma mente jam priùs ad eandem comparatus. Postquam Filiis Orthodoxam fidem, & se Deo ardentibus sæpè precibus commendâsset, ingentem denique animam absque doloris sensu, nulla certè ejus edita significatione, efflavit, vitâ & vitæ exitu verè MAGNANIMUS. Sic cecidit Flos Germanorum, Terror hæreticorum, Patriæ Pater, Ecclesiæ Columen, mundi melioris fundamentum. At non cecidit. Magnanimus, dum sic cadit, surgit. Cecidit Albertus è mortalitate, ut surgeret immortalis. Immortale ejus nomen in Cœlis, terrisque permanet, státque hactenus cum ipso, pérque ipsum Bojaria, Tellus Beata, & Cæruleæ cognata Plagæ, quæ jaceret forsan, cœlestémque colorem ac cœli spem amisisset, communi hæreseos afflata malo, animarum clade involuta, nisi fulta, & sustentata fuisset Magnanimi Alberti virtute; nisi & Albertus posteritati dedisset Herculem se Atlante non minorem, Wilhelmum nempe V. cujus jam laudes ordimur.

An. Chr. MDLXXIX.



XXXVIII.

VVILHELMUS RELIGIOSUS,

ALBERTI MAGNANIMI FILIUS,

COMES PALAT. RHENI,

UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX.



Sæpè dabat superæ spectacula grata catervæ,
Creber Olympiaco Victor Hic in stadio.
A Cœlo Plausum tulit, infinitáque Dona,
Dignus qui Sancti Nomen ab Orbe ferat.

Annales Boici parte 2. lib. 12.

FElix Bojaria! Principes habes, vel potiùs terrestres Deos, Quorum Fortitudo non Utramque solùm in humanis Fortunam subjugat, & ad sua tenet imperia captivam; sed qui gloriosis virtutum triumphis, Pietate ac Sanctitate ipsam Beatitudinem & felicitatem Cœlestem suis Tuísque meritis faciunt obnoxiam; In Wilhelmo V. tenes Arnulphi, Caroli M. & Henrici Sanctitatem, quamvis non publicis Ecclesiæ honoribus, haud dispare tamen virtutum splendore redivivam. Pietas Tua, O Bojaria! & cum hac Vera felicitas à majoribus accepta, diúque

Pro-

Propagata à Wilhelmo isto in tantum adducta est gradum, ut tu verè BAVARIA SANCTA, & Principum Tuorum Aula, PANTHEON SANCTITATIS dici non una ex causa potuerit. Est igitur Wilhelmus de Cœlestium Virorum numero, & siquis alius Gloriosissimi HEROIS nomine dignissimus, quod à primæva sua origine, & consuetudine gentilitatis iis tributum est, qui mortales cùm essent, rerum tamen à se gestarum magnitudine quamproximè ad Deos immortales accesserunt, eámque in terris obtinuerunt opinionem, ut post mortem in Deorum numerum crederentur relati. Fabulosos Heroës extinxit Wilhelmus, verisque virtutibus athletarum Cœlestium sedem est adeptus. Id, priusquàm vitæ operibus demonstremus, in Symbolo tanquam Hierographia adumbratum legamus. Plenum id est mysteriorum: mundi globus infido aquæ elemento, instabili nempe basi nititur; & hic ipse globus sua rotunditate volubilis hippodromum, sive stadium, in quo cursu equestri decertetur, aut sustinet, aut sustinere videtur; reipsa enim Circus in vacuo pendet aëre. Quid ista? Rerum mundanarum, & quæ in his est, fragilis instabilísque Fortunæ Symbola sunt. Non tot fluctibus agitatur Euripus, quot Fortuna dubiis semper motibus; non globus ita facilè rotatur, quàm mutetur Fortuna. In hoc totum Fortunæ stat Regnum; mare dubium & procellosum pro sua habet ditione; pro solio ac throno versatilem globum. Quisquis verò Fortunæ Dominus, & Heros est, inconstans Fortunæ Regnum sub pedibus conculcans, in stadio virtutis currit alacriter, æternáque certat pro Corona. Talem pictura exhibet Athletam, qui in Circo supra res terrestres posito, velut in Olympiis decurrit; Et talis erat Wilhelmus Athleta Olympionices Sanctissimus. In summa Fortuna, Bona Fortunæ omnia conculcavit. Vita tota lucta fuit, & certamen pro cœlo. Per stadium omnigenæ virtutis pervenit ad coronam. Ternas sacræ Palæstræ accuratissimas Leges ipse sibi posuit: AGNOSCE, DOLE, EMENDA. *Agnosce* rerum humanarum, & Fortunæ vanitatem, eámque tibi subjice, agnoscendo, contemnendo; *Dole*: per dolores & adversitates ad bravium contende; de virtute in virtutem progredere, & in melius semper vitam quantumvis Bonam *emenda*. Atque hæc erat vitæ totius Epitome in Wilhelmo: super rerum humanarum inanitatem altiore animo incedere, austeram dolorísque plenam virtutis viam decurrere, pérque majora semper incrementa, vitæque in melius emendationem promereri Palmam cœlestem. Nihil equidem censura quantumvis rigida habere potuit, quod in tota Wilhelmi vita perstringeret: Sæculi illius prodigium dicebatur, & Princeps immaculatus, ac sine nævo; sed, ut ipse de se abjectissimè sentiebat, ita pro Symbolo, próque tessera alia non voluit admittere verba, quàm tria hæc pœnitentis suspiria: AGNOSCE, DOLE, EMENDA. *Magnarum* nempe, id est, Heroicarum *Animarum*, ut Magnus ait Gregorius, *id proprium est, ibi vereri, & agnoscere culpam, ubi culpa non est, & pœnitentis induere habitum, ut innocentia conservetur.* Ita sacri Heroës solent: sic pati oportet, & per adversa, inferre vim cœlo, per eadem vestigia tendere ad gloriam, quæ Christus impressit. Sic Corona immortalis obtinetur. Emetiamur nunc, sed uno tantùm alteróve pede, quantus Heros fuerit Wilhelmus; totum enim comprehendere non possumus. Ubi fatis cessit Albertus V. collabascentis per dissidium Religionis Columen, hæreditarius Bavariæ clavus Wilhelmo natu è Filiis maximo cessit, quem Hic summâ prudentiâ annos septemdecim moderatus, Religionis quoque ac cæterarum virtutum cultu ingentem Provinciæ suæ felicitatem peperit. Et Religionis quidem immortale specimen dedit in plurimis, usque adeò, ut si Terram suam Ca-

Brunnerus in Excubiis.

tholicam non reperiſſet, glorioſa ſedulitate feciſſet. Patris enim Clariſſimi Principis exemplo incitatus præſtantes è variis locis viros accerſiit, qui aut Eccleſias, aut juventutem, Republicæ Seminarium, ad priſtinam pietatis normam educerent, & edocerent. Pro juventute quidem primùm Ingolſtadii domicilium pereleganti ſtructurâ & amplitudine commoda ſub Divi Ignatii Martyris Antiocheni Patrocinio collocavit, atque ut Convictores ſub Societatis Jesu diſciplina tantò opportuniùs habitarent, ad proferenda continuandáq; Collegii Societ. Jesu cum hoc Ignatianæo ædificia, bis mille quingentos aureos eſt largitus. Tum etiam Monacenſi Seminario à Divi Gregorii Tutela appellato Beneficam adhibuit manum. Ut eam Domum in pauperes adoleſcentes Bonis artibus informandos potiſſimùm deſtinatam, ſua ipſe majeſtate, præſentiáq; dedicaret, primo, quo immigratum eſt, initio cum Renata Ser.ma Conjuge, Ferdinando Fr. & Maximiliano Fil. poſteà Septem-Viro, in novo triclinio prandere eſt dignatus. Multâ ſubinde Piorũ donatione, atq; ipſius Ser.mæ Bavaricæ Domûs creſcente in dies munificentiâ ſeminarium illud ad Patriæ utilitatem magna cum tempore fecit augmenta. Aliam quoq; virtutis ac Doctrinæ palæſtram, Gymnaſium nempe ampliſſimũ paulò pòſt inſigni magnificentiâ Wilhelmus excitavit, cui adjecit Collegium Soc. Jesu, dignitate venuſtatéque maximè viſendum, atque etiam invidendum, ſi incolas ſpectes; ſi Conditorem, par Majeſtati ejus, & tanto Principe dignum. Super omnia templum Divi Michaëlis eminet auguſtiſſimum, atque opus ferè Regium, quod intra quindecim annorum ſpatium, immenſis ferè ſumptibus in eam exſtruxit magnificentiam, ut Germania jam Romæ deſinat invidere. Et multorum conſilia, & Fortunæ adverſantis machinæ ſe interponebant, dum tanti moliminis opus aggrediebatur; ſed cordatiſſimus Princeps ſuâ conſtantiâ difficultates perrupit, & contrà dicentium, nitentiúmque ora ac ſtudia compeſcuit. Ita, dum perductâ jam propè ad finem Baſilicâ turris corruiſſet, indéque multorum malevolorum aſſurrexiſſent cornua, caſum in omen ſiniſtrum detorquentium, tantùm abeſt, ut Wilhelmus remiſerit animum, ut admoneri ſe potiùs à cœlo crediderit, aliquod priſtinæ Majeſtatis auctarium in templo deſiderari. Angelorum quoque curam & tutelam ſingularem ex eo caſu cognovit; fieri enim non potuiſſet, niſi his manum porrigentibus, ut moles ducentis pedibus alta, quæ ſtragem longè latéque perniciabilem datura videbatur, in ſeipſam velut ad perpendiculum ſine mortalium cujusquam, vicinarúmque ædium injuria ſubſideret. Imò & ante caſum jam providit Deus, ac cura Principis; nam ubi primùm fatiſcentes turris parietes, nutánsque cacumen eſt obſervatum, campanis depoſitis, viæ circa templum fuerunt occluſæ, omnibúsque periculis eſt conſultum. Princeps animo ſuper plebeia judicia multùm eminens, nullóque Fortunæ ſequioris caſu abſterritus, perpurgato ſtatim loco, ejectíſque ruderibus non modò collapſum opus reſtauravit, ſed redegit in formam longè ampliorem, adjecto Choro, ut vocamus, in paucis magnifico, ea latitudine altitudinéque, quam hodiéque architecti omnes admirantur. Novus hic erat de adverſante Fortuna triumphus, novum altiſſimæ mentis inventum, ſubitis ex caſibus & ruinis virtutis ſuæ erigere monumentum, ſupérque fortunæ machinas tantò altiùs incedere: non veteris impenſæ jacturâ, non neceſſitate novi ſumptûs, non obloquentium malevolentiâ aliter commoveri, quàm ad majorem conſtantiam, ad munificentiam grandiorem. Hanc ſi modò explanare vellemus, non in Regia tantùm Baſilicæ ſtructurâ conſpicuam, ſed apparentem in incomparabili ſacrorum ornamentorum theſauro, quo duodecim altaria totúmque templum, cum larga ſtabilium

pro-

proventuum fundatione locupletata fuerunt, paginæ plures non ſufficerent; dixiſſe ſufficiat, tam profuſam fuiſſe Wilhelmi largitatem tum in his, tum in aliis ad alia templa muneribus conferendis, ut potentiſſimorum Regum exempla etiam rariſſima, ſi non ſuperârit, certè adæquârit. Paſſim videas totâ Bavariâ in templis, quæ ſi uſpiam, hîc ſunt frequentiſſima, aras auro cæteróque ornatu ſplendidas à Wilhelmo erectas magno ſumptu, & ſtudio tollendi vetuſtum ſqualorem, quem ne in pagis quidem ſupereſſe paſſus eſt, ut Decorem Domûs Dei, & tantò ſplendidiorem Numinis cultum ubique procuraret. Opera inter reliqua eminent quoque ſacræ ædes Divis Carolo Borromæo, & Nicolao poſitæ, quem utrumque vitâ ſuâ æmulabatur. Imò Lauretum usque ſe Wilhelmi pietas ac munificentia extendit; illuc enim Regia liberalitate munifica dona partim miſit, partim ipſe attulit. „Inter Dona „miſſa, teſte Horatio Turſelino, erant Equus Generoſiſſimus, lamináque „argentea ebeno incluſa, ubi B. Mariæ Jesum puerum gremio geſtantis, Jo- „ſepho fugæ Comite in Ægyptum, effigies expreſſa cernitur: candelabrum „item argenteum penſile, non magis pondere, quàm opere egregium; pon- „dus eſt librarum octoginta; opus autem ejusmodi, ut quatuor & viginti ve- „luti rami ex eodem emineant trunco, ſcitè omnes venuſtéque diſpoſiti; adeò „ut totidem cereos laxè ſuſtineant. Ergo id candelabrum in ipſa Virginis „Cella perpetuò ante ejus effigiem pendet, nobile omninò Bavari donum, „ſed hoc nobilius, quòd dotatum venit. Dotis nomine aſſignatum à Duce „ſtipendium, ut quotannis per quadraginta Dies Feſtos ac ſolennes candelis „vicenis & quaternis candidis B. Virgini luceat. Anno MDLXXXV. Laure- „tum ipſe profectus, nova ibidem & munificentiæ & Religionis veſtigia reli- „quit. In Auguſtiſſima Virginis Cella usque eò Chriſtiana ejus humilitas pie- „tásque enituerunt, ut præſentibus miraculo forent. Nam tanta animi „corporísque ſubmiſſione ſupplicabat in turba, ut unum aliquem de populo „crederes. Inter Dona ſecum allata præcipuum fuit libellus ex auro ſolido, „qui trifariàm diviſus, quatuor velut paginis geminata ſigilla, egregiásque „imagines continet. Integumentum ex auro, unionibus, gemmisque cla- „riſſimis opere mirabili perfectum pendet ex tribus catenis aureis, quas ex „aureo fluentes annulo ingens ſaphirus excipit. Fama eſt, hoc donum octo „aureorum millibus æſtimatum; nec ferme aliud eſt in ædis Lauretanæ the- „ſauris, quod jucundiùs à peregrinis avidiúsque viſatur; adeò non ſolùm or- „natus, ſed etiam interiorum imaginum, ſigillorúmque eximia pulchritudo „ſpectantium oculos rapit, arte certante cum copiâ. Ejusdem donum Chri- „ſtus aureus fuit, eâ ſpecie, quâ redivivus exiſtit è ſepulchro; & ſepulchrum „adamantibus, pyropísque collucet.

in Hiſt. Lauret.

Nondum hîc ſtetit Wilhelmi liberaliſſima pietas, ſtudiúmque Religionis. Ut Eccleſiæ Orthodoxæ augmentum ubique procuraret, Collegio Societatis Jesu Oenipontano in Tyroli, quò plures ibi ſacri operarii ſuſtentari poſſent, magnam pecuniæ vim liberaliter dono miſit. Ratisbonam quoque Societatis Jeſu Coloniam induxit, ut urbi Acatholicis ritibus jam magnam partem addictæ aliquid remedii afferret. Multæ hinc ab initio difficultates ſe Wilhelmo objiciebant, ſed pervicit tandem, quæ negotium ſufflaminabant, obſtacula, effecítque, ut Monaſterium S. Pauli à Divo Wolfgango quondam ejus urbis Præſule fundatum, jam verò penè deſolatum Societati Jeſu in Collegium traderetur. Authoritas Sixti V. Pontificis Maximi ea in re implorata negotium abſolvit. Curas inde ſuas convertit Wilhelmus ad D. Virginis Ædem Oettinganam, augendámque in ea Piorum Religionem. Alterum ibi Germaniæ

Lauretum eſt, votíque causâ innumera illuc hominum multitudo ſolet confluere. Wilhelmus ipſe, quamvis æſtivi calores vehementer urerent, ſolo triobolari peregrinantium baculo inſtructus, neque alio inſignis apparatu, quàm modeſtiæ & pietatis eximiæ, eò pedes non rarò cucurrit. In locum tanto populorum confluxu celebrem, & ſaluti animarum procurandæ tam opportunum, miſit è Societate Jeſu aliquos, ſedémque jis attribuit, ut & luſtrando pœnitentes, & Divinum explicando verbum fertilem excolere agrum adjuvarent: Similem operam eos ponere juſſit ad Templum Divo Sebaſtiano Martyri Eberſpergæ dicatum, locum inſigni pariter Religione, & frequenti hominum concurſu, maximè verò ipſius Divi Sebaſtiani Cranio, aliisque Sanctiſſimis Reliquiis nobilitatum; poſtquàm malignitas temporum unà cum fortunis Monaſterium illud etiam Religioſorum numero imminuiſſet, Wilhelmus accepto à Clemente VIII. Summo Pontifice Diplomate impetravit, ut Monachienſi Societatis Jeſu Collegio adjungeretur. Ad finem non pervenirem, ſi Regiam Wilhelmi munificentiam ſimul, & Religionis amplificandæ ſtudium narratione vellem exhaurire, aut verbis aſſequi; ſatis, ſupérque manifeſtum eſt ex jis, quæ in breve hoc compendium ſunt miſſa, quàm magnificis operibus, factísque, ſacri & pro Cœlo Deóque ſtrenuè laborantis Herois nomen jure merito ſit conſecutus; Principem Apoſtolicum, & inter Germaniæ Apoſtolos Principem, haud injuriâ compellâro; ſic pro Evangelio Dei aut laborabat ipſe, aut qui laborarent, mittebat, conducebátque. Patrem aurei ſæculi Bojaria in eo habuit, Patriæque PIÆ firmamentum. Aurum, quod extra templum malè adoratur, conſecravit aris, & dum auro verum legitimúmque honorem procuravit, introducta ſimul vera pietate, ſæculum ſuum reddidit aureum, & fortunatum. Quæ enim melior, optatiórque Fortuna, aut Principi, aut ſubjectis obtingere poteſt, quàm à Religione? cùm hac florente omnia cætera cadant proſperè, juxta Græci vatis pronuntiatum: *Numen colenti cuncta numen diriget.* Wilhelmum quis felicem fuiſſe non agnoſcit? cui uni omnium Bojariæ Principum contigit vivo tres Filios videre in Purpura, Philippum nempe Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Ferdinandum & Maximilianum in oſtro Imperiali, hunc Electorem Bavarum, alterum Colonienſem; Filium alium Albertum vidit prole ſtipatum; vidit Duos Generos alterum Cæſarem, Ferdinandum nempe Secundum & PIUM, Boica olim in aula ad Pietatem educatum; alterum Principem è Lutherano Catholicum, Wolfgangum nempe Wilhelmum Comitem Palatinum, qui cum magno Catholicæ Religionis incremento Sanguinem Boico-Palatinum ad orthodoxa ſacra revocavit.

Erat tamen Fortuna hæc, quantumcunque magna longè infra animum Wilhelmi poſita; Patriæ, familiæque dabat felicitatem, ſibi adverſitatem. Noverat Heroas profanos per dura & aſpera eſſe formandos; quantò magis ſacros? Vitam ergo ingreditur mundo contrariam, cœlo admirandam. Satur Potentiæ, ſatur humanæ felicitatis poteſtatem gubernationémque Bavariæ in Filium transfert Maximilianum, tam raro, quàm memorabili paternæ pietatis in Filium, & contemptûs rerum humanarum exemplo. Factum id Anno MDCXCVI. Diu antè Maximilianum imperio parem formaverat, dederátque jam talem vivus Patriæ Filium & Principem, qualem alii, ut poſt mortem dare poſſint, magnis & anxiis votis deſiderant. Ipſe Circum virtutis, aliis rebus omnibus ſepoſitis, totus, & ſolitarius ingreditur. Caſtitatem à trigeſimo nono ætatis anno, quod vitæ illius dimidium fuit, cum Renata

lectiſ-

lectiſſima Principe, & Decem jam Liberorum Matre ex compacto ſanctiſſimè coluerat, omnémque thori uſum abdicârat, Divum Henricum Bojorum olim Principem ſicut in cæteris, ita in hoc quoque imitatus; imò & cætera illa mundi miracula Paulos, Antonios, Macariósque, novum ipſe noſtri ſæculi miraculum ſancta ſtuduit æmulatione repræſentare. Eapropter in ipſa ſua Regia, atque ſuburbanis Schleishemienſi, ac Neideckiano ſacros receſſus & aſceteria, quæ eremi horrorem referrent, miro opere excitavit, jisdem abditus & tantùm non ſepultus ſibi vivebat ſoli & Deo. Id cumprimis ſolebat eo tempore, quod quadragintadiali jejunio ab Orthodoxis tranſigitur. Tum ad recolendam Chriſti Patientis memoriam hiſpidum rigentibus pilis aſſumebat amiculum, cibo utebatur tenui, vel ab omni abſtinebat, ut ipſam frangeret neceſſitatem, aut ſiquando huic cedere cogeretur, nonniſi victor ſuccumberet. Quietem ac ſomnum non tam capere videbatur, quàm abigere, ſecum ac cum natura luctans fortiter generoſus PUGIL. Et erat hæc lucta tantò ſeverior, quòd non ut olim à Palæſtritis in arena, molliqúe ſolo, ſed vel in nuda rigidáque humo vel junceum ſuper ſtratum perageretur. Deinde ut curſum ad ſanctitatis metam tantò animoſiùs decurreret, flagra quoque & cilicia ferrea pro ſtimulis adhibuit. Quid majus de Principe Sancto, quid præſtantius de Fortiſſimis Athletis dici poteſt? Ita rara ſunt hæc, ut ſi in paucis interdum Principibus talia inveniamus, dignos eos cenſeamus Apotheoſi; quòd ſi & illa addamus inaudita ferè Miſericordiæ opera, quæ in miſeros egenósque exercuit Wilhelmus, quis non in Beatorum numero eum collocabit, tanti nominis dignationem Chriſti voce tuiturus, qui BEATOS MISERICORDES non uno oraculo pronuntiavit? Vix aliquis in Monacenſi vicinia tum vixit aut inopiâ preſſus, aut orbitate ſolus, aut caſu aliquo, miſeriáque proſtratus, qui liberalitatem Wilhelmi, tutelam, ſubſidium, paternúmque ſinum non invenerit. Xenodochium Monachii ædificârat, ídque operum ſuorum, & exercitationum ſacrarum proprium quodammodo Circum eſſe voluerat: ibi pedes adventantibus peregrinis abluere, libare oſculo, nec ſaniem quidem & ulcera faſtidire, menſæ accumbentibus inferre epulas, eáque agere, quæ, ut in aliis quondam ex Patritio vel Conſulari Ordine Sanctis Viris homines videre poſſent & admirari, ex ultimo Oriente & Occidente ſpectatores confluebant. Talia Charitatis obſequia hoſpitibus ac peregrinis exhibebat Wilhelmus integrum plerúmque triduum; abeuntibus tam largam quoque ſtipem addebat, ut quotannis multa Rhenenſium florenorum millia in ejúsce largitionis tabulas relata ſint. Domum aliam ſimilibus deſtinatam operibus, & ſuæ Regiæ continentem tribus ægris perpetuò fovendis deſtinavit, neque hunc numerum unquam paſſus eſt imminui, in unius vel decedentis, vel convaleſcentis vicem mox alterum ſubſtituens. Ad hos itabat de die bis térve; aſſidebat lectulis Magiſter patientiæ, atque inſtitutor rationum amandi Deum, & capeſſendæ æternitatis. Egregia dicta animabat factis, tabida ægrorum corpora levans de lectulo, & nauſeantibus ſua manu cibum ingerens. Inſuper ex mendicabulis ultimæ ſortis convivas ſibi legebat, idque ſæpiùs per ſingulas hebdomadas; cum his jucundiſſimè epulabatur; his opimiorem obſonii partem, his ſtatam inſuper ſtipem, veſtémq; dabat: Wilhelmi maximè conſilio erectum eſt Monachii Orphanotrophium. Ipſe ad D. Eliſabethæ quatuor domicilia inſtruxit collocandis ægris, in quos etiam ſumptum fecit haud modicum, uti & ad templi eidem Divæ ſacrandi fabricam. Noſodochium S. Spiritûs quavis adiit ſeptimanâ, decumbentium nemine prætericto, cui non ſuaviſſimè colloqueretur, ægritudinémque animi levaret hortan-

tando, inopiam corporis ſtipe, tota civitate Monacenſi ad hæc magni Principis officia obſtupeſcente. Sed nec ipſa civitas quamvis ampliſſima viſa eſt ejus charitati ſufficere; itaque luſtrare ſuburbia, ægrorum cubilia explorare per pagos ſuſtinuit; elephantiacos adeò non ſprevit, ut & illarum caſulis ſuam majeſtatem inclinârit, omnium miſerorum hoſpes, ſalutator, conſolator, & ut verbo dicam, Parens. Hoc vitæ tenore cùm ſeptuageſimum octavum ætatis annum eſſet aſſecutus, abſoluto pulcherrimarum virtutum orbe aliud nihil ſupererat, quàm Circulus æternitatis. Ad hanc itaque velut Gladiator ab arena, Pugil à Circo, ut rude donaretur, ut acciperet CORONAM evocatus eſt Anno MDCXXVI. VII. Febr. Magnificentiſſimum illud, quod DEO poſuit in terris palatium, ceſſit Defuncto in Mauſoleum. Illatum Divi Michaëlis templo cadaver eſt, ſed ſine pompa, ac laudatione funebri, quam modeſtiſſimus Princeps priùs omnem ſeverè interdixit; quare & nos à funebri elogio, quod texere oporteret, porrò abſtinemus, atque id ſolùm dicimus, majorem ſancto Principi laudem non poſſe dari; quàm PATRARE LAUDIBUS DIGNISSIMA, NEC TAMEN VELLE LAUDARI. Epitaphium, quod ipſe ſibi apponi voluit, atque in Divi Michaëlis templo publicè extat, omittere non poſſumus, ſúntque hæc lectu, ac cogitatu verba digniſſima: COMMISSA MEA PAVESCO, ET ANTE TE ERUBESCO; CUM VENERIS JUDICARE, NOLI ME CONDEMNARE. Epitaphium hoc cùm inſpexiſſet Suecorum Rex Guſtavus, ſummam etiam in hoſte virtutem vel hinc eluceſcentem magnópere laudavit. Laude majori in Cœlo absque dubio fulget & extollitur WILHELMUS HEROS omni humana laude ſuperior.

MDCXXVI.

XXXIX.

XXXIX.

MAXIMILIANUS PRIMUS,

GVILIELMI FILIVS, COMES PALAT. RHENI, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX, S. R. I. ARCHI-DAPIFER ET ELECTOR.



Heroëm Tantum si tempora prisca tulissent,
Plures æquâsset solus in orbe Deos.

Theatr. Virt. Boic.

QUoúsque crescet adhuc gloria, & Fortitudo Boica? Ecce MAXIMILIANUS! quo majus aliquid dici non potest, Princeps re, ac nomine MAXIMUS, magnitudinis apex, & magnanimitatis exemplar! Ecce BOICUS HEROS! in quo refloruit, revixitque totus & Theodonianus, & Carolinus, & Ottonianus Sanguis! Ecce GERMANUS SALOMON! in quo magnificentissimè relucet, quidquid est Augustum in fama, Opulentum in felicitate, Gloriosum in Potentia, in Sapientia admirabile, summum in Fortuna. Ejus nos gesta quomodo tribus complectemur paginis, quæ celebris rerum Boicarum Scriptor integro & va-

Theatri Gloriæ & Virt. Boic.

 sto

Adelsr. tota parte 3. Annal.Boic.

sto opere, parte nimirum Annalium tertia, eáque prægrandi assequi voluit, non adæquavit? Tantæ Maximiliani sunt laudes, ut si eisdem par esse unus voluerit liber, totâ debeat Bavariâ non minor esse. In nuce dabimus ergo Iliadem, Leonem in ungue, in umbra Gigantem maximum, Heroëm in Epitome, HEROEM in omni Fortuna Strenuissimum, Invictissimum, Gloriosissimum.

Quod olim de CÆSARE assentatio plebis jactare ausa est, cùm exclamaret: Pompeji triumphos dinumerabamus, tuos (O Cæsar) enumerare non possumus: veriùs jam Bojaria de suo dicere potest Maximiliano, qui in continuis & contiguis bellorum procellis, quibus vita ejus erat obnoxia, tot ferè triumphos emessuit, quot pugnas inivit. Inde ducamus initium narrationis, unde ipse victoriarum; ita tamen ut summam duntaxat perstringamus. Prima omnium Donawerda (inter Liberas tum Imperii urbes censebatur) experta est, quid Maximiliani arma possint. Effrænis illorum civium licentia, qui Catholicos ritus contra pacta conventa insolenter furiosèque turbabant, Rudolphum II. Imperatorem post alia remedia incassum adhibita coëgerunt, ut gliscenti contumaciæ armis occurreret. Eam igitur Provinciam Maximiliano rei Catholicæ studiosissimo Principi imponit Anno MDCVIII. Non una civitas, sed fœderatæ aliæ, Principésque Acatholici simul oppugnandi videbantur. Et facilè latiùs serpere flamma, communéque in Imperio belli incendium poterat excitari, nisi Maximilianus celeritate usus, ingentem subitò exercitum, & obsidionem non expectatam urbi admovisset. Debellatum fuit brevi, & contumaces in ordinem, obedientiámque redacti. Eo ex tempore Donawerdani sub orthodoxa Religione & Ditione Bavarica fuerunt: Siquidem hac lege noxarum gratiam jis fecit Imperator, ut bona eorum quæcunque, possessiones, opes, Duci Bavariæ manerent obnoxiæ, donec executionis impensas ex præscripto Legum Imperii reipsa restituerent; interim Maximiliano Duci Sacramento & obtemperandi nexu essent devincti. Cessit ergo prima hæc expeditio feliciter tum pro Bono publico, tum pro Bavariæ, ac multò magis pro Divini honoris incremento. Bellum aliud justissimis de causis à Maximiliano illatum est Antistiti Salisburgensi Wolffgango Theodorico, qui & Bavariæ urbes quasdam invaserat, & Maximiliani Fratrem Ferdinandum Berchtesgadensi oppido, ac reditibus, qui pertinebant ad Præpositum, spoliaverat. Multa alia indignè avarèque patrârat Antistes, atque ita induruerat in pervicacia, ut cùm mollioribus frangi non posset, ferro opus esset. Ipsi summæ ædis Salisburgensis Canonici Literas supplices dederunt ad Maximilianum, rogâruntque, ut aliquam Provinciæ nimis oppressæ opem offerret. Arma igitur induit Maximilianus Cæsare & Pontifice approbante, soliúsque Justitiæ propugnandæ causâ, sacra administratione prorsus intactâ, Præsulem in fugam compellit, cæteris suum ut cuique reddatur, facit.

Non magni quidem labores hi erant, quia HEROEM BOICUM nacti; nunc autem alia occurrunt monstra devincenda, quæ vel cœlo missum Herculem possent fatigare; gloriosa tamen Maximiliani Fortitudo nec fatigari potuit, nec superari. Terræ gigantes Jovem tum temporis Imperio, Religionem orbe, DEUM ipsum cœlo exturbare laborabant; montes idcirco montibus, machinas rebelles machinis addiderunt. Primùm quidem Austrii, ac Bohemi adversùs Regem Ferdinandum insurrexerunt; hi ad Regem alium, eúmque hæreticum, illi ad libertatem Religionis adspirârunt. Noverat Ferdinandus neminem magìs ad Custodiam Religionis excubare, quàm LEONEM BAVARUM; hujus igitur Fortitudinem implorat. Adest Maximilianus,

nus, & priùs in Domo Dei, in templo, bellum jurat adversùs hæreticos, tum ſtipendia paciſcitur cum Caſtrorum Acie Ordinata, Mariæ nomen in Vexillum intexit militare, & felicibus auſpiciis cum triginta facilè millium exercitu primùm in Auſtriam, tum in Bohemiam movet. Contremiſcebant protinùs ad Maximiliani tympana Auſtrii, qui cis Anaſum ſeditionem concitârant Intra quatuor, aut quinque Dies tota illa Regio occupata eſt, & vindicata Cæſari. Subjectâ primâ Auſtriâ, ſecundam Dux adventu ſuo exarmat, tum in Bohemorum transgreſſus fines Bucquojo Cæſaris Stratego jungitur. Jámque in ipſa rebellis Bohemiæ viſcera, regníque Caput Pragam promoverat ferrum, bellúmque. Ex itinere multas urbes deditione, vi, amore, terrore ſuas fecit. Priusquam ad pugnam decretoriam deveniretur, id quod antehac quoque egerat, repetit Maximilianus, Fridericum Palatinum, ut à cæptis abſtineat, Bohemiáque excedat, amicè monet, plurima rationum graviſſimáque momenta ei jam in literis perſcripſerat, & ſaniora conabatur perſuadere, per communem Sanguinem, & per amicitiæ jura obteſtatus, ut alieno Regno abſtineret, periculoſam aleam ne jaceret; ſed illum Regii ſtemmatis conjux, & ambitioſi conſiliarii, in Regnum, aut potiùs in caſum impetu nimiùm vehemente impulerant. Maximilianum certè nulla privata odia in Fridericum exaſperârunt, nec ante id tempus Fridericus averſum à Maximiliano animum geſſerat. Ita ſaltem videri potuit, dum in ſuas Fridericus partes adducere modis amiciſſimis Maximilianum conabatur; Monachium ipſe venit, Romani etiam Imperii faſces ei detulit, non ſuam tantùm in id operam pollicitus, ſed aliorum quoque Septem-virorum non dubia, ſi vellet, ſuffragia. Maximiliano equidem non deerat mens ampla, & tantæ dignationi par, non forma corporis Imperio digna, non majorum Boicæ Domûs exempla, non Boni publici ſtudium, non opes & Potentia magnificis tum exemplis orbi nota. Sed immortalis ejus gloria eſt, tam magnum in cupiditates exercuiſſe imperium, & arridentem Fortunam ejúsque faſtum deſpexiſſe. Et erant hæ fortaſſis malignæ duntaxat hæreticorum ſubſtructiones; tantum momenti in uno Maximiliano eſſe cenſebant, ut ſi illum haberent, omnia ſe crederent habituros; ſua ad Imperium ſubſidia, quibus Maximilianum efferrent, fræna ſperabant fore, ne hic adverſis armis contra hæreticos uteretur. At, qui ſuprà nubes eſt, non compluitur; non aliter ille blandiloquis technis, magnificis promiſſis, ſceptris & coronis ultrò oblatis motus eſt, quàm ſi ſpumæ & bullæ adamantem arietâſſent. Tenuit Maximilianus Fortunam ſuam in poteſtate, ne ab ipſa teneretur captivus. Deſpexit, ne ſuſpicere deberet. Documentum jam orbi dedit, quàm facilè populos & urbes ſubigere poſſet, qui fortitudine longè majore ſui ipſius victor extitiſſet.

In Albo igitur Monte Pragenſi rebelles Deo & Cæſari gigantes aggreditur. Perculit & fulminavit eos Chriſtianus hic Jupiter tanta armorum vi, ut poſt unius horæ pugnam clades in multa ſæcula memorabilis ſit perpetrata, vires Friderici Palatini omnes uno velut ictu proſtratæ exarmatæque. Uno prælio ſervata Germania, pacatus orbis, firmatum eſt cœlum. Unius campi pugna recuperavit Bohemiam, redemit Auſtriam, purgavit Franconiam, liberavit Sueviam, Bavariam exhilaravit. Et erat planè victoria illa manifeſto ſimilis prodigio, nec niſi prodigioſi Herois manu comparata Fortuna in Friderici partes certiſſimò videbatur conceſſura; ſtabant enim pro illo loci primùm eminentioris opportunitas, milites veterani nec tot itineribus, ut Cæſareani Bavaríque, feſſi, nec tot morborum ſtragibus exhauſti; robur exercitus, à

 ter-

tergo Praga, à fronte fossæ ac loricæ. Catholicis spes una in Maximiliani Ducis fortitudine; Maximiliano summa in DEUM, Deiq; Propitiam Matrem Fiducia. Constabat ei, quòd Ferdinandus II. Princeps Piissimus ad DEUM intereà Preces mittat ardentissimas, quo levante manus in cœlum velut altero Mose, non dubitavit ipse, tanquam magnanimus Josue victoriam se reportaturum, clangente præsertim buccinâ sacerdotali, quam ad animandos milites sanctissimis verbis inflabat Dominicus Aragonius à JESU MARIA è Teresiano Sanctissimæ Matris Carmelo Vir Clarissimus. Ante pugnam Hic & in media acie Christi Crucifixi effigiem pro signo extulerat, verbisque vaticinio plenis ingentem in milite ardorem excitabat. Tessera militaris, quam eo Die per exercitum esse jusserat Maximilianus, alia non erat, quàm Divæ Virginis patrocinium, ejúsque venerabile nomen SANCTA MARIA, cujus effigies prætorianum fuit Maximiliani vexillum. Præterea pugnæ dies erat omnium Sanctorum cultui per Ecclesiam Catholicam octavus, & quidem Dominicus, quo in sacro Evangelio legebatur: REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI, QUÆ SUNT DEI, DEO, ac propè anniversarius illius, quo anno superiore Fridericus Palatinus Ecclesiam Pragæ primariam omni sacrarum imaginum cultu spoliari jussit, eversis altaribus, sublatis Divorum Reliquiis, simulacris discerptis, omniq; sacrorum usu abrogato, quem excitandæ fidelium pietati nascentis Ecclesiæ Sanctimonia longo ad nos usu traduxerat. Venerunt igitur conjurati ad Maximiliani classica Divi, cœlúmq; ipsum ei militavit, immisso duabus ante prælium horis in Bohemorum castra tanto terrore, ut non homines modò, sed & jumenta insolitus horror perculerit; pallescebant milites ante pugnam, & equi præ horrore sudabant, quasi præsagirent calamitatem sibi jamjam impendentem. Viderunt, credo, ipsa jumenta Themidem à Maximiliani exercitu stantem. Elanguente igitur ad aspectum cœlestis Archistrategi omni Martia generositate, priùs causæ, dein & pugnæ victoriam hæretici Maximiliano concessêre. Cùm hac ratione debellatum esset, & in solio iterum locata pietas, Rex nempe Ferdinandus in Bohemiæ Regno confirmatus, tota Regione Sacramentum dicente, acto in fugam Friderico, rebus omnibus ritè compositis, Monachium revertitur Maximilianus ibiq; VII. Kal. Decemb. sub vesperum lætissimè exceptus, rectà ad Basilicam B. V. contendit, útque è tam ampla laudum segete nihil sibi gloriæ decerperet, omnes gratulantium voces, plausus omnes DEO, DEI Matri, Cœlitibus transcribit, posito in ara Principe Virginis in Cœlum Assumptæ simulacro pretioso cum hac Epigraphe;

D. O. M.
Magnæ DEI Matri
Augustæ, Æternæque Virgini
Opt. Max.
Bavariæ Patronæ
Singulari Principum Tutelæ
Auxiliatrici, Victrici
Maximilianus Bojorum Dux
E Victa Bohemia Redux, Memor
Gratúsque posuit
Anno post C. N. CIↃ IↃC XX.

Est

Eſt hoc unum inter innumera alia Marianæ pietatis monumenta, quæ de Maximiliano afferri poſſent, Principe verè BAVARO, quia Divæ Virgini addictiſſimo. Ita enim Sanguini Bavaro Pietas hæc eſt congenita, ut in naturam trahere videatur, quod aliis dat Gratia. Candidum, Cæruleúmque colorem in Rhombis ſuis ferunt Principes Boji, eáque ratione palàm oſtendunt, Inſignia hæc eſſe non tam ſua, quàm Intaminatæ Niveæque Matris, quæ ſub Cæruleo Cœleſtis ſuæ Protectionis Pallio Bavariam præcipuè tuetur. Maximilianus à tenera ſtatim ætate eximia Amoris in Hanc Matrem edidit documenta; Adoleſcens in Mariana Sodalitate Monacenſi, quæ à Virgine ab Angelo ſalutata dicitur, tam inſignia præbuit exempla, ut non illius ſolùm Præfecturam iterum iterúmque ad maximum fervoris Mariani incrementum geſſerit, ſed graviſſimorum virorum decreto Româ omnium per Germaniam ejusdem generis Cætuum ſupremam acceperit poteſtatem. Religionis Partheniæ teneritudo hæc novis poſtmodum & tantis cum ipſo crevit augmentis, ut omnis habeat poſteritas, quod admiretur. Stat in urbis Monacenſis foro deaurata ſtatua ſuper præaltam è marmore columnam poſita, & Maximiliani ut nomen, ita Pietatem orbi exhibet. Aulæ Sacella bina ſplendidiſſima in ejusdem Virginis honorem ab eo fuerunt exſtructa. Permulta alia in Boica ſunt Deiparæ templa, in quibus vel ædificandis, vel ornandis ſumptus fecit liberaliſſimos. Wilhelmi enim Parentis exemplum ſecutus, quà largitionibus, quà urgendo accuratam ſacrorum Cenſuum adminiſtrationem id effecit, ut templa pleráque non modò aurea munditie fulgeant, ſed etiam abundent proventibus ad continuandam ædificiorum & Inſtrumenti ſacri nitorem. Et quantum id denique eſt, quámque pulchrum tenerrimæ devotionis teſtimonium, quod ſuo exaravit Sanguine, & ad MARIÆ Oettinganæ pedes deponi voluit, modo priùs occultiſſimo ſcriptum, & inſtar theſauri petioſiſſimi in arca argentea nemine prorſus conſcio incluſum? Noluit DEUS ardentiſſimum hunc in Cœli Reginam affectum eſſe ignotum; Nam ab ejus morte Sereniſſima Maria Anna Electrix Vidua, pia curioſitate tacta allatam Oettingâ ciſtulam reſignavit, reperit, legitque non ſine lacrymis, quod Sereniſſimus Maritus ſcripſerat Divæ Virgini Chirographum Mariani mancipatûs; Id nos hìc mundo, & multa in eo Maximiliani decora legenda offerimus:

In Mancipium tuum

ME TIBI DEDICO, CONSECROQUE
VIRGO MARIA
Hoc teſte cruore atque Chirographo
MAXIMILIANUS
Peccatorum Coryphæus.

Et hæc ſanè Pietas Mariana, qua poſt Religioſiſſimum DEI cultum maximè ardebat Maximilianus tum inſignis illius Victoriæ Pragenſis, tum plurium aliarum Palmarum, tum felicitatis Summæ in Domum Boicam pleno tunc alveo exundantis fons & origo fuit. Omitto bella alia partim ipſius Maximiliani, partim Tillii manu, qui ſub Maximiliani auſpiciis pugnabat, feliciter confecta; nam plurium librorum faſti paſſim his adimplentur: ad cæteras quoque res, quas magnificea Fortuna Principis Noſtri arbitrio ſubjecit, progredimur, ſed breve tantùm daturi compendium. Erat Maximilianus Sapientiæ miraculum, nec à nobis duntaxat, ſed ſuo jam ævo Germanus SALOMON

paſſim appellabatur. Huic quoque SALOMONI cum *Sapientia* junctæ erant *Divitiæ*, *Honor* & *Gloria*. Sapientia Fortunæ, & Fortuna Sapientiæ pulcherrimo fœdere erat illigata. Cum Sapientia omnia pariter bona illi obvenerunt, nempe incrementum Familiæ, Reipublicæ felicitas, opes im̃enſæ, Domi, foriſq; Gloria. Sub Maximiliano Domus Bavarica ſuis meritis, jure majorum, juſto fatorum ordine poſtliminiò rediit ad Dignitatem Septem-Viratûs An. MDCXXIV. Judicavit Cæſar Ferdinandus indignum eſſe, ut qui totius Bohemiæ, Auſtriæ, Sueviæ, Franconiæ, Germaniæque, atq; adeò Imperii onus fortiſſimè ſuſtinuerit, nomen & dignitatem inde reſultantem non ferat. Ejusdem decebat eſſe Cæſarem creare, qui Cæſarem conſervâſſet. Pomum Imperii aureum meritò dandum illi, qui aureos montes in ſumptibus pro Imperio maximis profudiſſet; ergo Pomum aureum ferrei laboris jam fructus erat. Pileus Electoralis, ceu galea tali Bellatori propria, jure imponebatur. Honorem hunc datis paternæ plenis benevolentiæ literis Gratulatus eſt Maximiliano Gregorius XIV. Pontifex Maximus, Religionis & Apoſtolicæ Sedis idem reputans incrementum, quod Bavariæ: appellavit eum novum quidem Electorem, ſed VETEREM CATHOLICÆ RELIGIONIS PROPUGNATOREM. Additus eſt ſubinde ad Bavariæ Ducatum Palatinatus Superior; acceſſit Landgraviatus Leuchtenbergicus, Comitatus Cambenſis, Dynaſtia Mindelhemienſis, Toparchia Deggenbergica, aliáque plura minoris nominis. In Palatinatum continuò reducta eſt Fides orthodoxa, aut quod idem BAVARICA. Ita enim tum percrebruit, ut quoties aliquis abjuratâ hæreſi ad Catholicam tranſiret Eccleſiam, non jam, ut antehac ſolebant, Catholicum, ſed Bavaricum factum eſſe dicerent, inſigni profectò Bojorum commendatione, ut ſicut apud alios Romana & Orthodoxa fides, ita tunc Catholica & Bavarica pro eadem haberetur. Quin & Romanum Bavarúmq; nomen magna ex parte videtur in unum meritò confluxiſſe; cùm præſertim ocellus ille Bavariæ, Monachienſis civitas, ob tot SS. Apoſtolorum aliorúmque Divorum Reliquias, ob tam multas magnificáſque ædes ſacras, ob incredibilem ſenſum pietatis, & in divinis rebus ardorem, ob aſſidua virtutum omnium exempla à Principibus, Civibus, populóque univerſo promanantia non ſolùm Heroum nutrix, Patria Legum, virtutum domicilium, ſed etiam inveterata jam conſuetudine quædam Germanorum Roma publicis libris merita ſit compellari. Ibi enim eſt Roma, ubi Romana pietas. Hanc quoque laudem feliciſſima Bavaria Maximiliano debet, cujus ſingulari tutela ac Fortitudine in Fide Chriſti, veræque & antiquæ Eccleſiæ, periculoſiſſimis Suecorum temporibus perſeveravit.

Jam verò quæ & quanta fuerit in SALOMONE NOSTRO Fortunarum, divitiarúmque magnificentia, publica quæ extant opera ſatis loquuntur. Ut erat abſtinens ab impenſis inutilibus, ita nemo erat, cùm res poſceret, eo munificentior. Ab inita Boicæ gubernatione magnam pecuniæ vim collegerat ex ordinariis ditionum ſuarum proventibus, eum in uſum adhibendis, quem ex gliſcentibus jam tum Germanicorum bellorum motibus prævidebat neceſſarium fore. Ingruente dein fatali illo tempore plurimas aureorum nummorum myriades ex ſuo ærario in graviſſima bella expendit, lætatus hac ſe ratione Bono communi, & divinæ ſimul gloriæ poſſe conſulere. Poſt exhauſtos tamen ingentes theſauros ſuperfuerunt adhuc opes Regiæ; Fonti ſimilis erat Maximilianus, qui poſt omnes effuſiones ſui, adhuc ſeipſo plenus eſt. Extruxit Monachii Regiam magnificentiſſimam, novo architecturæ prodigio, & elegantiâ ſtupendâ. Palatium eſt, quod tum exteris, tum indigenis inge-

ingenerat admirationem talem, qua mundi miracula ſuſpicimus. Adhæc munivit Brunovium, Monachiúmque; novum hic exſtruxit armamentarium, idque devictorum à ſe hoſtium trophæis implevit; condidit hortum Aulicum opere topiario,& ſummâ rerum diverſiſſimarum amænitate regiis deliciis añumerandum,in quo ſingulariter excellunt duodecim Labores Herculis,umbræ & imagines illorum,quos Ipſe,ac Majores peregerunt. Schleishemium perfecit;à fundamentis erexit Noſodochium ad Divi Joſephi honorem,dotavitque cenſu perpetuo tredecim millium florenorum in annos ſingulos capiendo ex ſumma principali ducentorum ſexaginta millium. Mauſoleum quoque Regium Majoribus ſuis in æde D. V. Monacenſi ſumptuoſiſſimum poſuit. Burghuſii Divo Joſepho Deiparæ ſponſo templum magnificum à fundamentis conſtruxit; Divi Petri Ædem Monachii magnis pecuniæ ſubſidiis ad novam reparavit elegantiam. Porrò ingentes ſunt opes, quas in ſacros Religioſorum ordines plusquàm Regia liberalitate profudit. Patribus è Societate noſtra ei exit quinq; Collegia, Burghuſianum,Ambergenſe,Leodienſe Anglicanum, Mindelhemienſe,Haidelbergenſe. Collegio Colonienſi, Domui S J. Oettinganæ, Miſſioni Chinenſi,aliisque noſtri Ordinis Domiciliis plusquam decies centena florenorum millia contulit. Ipſius liberali auxilio PP. Cappucini in Bavaria quatuordecim Monaſteria,Patres Minores Ordinis D. Franciſci ſtrictioris Obſervationis novem conſtruxêre. Patribus è Monte Carmelo appellatis annuum cenſum de ſexaginta ſex florenorum millibus fundavit. Cœnobio Ordinis Minorum S. Franciſci de Paula in ſuburbio Monacenſi donavit proventum in años ſingulos ex quadraginta florenorum millibus. In alias ſacras largitiones,diverſas Sodalitates, Domos Hoſpitales, continua ad aram ſacrificia, numero obiter ad calculum revocato,priusquàm è vita decederet, collocavit plusquàm 174200. millia florenorum,quæ annuum maximæ ſumæ cenſum ferunt. Quis non in Boico Hoc Principe alterum,Ditiſſimúmque Regem Salomonem admiratur? pauca diximus; plura ſupereſſent. Sed abrumpenda ſunt hæc Proſperæ Fortunæ obſequia; Maximilianum adverſæ quoque dominantem contemplemur.

Vani aſſentatores ſunt, qui dum laudant Principem, meras fingunt felicitates, tanquam ille demum maximus ſit, cui Fortuna ſolas ſemper pluit roſas, nil ſpirat niſi favonios, & ſereniſſimos ſemper ſoles, dies innubes aperit. Haud equidem ſic continua ſæculorum omnium experientia nos docet; non ſic Heroum nomen à prudentibus accipitur. Ille demum numeris omnibus abſolutus eſt Heros, cui Adverſitates Fortitudinis Coronam impoſuerunt. Maximiliani igitur trophæis, atque triumphis neutiquam ſolas appendemus coronas intextas floribus, non ſolas Lauros & Palmas affigemus, ſed Cypreſſos quoque funebres, ſigna horrore triſtia, funera & cadavera ſubſternemus. Et ne à nobis tantùm oratoriâ auxeſi hæc talia putentur excogitata,quibus veram laudem à triſtiori Fortuna ducimus, contextum jam pridem Maximiliani elogium in Annalibus Bavariæ verbis propè iisdem percipiamus. Non fuit,inquiunt illi, Maximilianus ita extra teli jactum, quin aliquando rebus adverſis figeretur, nec Fortunam ſic habuit in proſperis conſtantem, ut non ſentiret ſævientem. Virtuti ejus injuriam faceret, qui neſcio quam Stoicam illi tribueret indolentiam,aut doloris vacuitatem. Luctus enim Dolórque nec à Regiis abſunt pectoribus. Scimus etiam Alexandro in ſumma felicitate lacrymas excidiſſe, & Abrahamo, qui omnium naturæ affectuum Imperator dici poterat, ſubinde pectus ſuſpiriis deductum, rebúsque triſtibus fuiſſe laceratum. Erat autem Maximiliani mens ita conſtituta, ut mala pateretur, & ſentiret, ſed à malis non vinceretur. Poſt longam rerum felicitatem expertus

Annal. Boici. p. 3. l. 35. n. 38.

tus eſt duras infortuniorum vices, ſed ſic eſt expertus, ut de conſtantia dejectus non fuerit, ut animum retinuerit quavis ſorte majorem, omnibúsque tum privatis, tum Reipublicæ incommodis ſuperiorem. Aſſumpſit idcirco Symbolum illud, quo ſuam in adverſis probaret Fortitudinem: Supra nubium tempeſtatem, ſupra fulminum hinc inde cadentium terribilem fragorem depingi ſolem juſſit, hac epigraphe ſubjunctâ: INFRA FERUNTUR. Solem æmulatus eſt in graviſſimis bellorum tumultibus, concuſſæque Germaniæ procellis, cùm intonarent undique pericula: cùm tota Bavaria luctuoſiſſimis incendiis deflagraret, hoſtilique devaſtatione exhauriretur, ſtetit ipſe ſub hac triſtium bellorum mole, ut Hercules ſub cœlo; atque non ſecùs, ac ſuprema orbis regio nihil turbatur imbribus, ventis, aliáve tempeſtate: ita ipſe rebus omnibus altior de animi tranquillitate nihil remiſit. Audivit ſubinde, viditque clades ſuorum exercituum, urbium exitia, populorum oppreſſiones, charorum calamitates, ſtrategorum errores, Ductorum quorundam defectiones, aliorum perfidiam; ſed qua erat Fortitudinis è cœlo datæ conſtantiâ, nunquam erat Deo magis adjunctus, nunquam collectior, mitior nunquam, aut pacatior, quàm cùm iſtiusmodi malis tentaretur; id teſtabantur familiares, admirabantur ſervitia, extollebant omnes, quos admittebat ad colloquium, & conſultationes. Solenne tum illi erat dicere: *DEUS aderit, juvabit DEUS, pro quo hæc patimur.* Quis ignorat Maximilianum Deo & pietati ex aſſe devotum, nihil potiùs totâ vitâ quæſiiſſe, quàm defenſionem Eccleſiæ, & Divinæ gloriæ, religionísque augmentum? Deo militabat, pro Deo, & cum Deo triumphabat: erant tamen hæc fatorum cœleſtium decreta, is ordo nexúsque cauſarum occultiſſimus, ut juſta etiam pateretur cauſa, cladémque & Provinciarum detrimenta caperent illi, quibus credebatur cœlum perpetuò patrocinaturum in adverſarios avitæ Religionis. Nimirum non ii ſemper in terris vincunt, quos Juſtitia in aciem comitatur: nec ideò cauſâ in cœlis cadunt, Deo judice, qui vincuntur ab hominibus; Deus & juſtis & injuſtis dat victorias, & in utrosque immiſſis cladibus animadvertit. Id inter eos eſt diſcrimen, quòd probi, non item improbi, ſive vincant, ſive vincantur, nôrint damna vertere in gloriam, adverſa in coronas. Tales ipsâ Fortunæ inconſtantiâ fiunt in virtute conſtantiores.

Licuit itaque, ſic indulgente Deo, Guſtavo Suecorum Regi palmas in Germania innumeras colligere, licuit in Bavariam tam Catholicam, tam PIAM, depopulatrices injicere flammas, ſacra & profana devaſtare. Tillius ſemper anteà invictus ad Lyci fluminis tranſitum lethaliter vulnerabatur: Maximilianus cum exercitu in tutiora ſe & munitiora Bavariæ loca cogebatur recipere; & ſuperante Suecorum numero prohibere non poterat, quin interior Bavaria cum præcipuis urbibus, Monachio, Landishuto, Landſpergâ ſub hoſtium cultro eſſet. Vires Cæſaris erant diſperſæ, & ſupremus Cæſareanorum Dux Fridlandus partim privato in Maximilianum odio, partim boni publici curandi perfidâ negligentiâ, Bojariam ſpe omni auxilióque deſtituebat. Fuit hic Fridlandus Electori Bavaro ideò potiſſimùm infeſtus, quòd ab eo peſſima ſua conſilia ſciret detecta eſſe Cæſari, quòd eo inſtigante ſumma ſibi exercitûs Præfectura jam àntè fuerit adempta, quòd ſua denique gloria bellica à Maximiliani ſplendore plurimùm fuerit obſcurata. Hinc plerumque in conſiliis militaribus Maximiliano pertinaciter repugnabat, & quacunque poterat viâ honoris ac gloriæ curſum ſufflaminabat, indignas has etiam minas, & bruta fulmina auditus eructare: ſe BAVARUM ſic redacturum in ordinem, ut nomen, dominatum, cenſúmque à tenui aliqua Dynaſtia vix poſ-

Anno MDCXXXII.

possit mutuari. Scivit hæc, sensítque, sed magno animo dissimulavit Maximilianus, ita duntaxat coram fidissimis amicis, felicem ab expeditione bellica reditum gratulantibus, aliquando conqueri auditus: EGO VERO (verba sunt ipsissima) A FRIDLANDO BENE MORTIFICATUS REDEO. Hujus igitur Fridlandi potissimùm culpâ, & invidæ Fortunæ consiliis factum est, ut à triumphis bellicis penè in exilium abire cogeretur Maximilianus, tempestate illa Suecica Brunovium usque, in suæ nimirum provinciæ fines rejectus, ubi patriæ calamitates è propinquo tantò dolentiùs inspiceret. Per triennium Mars Suecicus Bojariam ita vastavit, atque perdidit, ut nisi Maximilianum habuisset Principem Boni publici studiosissimum æquè, ac intelligentissimum, nullo modo restitui in antiquum statum, vix etiam per multos annos aliqua ex parte recreari posse videretur. In Cis-Oenanam Regionem totam infestus se hostis infuderat: quaterni pœnè exercitus simul vastabant omnia: Ædium sacrarum, publicorúmque operum facta est depopulatio ingens, innumerabiles pecuniæ ex aratorum civiúmque bonis coactæ, homines honestissimi servilem in modum cruciati, & necati: plebs rusticana horrendùm vexata domibus relictis per saltus vagari debuit, inediâ, aëris injuriis, omnique calamitatum genere magnam partem confecta. Nullus stylus adæquabit, quæ vel sola Landishuta, Landspergáque civitates sint perpessæ. In stupris verò & flagitiis, quæ nefariæ libidines sint perpetratæ, dolor est etiam meminisse, etsi Bavaræ Heroinæ tum fuerint non paucæ, ad omnem posteritatem insignes, quæ dignis Martyrum factis impudicam vim à se propulsârunt. Hæc dum fierent, spectaculum patientiæ, Fortitudinis, Constantiæ dedit Maximilianus omnibus sæculis admirandum. Audivit hæc, & spectavit non absque lacrymis, quæ irrorabant vultum, sed animi tamen magnitudinem non demergebant. Quot mala accepit Patria, tot Maximilianus vulnera, tot ferè cum Patiente Jobo doloris ulcera. Tam placidè tamen patientérque omnia de divina manu accepit, non fato, non fortunæ indignatus, ut potiùs ex cœlestis Providentiæ meditatione suum aliorúmq; mærorem solaretur. Ad privatas & publicas comprecationes tum confugiebat; à viris Religiosis, aliísque precum, & Divinorum sacrificiorum expetebat suffragia; ipse verò dies in consiliis, noctes in orationibus collocabat.

Annal. Boic. p. 3. l. 17. l. 31. & 33.

Præterea quàm tragicam vel in exercitu suo, vel in Bavaria Fortunam expertus est Maximilianus, quando lues, & Hungarica, úti tum vocabatur, contagio omnibus hostibus nocentior, primùm militare vulgus, dein Palatina quoque tentoria tam sævè corripuit, ut suprà quatuordecim millia Libitinæ consecrârit. Nulla acie tot amisit Princeps etiam victus, quot victor tum perdidit noxio hoc morbo. Sub annum verò 1634. atrox pestilitas in totam ferè Boicam grassata Monachii duntaxat ad quindecim hominum millia extinxit. His aliisque malis publicis patientiam Maximiliani Deus non levi manu exercuit: Maximilianus ferienti Deo, æquo constantíque animo se subjecit. In privatis calamitatibus par erat Virtus, & animi Serenitas; in invaletudine sæpiùs seipsum, dolorésque corporis sic superabat, ut si questus requireres, aut gemitus, nihil eum crederes doluisse. Sub rerum jactura ruináque stabat ipse inconcussus. Ardebant interdum tum à fulmine tactæ, tum à bello, arces, & amœna domicilia; vidit serenus. Fortuitum aliquando incendium jam proximam attingebat Regiam Monacensem, cùm ipse Schleishemii pernoctaret; venerunt illicò, qui periculum denuntiabant; Percunctanti subinde Serenissimæ Electrici, quid tandem futurum esset, si Regia tam præstans & sumptuosa redigeretur in cineres? ille, velut nihil motus, respondit:

 Aliam

Aliam ædificabimus. Finem non faciam, ſi ſingula id generis velim perſequi. Eluceſcit hinc perſpicuè, quàm in hoc mundi Theatro Maximilianus HEROIS IN UTRAQUE FORTUNA INVICTISSIMI perſonam egregiè ſuſtinuerit.

Aderat jam tempus, ut qui mundo ſatis inclaruerat, cœleſtia inter Side- collocaretur. Itaque ſub annum ſæculi decimi ſexti quinquageſimum primum Ingolſtadii mortalia deſerit, die Septembris ſeptima & viceſima Coſmæ & Damiano Bavariæ Patronis ſacra; quorum ſacra oſſa ab hæreticis Bremenſibus ipſe pecuniâ redemit, atque Monachii in Divi Michaëlis Baſilica pro ingenti Patriæ ſolatio, ac emolumento collocavit. Qui vivens nihil abjectum ac vulgare, ſed maxima ſummáque omnia habuerat, morientis quoque ſortem ita nactus eſt eximiam, ut qui è vita migranti adſtiterant, faterentur, non vidiſſe ſe unquam, qui animo tam bene ad æternitatem comparato, morte juſtorum morti tam ſimili támque ſancta deceſſiſſet. Rexit Bojariam vivo adhuc Patre Wilhelmo annis viginti quinque, univerſim ſex ſuprà quinquaginta. Poſt Eliſabetham Lotharingiam Anno 1635. ſine prole Defunctam è Maria Anna Auſtriaca Ferdin. II. Imp. Filia, Ferdin. III. Sorore, Filios ſuſcepit geminos, FERDINANDUM MARIAM & Maximilianum Philippum, noſtra primùm ætate tumulo in Baſilica D. Michaëlis illatum; hos reliquit Bavariæ, tanquam Sapientiæ ſuæ Ectypa, ſimul & Fortitudinis in Utraque Fortuna Idœas à Parente deſumptas, ut partim noſtrorum temporum memoria, partim ſequens docebit Narratio.

ANNO MDCLI.

XL.

XL.

FERDINANDUS MARIA,

MAXIMILIANI PRIMI FILIUS, COMES PALAT. RHENI, VTRIVSQVE BAV. ac SVP. PAL. DVX, S. R. I. ARCHI-DAPIFER ET ELECTOR. LANDGRAVIUS LEUCHTENBERGENSIS, &c.



Pacis amans Princeps, ſine bello totus in armis,
Bellonæ illuſit, ceu fera bella paret.

Ex Theatr. Virt. Boic.

FAtigatur calamus, & vix ultrà poteſt attollere HEROES BOICOS, quàm quò extulit: non fatigatur tamen Natura, quæ in Boica ſtirpe propaganda novis ſemper augeſcit viribus, perpetuóſque dat Poſteros, non Avis tantùm pares, ſed plerúmque majores. Rebus in aliis Natura ſeneſcens à primo vigore defluit, & paulatim marceſcit. Eſt in animalibus, eſt in floribus hæc viciſſitudo, degenerant ab origine, nec eandem vim aut formam in multa retinent tempora. Irides in aëre ſi multæ fiant, vegetiores radios prima excipit, ſecunda debiliùs nitet, ter-

tertia vix apparet. Longè aliter in *Genealogia Boicorum Principum* Natura, & per mera egit miracula. Poſt duodecim ampliùs ſæcula, una & continua ſerie ſummis Heroibus illuſtrata, poſt conceſſum orbi Maximilianum Primum Nomine, primum ſummúmque in Fortitudine & Gloria, Dedit FERDINANDUM MARIAM, Filium Patre non minorem, & Patrem FILII longè MAXIMI. Ferdinandus Maria nondum natus jam erat magnus; quantus igitur extiterit, poſtquam in lucem editus, cum luce crevit in Diem, virúmque perfectum? MAGNUS tum erat in ſpe de tanto Parente concepta, qui dare non poſſet niſi Sanguinem ſibi concolorem; MAGNUS in expectatione, quid tandem paritura eſſet Natura, quæ tamdiu cunctabatur; Nam altera demum Conjunx Maria Anna Auſtriaca Maximiliano trium jam & ſexaginta annorum ſeni Filium genuit Ferdinandum, tantâ exultantis Bojariæ lætitiâ, quantâ priùs ſolicitudine maximarum opum ac virtutum Principi hæredem optaverat. Apparuit tunc, ſi unquàm aliàs, Naturam ſi lentè feſtinat, grandia parturire; meditabatur diu, donec tot jam antè prodigiis gravida, poſt tot Heroës jam progenitos, expectatione dignum ederet, & Avitorum decorum ex aſſe hæredem. Tantum tamen opus moliri, quia Natura ſola non poterat, MARIA Bavariæ Patrona, Vera mundi Lucina, in partem laboris, & auxilii venit. Ab hac Maximilianus, tanquam Cultor MATRIS eximius, prolem petiit, ab hac impetravit. Hujus proinde nomen Ferdinando additum, quia per Illam Bavariæ erat datus. Ex Authore pretium muneris licèt cognoſcere; Dedit Maximiliano Filium Ea ipſa, quæ dedit DEO Virgo Deipara; nec potuit dare, niſi optimum, Matri præſertim MARIÆ ANNÆ, in qua non tam proprium, quàm Matris ſuæ Nomen reverebatur, & mores. Naſcenti cum Matre Divina obſtetricante viſæ ſunt adeſſe Charites omnes, & ſuaviſſimo Genio, indolíque optimæ formam ſociare longè gratiſſimam. Clariſſimis dotibus inſtructum à Natura, virtutes ſubinde alendum ſuſcepêre, vix unquam meliorem alumnum ſortitæ. Parvulus adhuc Ferdinandus magnis tamen jam paſſibus ibat in Patris veſtigia; præter annos nihil tenerum in ipſo; omnia magnum & Fortem demonſtrabant; puerilia ludicra reſpuebat, & nugas infantiles, ad ſola ardua virtutum exercitia adſpirabat. Ad hæc trahebat eum tum ipſa indoles tum inſtitutio Sapientiſſimi Parentis. Sanguinem puriſſimum Maximilianus ei dederat ut Pater, præcepta vivendi, ut Magiſter, exempla virtutum tanquam idæa. Extant typis impreſſa, plena ſolidæ pietatis, prudentiæque documenta, norma inſtruendorum Principum perfectiſſima, à Maximiliano Patre tradita Ferdinando, quam Hic & hauſit avidiſſimè, & operibus pulcherrimè expreſſit. Inter documenta illa ponitur Religio tanquam fundamentum & apex boni Principatûs; huc cætera ferè omnia collimant. A vera ſcilicet Religione pro Heroë Chriſtiano vera petitur magnitudo; non eſt Fortitudo, non eſt Fortuna, quam non largitur DEUS. Id apprimè intellexerat Ferdinandus; atque idcirco vitam omnem in ardentiſſimo Numinis cultu collocârat. Triumphos Pulcherrimos eſſe reputavit triumphos Religionis, quos ipſe per templa ſæpiſſimè circumducebat, rebus Divinis ubique præſens, & ſumma devotiſſimi Principis exempla palàm exhibens. Præcipua per annum Eccleſiæ Feſta omnia, ſacratiora reddidit ſanctiſſimis pietatis exercitiis, expiatâ ad uſque ſcrupulum conſcientiâ, & Divinis myſteriis inter lacrymas tenerrimæ devotionis indices ritè perceptis. Privatim verò & in intimis aulæ ſuæ receſſibus totus quoque erat in divinis, æquè Religioſus in Palatio, quàm alius in aſceterio; hìc precariis globulis ſtata DEO numerabat tempora; hìc traducebat dies, & noctes dimittebat inſomnes, vel

Hiſtor. Bav. p. 3. fol. 613.

vel involvendis libris asceticis, vel piis commentationibus instituendis; hic Patientis Servatoris cruenta imitatus exempla ad Sanguinis effusionem se flagris dilacerabat; cujus rei testes reperti sunt nodosi illi funes, quos Sanguine aspersos in abdito servabat scrinio. Quò magis Religio in subditis sibi terris cresceret, & amplificaretur, suis hortatibus & decretis perfecit, ut fidei elementa ubique traderentur rudibus, ætásque tenella unà cum lacte virtutem combiberet. Multa æris millia quot annis impendit in eos, qui desertis hæreticorum castris ad Catholica Signa redibant; cavit etiam, ne sua ex patria aliqui in exteras delati provincias urbésque fidei jacturam ibi facerent. Instituerant Majores, præcipuè Maximilianus Parens, liberali beneficentiâ Anglicas Sinicásque ad fidem prædicandam missiones fovere, certósque proventus in laudabilissimum illud opus collocare, quos Ferdinandus pari largitate difficillimis etiam suis temporibus est prosecutus, Bavarico insuper auro Indos adjuvans. Ad publicæ pietatis incrementum Basilicam Ædem Oettingæ Veteris moliri cœpit, quam tamen absolvere non potuit præpropero fato interveniente. Absolvit autem in Urbe Monacensi templum magnificum, Ingens, planéque conformatum ad Italicæ elegantiæ modum, ad quod Divorum jam Cœlitum Cajetani, & Adelaidis sacer cultus insigniter promovetur, magna insuper utilitate in totam civitatem redundante ex Religioso contubernio ibidem exstructo pro Clericis Regularibus, qui à Joanne Petro Caraffa Theatino Antistite, ac postmodùm Romano Pontifice Theatini nuncupantur. Primus erat Ferdinandus, qui hos Monachium, atque adeò in Germaniam induxit; Primus etiam maximúsque Author, ut à Sede Romana publici Sanctorum Honores Divo Cajetano decernerentur. Aliam quoque sacratarum Deo Virginum Familiam sub ductu & Regula Genevensium Præsulis S. Francisci Salesii Monachii, aliam à S. Martyre Ursula dictam Landishuti collocavit, ut nihil dicam, quàm paterna solicitáque manu cæteros sacros ordines, nostram præcipuè minimam Societatem Jesu sustentârit. Qua ratione magnus utique fuit, & verè Christianus Heros, atque inter Fortissimas Ecclesiæ Columnas jure ponendus; sed utriúsque Fortunæ domitorem jam propiùs demonstremus.

Vel ipsum Symbolum, quod sibi proprium sumpsit Ferdinandus, Fortunæ Victorem æquè prudentem, ac fortem denotat: Echinus terrestris, sive herinacius, si venaticis à canibus lacessi se, cingíque videt, contracto corpore, paratis exsertísque aculeis imminentem expectat hostem, ac ipse quidem pacatus sedet, læditque neminem, nisi qui spontè in acuminata hæc arma se induit: MEDIIS PACATUS IN ARMIS: Armis circumdatus, & tamen Pacificus. Ita Ferdinandus, cùm priore sæculo Bellona Batavica tristissimam Europæ sortem intentâsset, Germaniâ præsertim pluribus calamitatibus obnoxiâ, unus inter Germaniæ Principes, ita se ab his turbis, ita Provinciam suam ab omni malæ Fortunæ impetu est tutatus, ut arma quidem ostentaret, sed pacem teneret tamen: sub toga loricatum pectus gereret, quod opponeret aggressuris, inter media tamen bella sederet Pacificus. Duo erant scopuli tum temporis præternavigandi. In uno sedebat Aquila, & ad bellum invitabat; Lilia illinc, pulchra suadebant fœdera, aut spinas grandium periculorum objiciebant. Mediam tenuit viam Ferdinandus, neutro fractus in scopulo, injurius nulli, sibi suísque utilis. Hinc apud alios quidem invidiam, apud alios verò prudentissimi Invictiq; Herois gloriâ reportavit. Nostrum non est dicere, nec aliorum divinare, quæ causæ prudentissimum hoc consilium

ei ſuggeſſerint. Principes & Reges ſunt, atq; dicuntur SERENISSIMI, non ideò quòd clara & cunctis perſpicua eſſe debeant conſilia illa, quæ pertractant, ſed quòd Soli ſimiles, illuſtrent quidem omnia ſibi ſubjecta, utilitatem diſpenſent in omnes, lucem tamen ſuam in gravioris momenti rebus propiùs introſpici non patiantur. SERENISSIMUS erat Ferdinandus, dum inter belli nubila, inter timenda malæ ſortis præſagia ſolus ipſe *Serenitatem*, *Pacémque* tenuit. Viderat flammas, quæ è Batavia usque in Germaniam ſe latè diffundebant, ſed *Serenus*. Sub initium belli illius cum Ferdinando idipſum ſenſerant plures Imperii Principes, nihilque movendum contra Gallos exiſtimabant, ſed Bataviam relinquendam, ut ſe ſola tueretur; mutatis deinde aliorum animis & conſiliis medium ipſe, quem ſemel cæpit locum, retinuit, conſtantiam arbitratus propriam Heroum eſſe dotem, neque orthodoxæ Germaniæ res eò jam prolapſas, ut ad illas fulciendas neceſſe ſit maximo provinciarum ſuarum incommodo accurrere. Ne tamen irruentibus in ſe telis nudum & inerme præberet latus, non ſegniùs, ac ſi bella jam gereret, curam in pace habuit de parandis militibus & muniendis urbibus, de armis, commeatibus, fœderatis, de militari diſciplina: *Sine bello totus in armis: Bellonæ illuſit*, & Fortunæ. Ne bellandum eſſet, ad bella ſe præparavit. Brunovium ad militaris Architectonices regulas, quas ipſemet perbene callebat, majoribus munimentis circumdedit; Ingolſtadii & vetera reſtauravit, & nova propugnacula magnis impendiis adjecit. Collocavit in locis opportunis præſidia, quæ in patriæ tutelam vigilarent. Bellatores ſtrenuos in ſua quémque caſtra deſcripſit, ut legiones cùm vellet, haberet ad manum. Hoc modo Ferdinandus ſuæ virtutis prudentiæque privilegio, inter pericula, inter minas, inter arma undique fulgentia ſtabat, velut Echinus, armatam retinens pacem, arma oppoſiturus jis, qui arma vellent, pacem daturus, qui pacem; flocci intereà faciebat, quidquid livor malignitatis afflaret. Maluit otioſam in trophæis armorum rubiginem intueri, quàm orthodoxum Sanguinem; maluit videri minùs bellicoſus, quàm minùs Pius in Deum, Patriam, & Religionem. Habet inde non ſolùm Bavaria, ſed magna pars Germaniæ, quod & gratuletur ſibi & quod debeat Ferdinando, exiguas fortè obtentura gratias ab jis, quibus ſuum impendiſſet Sanguinem. Bello perierat Germania, niſi Ferdinandus ei, ſuis laboribus, ſuis conſiliis, ſuis legationibus pacem procuràſſet. Nam poſtquam commota armorum fluctibus Europa per ſeptennium nil niſi procellas eſt paſſa, Ferdinandus ſuâ operâ, ſua luce denique reduxit ſerenitatem, verè PACIFICUS, & PACIFICATOR, victoriam hac ratione conſecutus ſine prælio, & victoriam ipſam vincens cum Fortuna, quia hujus prævertit pericula, & illam, ut ſibi ſine Sanguine veniret, ſuâ prudentiâ adegit.

Cæterùm non præoccupavit tantùm Fortunæ mala ſapienti conſilio, ſed forti etiam tulit pectore. Magnam ejus in Adverſis virtutem, atque adeò FORTITUDINEM IN UTRAQUE FORTUNA magnópere extollunt funebres Panegyrici, qui hodiéq; de ipſo extant typis impreſſi, noſtrúmque confirmant operis iſtius inſtitutum, quo longa jam ſerie BOICAM FORTITUDINEM IN UTRAQUE FORTUNA, ceu laudis materiam celeberrimam aſſumpſimus; ita enim habent: „Summa Principis laus eſt, inconcuſſam animi firmitatem „pectúsque adamantinum utrique objicere Fortunæ: adverſanti, abblan„dienti, & eâdem oris æquabilitate ſe occurrentibus exhibere humanarum „rerum viciſſitudinibus, ut non Fortuna animo, ſed animus Fortunæ domi-

Monumentum extremi honoris, Ferdin. &c.

netur

„netur. Adverſæ tela Fortunæ Ferdinandus contudit,cùm obverſantia quæq; „eâ animi complexus eſt hilaritate,ac ſi oblata eiNuminis munera contigiſſent. Quantum id erat infortunium, cùm Monacenſis Regia, opum verèRegiarum ſedes, ac Palatium, quo ſplendidius & magnificentius Europa vix habet, triſtiſſimo caſu conflagraret & magnam jam partem flammmis abſumeretur! adfuit præſens Ferdinandus, & mira oris ſuavitate hilaritatéque frontis innumeras plorantium lacrymas abſterſit. Sæpè aliàs in Ferdinandum quoque ſiniſtra fortuna detonabat, excitabátq; procellas, ſed ſemper infrà verticemPrincipis SERENISSIMI. Excelſior longè fuit,quàm ut ad illum doloris tela pertingerent. Sæpè læſus, ſemper lætus. Non caruit ſanè in ſumma etiam potentia injurijs, quas vel invidi, vel perfidi inferebant; ſed injurias omnes manſuetudine, vel etiam beneficijs reverberavit, in lædentes aut contumaces nunquam concitatiùs auditus invehi; teſtati ſunt familiares, famulique, in neminem eum aſperiore uſum verbo, in neminem unquam torvum defixiſſe oculum. Etiam non iratus ſciebat caſtigare & placida vi conciliare obſequia, neq; tonitruis aut fulminibus habebat opus, qui majeſtate ſimul, & amabilitate vultûs fortiter & ſuaviter imperabat.

Verùm Majòrem quodammodò ſe Heroëm probavit Ferdinandus, Virtuti ſuæ proſperam, quàm adverſam ſubjiciendo fortunam; Neque enim de nihilo dictum eſt, jámque apud plurimos in proverbium abijt: Magni laboris eſſe ferre proſperitatem. Ita prudenter Flaccus Poëta: BENE FERRE MAGNAM DISCE FORTUNAM. Sæpenumerò contra omnem adverſæ fortunæ violentiam invictos ludo facili proſperior ſtravit; In magna fortuna non corrumpi, nec antiquo illi HERCULI contigit; contigit autem NOSTRO: Fuit enim Ferdinandus in aulæ pelago, ubi tot deliciarum ſyrtes, tótque periculorum charybdes metuendæ,nauclerus planè peritiſſimus,& contra Sirenes omnes Ulyſſes invictus, ita ut pudicitia & caſtimonia ſolitudinis aliàs & clauſtrorum hoſpites, in media Ferdinandeæ aulæ frequentia ſecuræ degerent. Omnem vitam ad omnia honeſtatis mandata dimetiebatur,honeſtatem ſolam diligebat,hanc amplectebatur;omnia non modò turpia & inhoneſta deteſtabatur, ſed ſordida & puſilla ferre non poterat. Animi laxamentis, & quæ gravioribus curis interdum oblectationes ſunt interponendæ, ea moderatione uſus eſt, ut facilè appareret omnibus, quantum ſatagat perituræ felicitati detrahere, ut tantò plus lucretur æternæ. Heroëm hîc quoque ſe probavit in Virtutis arena fortiſſimum, dum capitale vitijs quibuslibet bellum indixit, dum affectus omnes rationi perduelles ſubegit, dum adverſùs ſcelerum arma ſic ſtetit invictus, ut teſtes ſumma probitate inſignes, jurati etiam potuerint aſſeverare, Ferdinandum Mariam toto vitæ ſuæ decurſu ita à venialibus Dei offenſis ſibi caviſſe, ut nunquam fuerit lethali crimine maculatus. Magna hæc omnia, ac planè Heroica, ſed neſcio utrùm non paulò majorem animi oſtenderit fortitudinem, dum non ſolùm ab illicitis ſibi temperavit, ſed & licitos meritóſque honores, quos Generoſi animi plerúmque ambiunt, non admiſit. A morte Cæſaris Ferdinandi Tertij ad Imperij ſolium multorum ſtudijs deſtinabatur Ferdinandus Elector Bavarus; verùm hujus moderatio adverſùs tam ſplendidam, excelſámq; dignationem fortiter conſtantérque obluctabatur, ut nempe recentia Majorum ſuorum, ac præcipuèMaximilianiParentis exempla ſequeretur, qui pari modo multiſque ex cauſis neque hoc, neque alia ſceptra ſæpè ſibi oblata, hactenus admiſerunt. Dedignatus ergo felicitatem hanc, longè majorem ſua ſibi virtute paravit, quam ut tantò citiùs poſſideret, in huma-

Anno MDCLXXIX

næ ætatis flore, anno nimirum vitæ tertio ſuprà quadrageſimum, ſæculi decimi ſexti ſeptuageſimo nono 7. Cal. Junias ex arce ſua Schleishemiana ad cœlos eſt evocatus, Princeps omnibus quidem titulis magnus, ſed nullo major, quàm quòd filium nobis reliquerit MAXIMILIANUM EMANUELEM, à quo ſicut nova jam fortiſſimorum Heroum in Utraque fortuna ſeries incipit, ita, ut ſæpiùs iteratam & nonniſi æternitate definiendam Orbi terrarum ſuperi indulgeant, & Auguſtiſſimæ familiæ merita, & Piorum omnium vota, & ſalutis Communis & rei præſertim Catholicæ poſtulat neceſſitas!

GLO-

GLORIOSISSIMÆ STIRPIS WITTELSPACHIANÆ MAXIMIS IN VTRAQVE FORTVNA HEROIBVS, PROXIMIS MAXIMILIANI EMMANUELIS PROGENITORIBVS.

ODE.

ERrgo facta novis cumulare ingentia factis,
Et generoso BOICA pergis
STIRPS pressisse pede imensam virtutis arenam,
Et proprium tenuisse bravîum!
Scilicet ingenitum BOIIS dedit esse MONARCHIS
Continuis numerare triumphis
Augustos Patres, & Patrum Nomina, cœlum.
At constans hæc semita Magnis,
Est CONSTANS WILHELME Tibi Via Regia facta,
Per quam Te sua gloria ferret
Sublimi ad Superûm, Patrúmque exempla volátu.
Multa tuo se Laurea ferro
Nexuit, & juvenes jam ornârunt ardua dextras,
Quæ bello tibi parta trophæa.

WIL-HELM' Constans.

Supremæ tamen hæ palmæ laudésque fuerunt,
Quas peperit CONSTANTIA Victrix,
Quando cucullati Martis furiale Theatrum
Mundus erat, vastante Luthero
Omnia, Romana qui Relligione negatâ
Súsque sacra omnia, déque ferebat.
Teutoniam fœdæ tunc attrivêre ruinæ.
Has inter WILHELME ruinas
Boica sola stetit, Tu quòd Marpesius inter
Hæc steteris fera nubila: utramque
Ridens & frangens non fesso robore sortem.
Extorquebat nemo vetustæ
Et fidei, & sacrûm, & veræ pietatis amorem.
In media latrare furentes
Incepêre canes Patriâ, Lunámque putabant
Te BAVARUM fore SIDUS, & orbi
Mox aliam faciem mutata luce daturum.
Sed Princeps ingresse LEONEM es,
Et sedem Boiis propriam Virtutis avitæ;
Ad tenebras fera monstra relegas
Protinus, éque Tuo amandas errantia Cœlo
Sidera, & uris Vindice flamma.
Æternâ sunt digna Cedro verba aurea, ferro
Quæ Hæretico Wilhelme rependis:
Antiqua Te velle mori, Te vivere velle
Próque fide, inque fide: ruiturus
Etsi in turpes, Lutheri mala dogmata, casses,
Esset totus, quà patet orbis.
Talis erat fidei BOIUS, tam firma columna!
Et talis genuisse MONARCHAM
MAGNANIMUMQUE Parens ALBERTUM debuit orbi,
Ne solum Natum ille stuperet,
Dum stupuit solos cuprea sub imagine vultus
Hujus Bojorum Herculis, ipse

ALBERTUS Monarcha Cogn. Magnanimus.

Arma-

Armati terror mundi, Turca Induperator:
Albertum diademate dignum
Auguſto clamans: unúmque hunc prodere, fatis
Et furiis, & atrocibus armis
Sat firmúmque, parémque Heroa fronte vigorem.
Atque auguſta ſuum Diadema
Tempora cinxiſſet, Bavarúmque in Rete volâſſet
Germani Jovis armiger ales,
Ni virtute novâ foret ALBERTINA ſupremos
Aſpernata modeſtia faſces.
Sat fuit æternis animum non ferre minorem
Conſiliis, & nutibus atras
Pluſquam Cæſareè componere tempeſtates;
Auguſtis quando CATO NOSTER
Imperii Summus Præſes pro Cæſare dictus
Conciliis, & Nominis implet
Tanti menſuras, & tanta potentior Unus
Perficit, ut majora nec ipſus
Patrâſſet Cæſar; ſic Bojo robore fregit
Vafræ immanes Hæreſis auſus,
Sic caput Acephalæ præcidit fortiter Hydræ.
Tollit, at ecce novum Caput! ipſa
Boja ſuum Alciden propriis evertere dextris
Decernit: bellúmque ſub ipſo
Præparat Alberti mentito nomine, & arma
Saxonicis conquirit in agris.
Hæc Acherontæo cudebat tela ſub igne,
Tales Hæreſis horrida fraudes.
Ac jam Bojariæ circùm ſe volvere cælum
Incipiunt fera nubila; Noſtri
Se quando ALBERTI Prudentia, fulminis inſtar
Exeruit, ſonitúmque potenti
Ictu prævertit, ferrúmque paventibus auſu
Primo extorquet, & irrita frangit

Præeſt Comitiis nomine Cæſaris & grandia pro fide patrat.

Rebelles Bavari quidam ex ipſa Saxonia militem in Albertum ducunt, ſed occupantur & eluduntur.

 Spi-

Spicula, Magnanimus ſine vi, ſine ſanguine Victor,
Et repeto, ſine ſanguine Victor:
Quando etiam victos, captósque Albertus habere
Juſſit priſtina, vivere juſſit.
Scilicet haud Bavarus devicto ſanguine ſanguis
Se vindex ſatiare laborat.

WILHELM' Cogn. Religioſus.

Nunc unâ HEROEM terrámque & ſidera mente
Complexum cantare paramus,
Immensósque, Viri dicam? ſeu Numinis? auſus.
His melior Germania totam
Se debet: debétque ſuos quoque Numen honores.
Vos Superi! nam ſidera nôſtis,
Et ſtellas numerare; profuſi prodiga pondo
Auri, immenſam dicite Opum vim,
Quam populíque bono, cœlíque impendit honori.
Jamque ſacro ſe milite cingit
Et JEſu Socios vel ab ipſa Tibridis ora,
Magno à Progenitore vocatos
Urbe, ſinúque ſuo Princeps, ac ſede ſuperba
(Nimirum SE PRINCIPE digna)
Excipit, & ſacris æternùm, intendere mandat
Excubiis, Bavaríſque tributum
Ferre animas poſcit Ducibus, fideíque tueri
Romanæ pia Jura: ſcelúſque
Et labem Hæreſeos patriis propellere terris.
Atque hanc tu WILHELME legebas
Militiam: deerat modò, talia bella STRATEGUS
Qui regeret, quíque arma vibrare
Poſſet MAGNE LEO Tua, commeritæque perennes
Boiariæ peperiſſe triumphos.
Sedem igitur tanto mens fert poſuiſſe STRATEGO
Ter Magno Sedem MICHAELI.
Jamque ſubit cœli tangens Domus Æmula nubes,
Invidiam ſplendore coruſcis

Side-

Sideribus factura, & mole sua Amphitheatris.
Cùm (Superi hunc avertite casum !)
Cùm fors immani collabens machina casu
Extendit spatiosa ruinam.
Haud sic insidiæ, Bavaris quas Hæresis agris,
Et Bavaris, quas est minitata
Fratribus: haud Assassini violentia ferri
* In Fernandum stricta: paratæ
Haud sic Ernesti jugulo capitíque machæræ
Maxime Te WILHELME, tuúmque
Afflixêre animum! verùm quid garrula scribit
Penna? haud afflixisse quietos
Wilhelmi sensus mille adversantia possunt,
Non inter quoque rudera stertit
Mens generosa Ducis: perstat, dum labitur ingens
Annosusque labor: nova surgunt,
Et majora etiam Superis Palatia: cœli
In terris forma altera surgit.
Idque novum WILHELMO Cœlum ATLANTE quiescet,
Dum DIVOS STIRPS BOICA gignet.
Sic stupeat Bavaros post sæcula Cana labores
Posteritas, stupeátque vel ipsis
Regibus Hebræis paria aut majora patrâsse
WILHELMI Bavaram Pietatem.
Sic major Salomone mihi es WILHELME, stupendas
Dum moliris Numinis ædes:
Sic minor est Salomon WILHELMO, hoc quando Parente
Orbis complexus SALOMONEM est.
Te cano Teutonidum Salomon, te maxime factis
Et Te MAXIME Nomine Princeps.
Maximus è Proavis, & si Superi absque Nepote
Jussissent te claudere Divûm
Hoc genus, Heroës inter quos serior orbis
Parturiebat, Maximus Heros.

* Frater Wilhelmi ab octo sicariis petitus.

MAXIMILIANUS I. Cogn. Salomon.

Concidat, atque amplis mergatur tota ruinis
Fædè diruta machina mundi !
Compones molem, faciésque, ut plena resurgat,
Sartis MAXMILIANE ruinis.
Tollant adverso sese undique, & undique fato
Fulmina! sanguineus ruat imber;
Se quoque se Bojûm non ulli imitabile tollet
Robur : se tua dextera tollet
MAGNE LEO, pulchris inter furialia Lauris
Fulgura congestura coronas.
Prima Leonino cecidit Donawerda sub ense;
Tum quid possit MAXMILIANUS
Sensit Anassinus: sed! ne me copia perdat,
Victas tu mihi suggere gentes,
Qui solus tantas, & tot vicisse valebas.
Et Danos dic, dic & Anassum,
Dic Mansfeldiacas turbas: dic Marte repressos
Ausus Durlacensis: & uno
Sub fasces ictu compulsos ire priores
Detestando fœdere junctos
Silesios, Moravos, Lusatos, atque Bohemos,
Dic Friderici hyemalia sceptra.
Sed jam inter medios quoque Boica signa triumphos
Sistuntur, fessúsque trophæis
Palmarúmque aggesta miles mole oneratus
Assuetum decurrere tardat
Martis iter, cedítque recenti, & robora needum
Gustavo collisa ferenti.
Ergo cadat miles Boius! stas Boje Stratege,
Stas Heros, vertente penates
Augustos, Patrias & debacchante per urbes
Gustavo stas MAXMILIANE.
Sors equidem & Superis quoque inevitabile fatum
Te Charâ cessisse coëgit

Bojariâ: at BAVARA te discessisse vel unguem
Virtute, haud quis dixerit unquam.
MAXMILIANÆE cessisti, ut pulchrior orbi
Posses illuxisse paterno.
Quem modò Te FERNANDE canam? Num Musa sagatum
Bellica te tonet, ánne togatum
Te Patriæ Patrem tranquillo carmine dicat?
Hæret, & in varias trahitur mens
Partes: Sic oleam manibus strinxisse videris
Ambabus, coluisse beatam
Ut Pacem æterno te judicet orbis amore,
Et mellito nomine seri
PACIFICUM dicant te, Princeps Magne, Nepotes,
Et talem laudaverit orbis,
Et sic te ambobus ferrum torsisse lacertis,
Intortos ut senserit ictus
Hinc contusa tuis, rubicundáque Luna sub armis,
Et quando pro Cæsare Bojus
Auspice te Miles Savi propè Littora vicit;
Et quando LEO BOIE Leonem
Tutatus Venetum servâsti Cretidos oras,
Totus spirans Emmanuelem:
Illinc dum Genuam, socians Insubribus arma
Victrici legione premebas.
Et post has Lauros æterno germine oliva
In Bavaris effloruit agris:
Non illam Boreæ, non illam frangere totis
Austri turbinibus potuêre.
Ut sua dilectæ staret pax integra Boiæ,
Sumptis Princeps obstitit armis,
Horrificásque inter pugnas sibi deside Pacem,
Atque quieto milite firmat.
Invidêre tuæ pretiosa hæc otia Bojæ
Qui diris involvere mundum

FERDINANDUS MARIA S R I. Elector.

 Ar-

Ardebant bellis, atque invidisse quieti.
Sed latrantia monstra, canésque
Invidiæ, Princeps, animo aspernatus es alto
Et tranquillum urgere serenæ
Pacis iter, medias inter quoque tempestates
Perrexisti. Non tamen inde
Parciùs Imperii te magnus, & æquus amavit
Jupiter: Et qui pluribus unus
Sufficeret (per te liceat Rex Maxime Regum
Vati vera loqui) orbibus, illud
Heroüm exemplum absque exemplo, Francicus Atlas
MAGNUS BORBONIDES LUDOVICUS.
Sed quid ego laudes alienas misceo nostris?
Quídque Viros penna impare tantos
Aggredior? juvat indoctos abrumpere cantus,
Nam vitio dabitur mihi magno
Inferiore nimis MAGNUM cecinisse Camœnâ
MAGNI Patrem MAXMILIANI.

SERENISSIMÆ
DOMUS BAVARICÆ
ORIGO, STIRPS, et PROPAGO
hac et Sequenti tabula à XII. et amplius Sæculis Nova ac Suma accuratione proposita.

THEODO PRIMUS.

Dux Bavariæ ADALOGERII Bojorum Regis Filius Hunniboldi ex Herculis Alemanni Sanguine Procreati Nepos. Uxor ei fuit Reginobirga, Childerici I. Regis Celtarum Filia à qua Augusta Tiberij, mutato nomine Reginoburgium est appellata. obijt ille AC. 511.

VTILO I. Bojor: Princeps à Theodorico I. Austrasiæ, cujus Filiam Clotildem in matrimonio habuit, in præmium navatæ contra Danos operæ primus Marchio Antverpiæ creatus. obijt A. 530.

Theodo II. magnus Dux Bojorum, Romanos ex Bojaria penitus profligavit, Augustam Vindelicorum solo æquavit. obijt A.C. 535.

HUGOPERTUS sive Sigebertus Marchio Antuerpianus vitam posuit Anno Domini DLXIII in Matrimonio habuit N: Tarraconensem.

Theodo III. Dux Bav. à S. Ruperto salutifero fonte ablutus. obijt an Christi 565.

Uto Bojorum Tetrarcha Œttingam exstruxit ubi à S Rup. Baptizatus ob an. 555.

Theodowalda Athesinorum Princeps post fata Fratrum totam Bojariam Rexit, etiam à S. Ruperto Baptizatus. ob. 567.

ANSBERTUS alijs Asopertus Tetrarcha seu Satrapa Antuerpiensis obijt A.C. 579. Ux. Plutylda Clotarij Regis Filia.

Theodopertus cum Patruele Thessalonio Bojariam partitus. obijt A.C. 577.

Thassilo sive Thessalonus Princeps Bojorum, decessit an: Christi 598.

ARNOLDUS. S. R. I. Marchio Antuerpiæ Dux Brabantiæ et Hasbaniæ, Uxor ejus Oda, Gunzonis Sueviæ Ducis filia. obijt Anno Salvatoris 601.

Garibaldus I. Bojariam totam in occupat, Regem se scripsit. tandem superatus, Thassilonio cessit. obijt 592.

Garibaldus II. Princeps Bojorum. Uxor ejus Gaeta eximiæ pudicitiæ Sigulphi Principis Venetorum filia.

ARNULPHUS Major Domûs Franciæ, abdicato Principatu, factus Episcopus Metensis inter Sanctos relatus. Uxor Doda Saxona. obijt Anno 640.

Gundoaldus sive Guntholdus Princeps Bojorum, Patre à Francis Regno ejecto, à Sororio Astensi Ducatu est donatus.

Theodo IV. Dux Bavariæ mortalitatem exuit Anno nativitatis Christi. 630.

ANGISUS sive Ansegisus Major Domûs Franciæ, Dux Brabantiæ. Uxor Begga Brabantiæ Ducis Filia. ille vitam exuit occisus An. 679.

Aribertus post interitum Ratholdi Longobardoru' Rex inauguratus ob. an. 661.

Thassilo II. Bojorum Regulus. Henetos bello devictos ad Religionem Christianam adegit. mortuus A.C. 650.

Theodobertus II. Tetrarcha Vindeliciæ et Norici.

PIPINUS Dux Brabantiæ Major Domus Franciæ. obijt A.C. 714. Uxor Plectrudis Filia Grimoldi I. Boji.

Pertharicus Rex Longobardorum, obijt A.C. 690.

Theodo V. Bojorum Princeps Landoperti Pater.

Grimoldus I. Bojor: Princeps. obijt 695.

Theodopertus III. Bojor: Princeps.

CAROLUS MARTELLUS Princeps Francorum Aulæ et Prætorij Præfectus. obijt an. 741. Consors Suanhylda Theodonis VII. Ducis Bav. filia.

Gumbertus Rex Longobardorum obijt A.C. 703 Uxor Hermelinda.

Theodo VI. Bojorum Princeps quà Pietate quà Prudentia eximius obijt A.C. 708. Uxor ejus Glisonotha.

Plectrudis nupsit Pipino Duci Brabantiæ.

PIPINUS Pusillus Rex Franciæ Dux Brabantiæ. obijt A. 768. Uxor Bertha Constantini Orien: Imp: Filia.

Luitbertus octo mensibus Longobard: Regno potitus in Balneo ab Agnatis suffocatus.

Hugopertus Bojor: Princeps à Carolo Martello toti Bavariæ Præfectus.

Grimoldus II. Superioris Bavar: Princeps. Uxor Willetruda.

Theodo VII. Tetrarcha Athesinæ Vallis. obijt A.C. 718.

Carolomannus Rex Francorum, Ux. Bertha Boja ille obijt A.C. 771.

S. CAROLUS MAGNUS primus Imperator Germanicus, Rex Franciæ, Italiæ, Austrasiæ et Bavariæ. obijt A.C. 814. Uxor I. Hermingarda. II. S. Hildegarda. III. Fastrada.

Filiæ V.

Utilo Rex Bojorum obijt Anno Christi 745. Uxor Hiltrudis Caroli Martelli Filia, quam abduxit.

Carolus Rex Germ. obijt in Bavaria Anno Christi 811.

PIPINUS Rex Italiæ obijt ante Patrem an. 814. Uxor Adelais.

Ludovicus Pius Rom. Imp. Rex Franciæ. obijt A. 840. Uxor I. Hermingarda. 2.da Iudita Guelphica.

Filiæ V.

Thassilo III. Bojorum Rex, Postremus suæ stirpis Laureaci in Monasterio tonsus ob: A.C. 787. Uxor Litopyrga Longobardi Desiderij Regis Filia. Filius Theodo ad Cœnobium etiam intrusus.

BERNARDUS Modöetiæ Caroli Avi voluntate in Regem Italiæ Coronatus excæcatus in Monasterio vivere desijt. An. 818.

Lotharius Rom: Imp. Rex Italiæ. ob. monachus in Prumiensi Cœnobio. A. 855. Uxor Irmengarda

Pipinus Dux Aquitaniæ obijt A.C. 849.

Ludovicus Germanicus Rex Bojorum obijt An. 876. Uxor Hemma Hispana.

Carolus Calvus Imp. Rex Franciæ. Uxor I. Hermentrudis 2.da Richildis ille obijt Anno 877.

Filiæ IV.

PIPINUS ex Regum Sobole cu' tribus Filijs in Comitu' Ordine' redactus est, et Primus se Comitem in Lengenfeld scripsit.

Ludovicus II. Rom. Imp. Rex Italiæ ob. A. 875. Ux. Engelburga.

Lotharius Rex Lotharingiæ Peste sublatus Placentiæ A.C. 869.

Carolus Rex Provinciæ et Burgundiæ. obijt An. 858.

Carolomannus Rex Bav: Caroli Crassi Imp. frater ob. Œttingæ A.C. 880. Conthoralis Litovinda.

Ludovicus Dux Franciæ et Bavar. Rex Œttingæ sepultus A. 899.

Ludovicus Balbus Rom. Imp. Rex Frãciæ ob. A.C. 879. Uxor Adelais.

Carolus Dux Aquitaniæ ab Albino Athleta noctu interfectus. 871.

Pipinus et **Heribertus** Fratres.

BERNARDUS Comes Lengenfeldensis.

Lotharius Com. Provinciæ ejus Uxor Bertha.

Hugo Dux Lotharingiæ excæcatus obijt A.C. 885.

Arnulphus Rom. Imp. Rex Bav. obijt A.C. 899. Uxor Iutha Ethiconis Guelphi Filia.

Ludovicus infans ex fenestra delapsus expiravit An. 879.

Carolus simplex Rex Franciæ Peronæ in Custodia mortuus. Anno 926.

Carolomannus Rex Franciæ fracta Cervice expiravit. Anno 884.

ARNOLPHUS Comes in Lengenfeld, Belli Dux ab Arnulpho Imp. Creatus occubuit Anno 891.

Boso Marchio Thusciæ exoculatus Uxor Willa Burgunda.

Hugo Rex Italiæ Comes Provinciæ ob. A.C. 947. Uxor Alda Marocia.

Ludovicus IV. Septennis Rom. Imp. declaratus, ex hac Linea Carolina ultimus Imperator. obijt An. 912.

Ludovicus IV. transmarinus Rex Franciæ et Dux Lotharingiæ. ob. A.C. 955.

Ludovicus inutilis Rex Franciæ ob pravos mores in Monasterium inclusus.

LUITBALDUS sive Leopoldus ex Com. Lengenfeld, Dux Noricorum Limitibus Austriæ Bojariæ Præfectus, occubuit A. 907. Uxor Adelais Henrici I. Imp. Soror.

Lotharius Rex Italiæ A. 932. consecratus obijt sine Liberis, Uxor Diva Adelais Regis Burgundiæ Filia, 2.do nupsit Othoni I. Imp.

Lotharius IV. Rex Franciæ obijt A.C. 986. Uxor Emma Rudolphi Regis Burgundiæ Filia.

Carolus Dux Lotharingiæ investitus ab Othone II Imp. ob. A. 993. Ux. Bona Longobarda.

Bertholdus Bojariæ Dux post obitum Fratris ab Othone I Imperatore creatus obijt An. 948. Uxor Willitrudis Lotharing. Ducis Filia.

ARNULPHUS Malus Rex Bojorum Pace cum Henrico I. Imperatore inita Regiu' nomen abdicavit, Ducali contentus. Ux. Gerburga ille ob. 937.

Ludovicus V. Francoru' Rex ex Caroli Magni stirpe postremus Veneno sublatus. A.C. 987.

Otho Dux Lotharingiæ ob. sine liberis A.C. 1004 Ux. Blanca Arelati C. F.

Eberhardus Princeps Bav. una cum Fratribus Paternâ dignitate ab Othone I. Imp. Spoliatus, hac stirpe Progeniti Marchiones Austriæ.

Hermannus et **Otho** ejus Frater, Hæreditate Paternâ privati fuerē Comites Provinciales Bavariæ.

ARNOLPHUS Præfectus Prætorio Bav. Conditor Arcis Schirensis, unde hujus nominis Palatini Bojorum, Uxor Richsa Othonis I. Imp. Soror. occubuit A.C. 954.

Iuditha Uxor Henrici Ducis Saxoniæ et Bavariæ. Fœmina raræ pulchritudinis, atque Pudicitiæ Ratisbonæ exstruxit Nider-Münster.

Leopoldus II. primus se Marchionem Austriæ scripsit An. 960. hàc Lineà omnes veteres Marchiones et Duces Austriæ descenderunt obijt A. 988.

BERTOLDUS Bojarici Palatij Præfectus, Comes Schirensis, occubuit contra Saracenos pugnãs in Calabria A.C. 982.

Henricus Dux Sax. Bavariæ et Brabantiæ. obijt A.C. 994. Uxor Gisala Conradi Ducis Burgundiæ Filia.

Henricus Comes Schirensis Dux Carinthiæ obijt A.C. 989. juxta Patrem in Cœnobio Altaichij Inferioris Sepultus.

WERNERUS sive Babo I. Comes Schirensis Palatinus Bavariæ. Uxor Beatrix nata ex Sophia Filia Colomani Regis Hung. Ob. circa A. 1010

Sanctus Henricus Rom. Imper: Dux Bavariæ. obijt An. 1024. ejus Uxor Sancta Cunigundis Gemma Castitatis.

Babo II. Schirensis, Abusinæ et Roræ Comes, ex duabus conjugibus XXXII. Filiorum, et octo Filiarum Parens, quibus plures illustres familiæ exortæ sunt.

OTHO I. Comes Schirensis Præfectus Prætorio Sac. Rom. Imp. expeditioni illi qua' Henricus III. Imperator adversum Hungaros suscipiebat, se Socium adjunxit, sepultus Frisingæ A.C. 1040. Uxor Tuta Comitissa Nassaviensis.

Wolframus Comes Abusinus sive Abenspergensis. Uxor N.

Leobricus Nariscus ob vitæ Continentiam Divoru' Albo adscriptus

OTHO II. Comes Schirensis Palatinus Bojorum, Conditor Cœnobij Vispachav: in faucibus Penninarum Alpium ob: A.C. 1079. Uxor Haziga Regis Arragoniæ Filia.

Arnulphus Schiroru' Dynasta Progenitor Comitu' Dachuniensium et Phalaiæ. Uxor Beatrix.

Bernardus Palatinus Schirensis Othoni VI Com: Wolfratshusio successit, cujus Filia' Perissa' hujus comitatus hærede' Uxore' habuit.

Eccardus Schirorum Dinasta. ejus Trophea visuntur in Cœnobio Maurkirchensi.

OTHO III. Comes Schirensis Palatinus Bavar. Conditor Arcis et nominis Wittelsbachij. contra Saracenos cum fratre Ecardo in Palestina mortem oppetijt A.C. 1103. Uxor Richarda Ducissa Saxoniæ.

Ludovicus Wittelsbachius Schirorum Dynasta obijt Sine Liberis.

Ulricus Wittelsbachius Comes Palatinus Schirensis.

OTHO IV. Wittelsbachij et Schirensis Comes Senior Præfectus Prætorio Bav. Fundator Cœnobij Understorff. Uxor Helica Friderici Com: Lengenfeldij Filia. obijt A.C. 1146.

Sophia matrimonio Sociata Theodorico VI. Comiti Hollandiæ.

Otho Iunior Com. Wittelsbachius Uxor Benedicta Comitis Verinensis Filia.

Fridericus Bardus Com. Wittelsbachius obijt cælebs A.C. 1158.

Conradus S. R. E. Card. Archiepiscopus Moguntiæ et Salisb.

OTHO V. Senior Cognomento Magnus de quo sequenti Tabula.

Iustitia conjux Othonis Wolfratshusij. ob vitæ sanctitãtem inter Divas relata.

Adelais nupta Ottoni Landgravio in Stephaning.


Otho postremus Com. Wittelsbacensis occisus ab Henrico Pappenhamio A.C. 1209.

Gabriel Bodenehr Sculpsit Aug. Vindel.



OTHO V.

Cognomento Magnus Comes Wittelsbachi, etc: à Friderico Ahenobarbo Cæsare, virtutis ergò Ducatu Bav: A.C. 1180. donatus est. Landishutæ in Ripa Isaræ fundamenta jecit. obiit Anno 1183. cù Bavariam Rexisset triennio, ejus Conjux Agnes Theodorici Comitis Wasserburgo-Hallensis Filia, quà Progeniti sunt Sequentes.



Sophia Ux. Hermañi Comitis Provincialis Hassiæ

LUDOVICUS I. Dux Bav. idémq; primus ex Bojis Com. Palat. Rheni et Elector. Landishuta munitissima Arce perfecit. Landavia, Straubinga ad Ripam Danubii extruxit. à Stichio Morione Kelhaimii A.C. 1231. interfectus. Uxor Ludmilla Filia Primislai Reg. Boh.

Mechtildis Ux. Rapatonis II. Carnoburgensi Limiti Præfecti.

Anna desponsata Rudolpho Duci Saxoniæ Angriæ et Wesphaliæ.

OTHO VI. Palatinus Rheni Utriusq; Bavariæ Dux Elector. obiit Anno 1253. Schuræ inhumatus. Uxor Agnes filia Henrici Electoris Palatini Neptis Henrici Leonis.

Ludovicus à Friderico II. Imperatore interfectus.

Isabella nupta Friderico II. Rom. Imperatori Augusto.

Elisabetha, Conradi IV. Imp. Siciliæ et Hierosolimæ Regis, et demum Menardi Comitis Goritiæ, et Tyrolis Uxor. obiit A.C. 1270.

LUDOVICUS Severus Com: Palat. Rheni Superioris Bavariæ Dux, Elector, Monasterii Fürstenfeld Fundator. obiit Anno Christi 1294. Uxor I. Maria Duc: Brabantiæ. II. Anna Conradi Ducis Silesiæ, III. Mechtildis Rudolphi I. Imp. Filia.

Sophia nupta Gebhardo Com. Hirspergensi à Fratribus Splendidè dotata.

Henricus Dux inferioris Bojariæ obiit Anno 1290. Uxor Elisabeta Regis Ung. fil. et Hæres.

Ludovicus Dux Bav. Norimbergæ in Ludo Equestri transfossus 1287. Ux. Anna filia Friderici Ducis Lothar.

Rudolphus Elector Pal Progenitor Electoru et Com. Palatinoru ad Rhenu obiit A. 1319. Ux. Mechtildis Adolphi Nassavii Cæsaris Filia.

Anna Matrimonio data Henrico Principi Cattorum.

Mechtildis elocata Othoni Duci Luneburgico.

LUDOVICUS Bavarus Rom. Imp Com. Hollandiæ et Selandiæ, Cœnobii Etalensis Fundator. obiit A.C. 1345. Uxor I. Beatrix Ducissa Glogaviæ. II. Margareta Guilielmi Hollandiæ Comitis Filia.

Otho Dux Infer Bav Ung. Rex AC. 1305. coronat; Ux I Cath. Rud Imp. 2da Agnes Duc. Glog. filia.

Stephanus Dux Bojariæ Inferioris, ob. An. 1311. Ux Iuditha Bulconis Poloniæ Ducis filia.

Ludovicus Dux Inferioris Bavariæ obiit cælebs Anno 1296.

Ludovicus March. Brandenburgi et Elector ob 1361. Ux Margareta Regis Daniæ II marg: maultashia fi. lia Com. Tir

Mechtildis Ux. Friderici gravis misniæ marchionis. Agnes obiit monachii ad S. Iacobum in fama Sanctitatis 1352.

Guillielmus I. Rector Hol landiæ obiit Anno 1377. Uxor ejus Mechtilda filia Henrici Ducis Lancastriæ.

Albertus Dux Bav Com. Hol, landiæ † Año 1404. Uxor I Margareta Ducissa Silesiæ. II. Margareta Ducis. Cliviæ.

Ludovicus Romanus ob: AC. 1369. Ux I Ingelburga Megapolitana II. Anna Friderici Pul: chri Austriaci Filia

Beatrix Consors Caroli Martelli Reg Ung Anna obiit infans III. año, rum in Cœnobio Castelli sepulta.

STEPHANUS Com. Pal: Rheni, Super. Bav Dux S R I Elector ob AC. 1377. Ux Elisabetha Ludovici Reg. Ung. filia II. Margaretha Burggravii Norimb Filia.

Otho Bav. Dux. march et Elect Brandeburgi. Ux I margar Austriaca. II. Anna Caroli IV. Cæsaris filia.

Anna Ux. Guntheri Com. Schwartzenburgi Imp: Elect. Elisabeta Ux Ioannis Agnati.

Henricus Dux Bav. Natternbergensis obiit AC 1333 sepultus Landishutæ in æde Selingenthal.

Beatrix nupta Henrico Comiti Goritiæ. Elisabeta Uxor Othonis Austriaci.

Otho Dux Bav. Infer. obiit 1335. Richarda Gerardi Com: Iuliacensis filia.

Henricus Dux Bojariæ Infer obiit An. 1339. ejus Consors Margareta Ioannis Regis Bohemiæ Filia

---

Menardus Dux Bav. Com. Tyrolis et Goritiæ decessit Adolescens 14. Annorum AC. 1363.

Guillielmus II Dux Bav. Com. Hollandiæ obiit AC 1417. ejus Ux. Margareta Filia Philippi Duc Burgundiæ,

Albertus II. Com Hollandiæ Dux Straubingan, ob cælebs A 1339. Margareta nupta Ioanni Du. Burgund.

Ioannes Dux Bav. Episcop; Leodiensis postea marit; Añæ Lucemburgicæ. ille obiit Hagæ Ann. 1424.

Ioanna Uxor Wenceslai Regi Imp. Reg Boh. Ioanna altera Uxor Alberti IV. ArchiD: Austriæ.

IOANNES Com Pal Rheni Sup Bav. Dux obiit An. 1397 Uxor Catharina, Meinardi II. Palatini Carinthiæ et Com. Goritiæ Filia.

Fridericus Dux Bav in Landshut ob. A. 1393. Ux. I. Anna Com. in Neüffen improles II. magdalena mediolanensis.

Elisabetha data Othoni Iucundo Archiduci Austriæ.

Stephanus II. Dux Bav. Ingolstadiensis Uxor I. Thadæa Mediol. II. Margaretha Clara Ducissa. ille obiit 1413.

Magdalena ipso Iuventutis flore mortalitatem exuit.

Ioannes Dux Bav. Com. Andechisan, † 1340 Ux Elisabetha Ludov. Imp Filia nupsit vi, dua Ulrico Würtembergio.

Iacoba Comitissa Hollandiæ etc. nupsit I. Ioan Francisco Delphino Franciæ II. Ioan III Duci Brabantiæ tertio Humfredo Duci Glocestriæ illa ob. 1436.

Sophia Duc. Bav. ut pulchra ita Prudens, Wenceslai Imp et Regis Bohemiæ Uxor II Mortua et sepulta Posonii, A.C. 1428.

Guillielmus III. Dux Bav. cum fratre Ernesto conregnavit. mortalitatem exuit. An Christi 1436. Sepultus Monachii ejus Consors Margaretha Adolphi Ducis Cliviæ filia.

ERNESTUS Com Pal. Rheni Dux Superioris Bav. decessit An 1438 Monachii in Maujoles Proavi Aug: sepultus Uxor Elisabetha Ducissa Mediolanensis.

Elisabetha Ux Friderici I Elect. Brandeburgi. Magdalena. Ioan Meinhardo Com. Goritiæ et Pal. Carinthiæ nupta

Henricus Dives Dux Bav. Landishutanus ob A 1450. Ux Margar Alberti IV. Arch. Aust. filia.

Ludovicus Barbatus Dux Bav. ob. AC. 1447. Ux. I Aña Ioan Borbonii Filia Ux. II. Catharina Com Alenzonia

Ioannes Dux Bav. Episcopus Ratisbonensis ob. AC 1400.

Elisabetha Du. Bavariæ nupta Carolo Sexto Regi Franciæ, illa ob. An 1435.

Guilielmus Posthumus natus A. 1436 obiit in Infantia.

Adolphus Dux Bav natus A. 1434. Patri non diu Superstes fuit. ob. AC. 1437.

Elisabetha Du. Bav. nupsit I. Adolpho Duci montiu et Iuliæ, postea Hessoni Com. Leiningio.

Beatrix Ducissa Bav. nupta I. Hermanno Com. Ciliæ, deinde Ioanni Comiti Palatino Neoburgi.

ALBERTUS Pius Com. Pal. Rheni, Dux Bav oblatu sibi a Bohemis Regnu modestè recusavit. obiit AC 1460. Uxor Anna filia Erici Ducis Brunsuicensis.

Elisabetha Ducissa Bav matrimonio Sociatur Udalrico Com Würtembergio illa ob: An. 1470.

Ioanna Ducissa Bavar, nupta Othoni Comiti Palatino in Mosbach Ruperti Imp. Filio.

Ludovicus Dives Dux Bav. Infer. Princeps felix Pacisq; Studiosissimus ob. An. 1479. Ux. ejus Amelia Friderici II. Elect: Saxoniæ Filia.

Ludovicus Gibbosus Dux Bav. Ingolstad. ob. A. 1445 Ux. Marg. Friderici Marchionis Brandeburg filia

---

Elisabetha Ducissa Bav. nupta Ernesto Electori Saxoniæ. illa obiit Anno Christi 1404.

Christophorus Dux Bavariæ ex Palæstina redux obiit cælebs in Insula Rho Anno 1493.

Barbara Christum Francorum Regi prætulit ob monialis ad S. Iacobum Monachii in fama Sanctitatis AC. 1474.

Ioannes Dux Bavariæ cum Sigismundo fratre simul Regnavit obiit Cælebs Anno 1473.

Sigismundus Dux Bav. templu Divæ Virginis extruxit Monachii vixit in cælibatu privatus obiit Anno 1501.

ALBERTUS IV Sapiens Com. Pal Rheni Utriusq; Bav Dux, Ecclesiam Divæ Virginis Monachii Parochialem erexit in Collegiata obiit Anno 1508. ejus Consors Cunigundis Friderici III. Imp. filia.

Wolfgangus Dux Bavar ob. cælebs 1514 Ernestus et Albertus obierunt in tenera Iuventute.

Margaretha Duc. Bav. matrimonio Sociata Friderico Gonzagæ Duci Mantuæ Anno 1462.

Margareta Duc Bav nupta Philippo Elect Palatino Elisabetha ob. Virgo 1495.

Georgius Dives Dux Infer Bav musaru Patronus Acad. Ingolstad condidit ibiq; ob. A. 1503. Ux Hedwig. Casimiri Pol Reg filia.

Susanna Duc Bav nupta Casimiro March Brandeburgico ac demum Othonhenr. Co Pal

Ludovicus Dux Bav. Inferioris vixit Cælebs. Mortalitatem exuit Anno 1545.

Ernestus Dux Bav: Archiepiscopus Salisburg et Episcopus Passaviensis obiit A.C. 1560. in suo Comitatu Glacensi.

GUILIELMUS IV. Utriusq; Bav. Dux Com. Pal. Rheni Sac. Rom. Imp. Vicarius. obiit An. 1550. Uxor Iacoba Marchionissa Badensis.

Sabina Duc. Bav. nupsit Ulrico Duci Würtembergensi.

Sidonia Duc: Bav. desponsata Ludov. Elect. Palat. obiit ante nuptias. 1505.

Sybilla Du. Bav. nupta loco Sororis Ludov. IV. Electori Palatino.

Elisabetha Ducis. Bav. nupta Ruperto Com Palat. Rheni S.R.I. Elect. illa obiit Anno 1501.

Wilhelmus Princeps Bav. natus Anno Christi 1529. obiit anno Sequenti

Matildis Duc. Bavariæ, desponsata Philippo Duc Brunsvicensi, quò perempto nupsit Philiberto March Badensi ob 1565.

ALBERTUS V. Cognomēto Magnanimus Utriusq; Bav. Dux Com Palatinus Rheni, Princeps Sapiens et Cordatus, Academiam Ingolstadiensem novis subsidiis firmavit ibiq; Collegium Soc. Iesu fundavit defunctus An. 1579. ejus Consors Anna Ferd. I. Imp. Filia.

Theodo Princeps Bavariæ natus Anno 1526. obiit octennis 1534.

Ferdinandus Dux Bav. Stirps Comitum a Wartenberg obiit AC. 1608.

Maria Duc Bavar nupta Carolo Arch: Austriæ Græcii A. 1571. defuncta AC. 1608.

Ernestus Dux Bav. Elect et Archi-Episcopus Col. Episc. Frising. Hildesii. Leodien. et Monasteriensis obiit A. 1612.

GUILIELMUS V. Com Pal Rheni Utriusq; Dux Bav. Princeps Religiosissimus Insigni Magnificentiâ Templu Divi Michaelis, atq; Collegiu et Gymnasium Monachii extruxit et fundavit. obiit A.C. 7. febr. 1626. Consors Renata Duc. Lotharingiæ.

Maria Maximiliana Duc. Bav. obiit innupta AC. 1614.

Carolus et Fridericus Principes Bavariæ obierunt in Infantia.

Maria Anna Princeps Bavar. nupta Ferd II Rom. Imp. An. 1600 illa obiit. 1616.

Philippus Dux Bav. S.R.E. Cardinalis et Episcopus Ratisbonensis obiit AC. 1598.

Ferdinandus Dux Bav. Elector Colon. Episcopus Leodien Monast. Hilde. et Paderbornensis. † 1650.

Albertus Dux Bav. Com Pal. Rheni ob AC. 1666. ejus Uxor Mechtildis Landgraviatus Leüchtenbergensis Hæres.

MAXIMILIANUS I. Utriusq; Bav et Superioris Palatinatus Dux, S.R.I. Archi-Dapifer et Elector etc. Princeps in Pace quà Bello maximus. obiit Ingolstadii 27 Sept. Anno 1651. ejus Consors I. Elisabetha Duc. Lotharingiæ. II. Maria Anna Ferd II. Imp Filia

Magdalena Duc Bav nupta Wolfgang Wilhelmo Com. Pal. Neoburg. A 1587 illa ob AC 1628.

Christophorus et Carolus Principes Bav. obierunt Iuvenes.

Christierna et Eleonora Magdalena Principissa Bav. decessère in Iuventute.

Maria Renata genata Anno 1616 obiit Anno Christi 1630.

Ioan Franciscus Carolus, et Ferdinandus Guilielmus Principes Bav. obiere in Adolescentia.

Sigismundus Albertus Dux Bav. Episcopus Frising. et Ratisbonensis defunctus Anno 1685. Die 4. Novemb.

Maximilianus Henricus Dux Bav. Elect Colon Episcopus Hildesien: et Leodiensis, obiit 24 May Anno Christi 1688.

FERDINANDUS MARIA Utriusq; Bav. et Superioris Palatinatus Dux, S R I Archi-Dapifer et Elector etc. natus ex Maria Anna Austriaca Anno 1636. die 31 Octob Ecclesiam PP Theatinorum magnificentissime condidit. obiit AC 1669. Schleishemii. ejus Consors Henrieta Adelaida, Regia Principissa Sabaudiæ etc.

Maximilianus Philippus Dux Bav. Com Pal. Rheni Landgravius Leüchtenberg tempore Minorennitatis pro Nepote Electoratûs Bav. Administ ob. 20 Martii A.C. 1705. Ux. Mauritia Febronia Duc. Bouillonia improles

---

Maria Anna Christina Duc. Bav nata 17. Novemb. Anno 1660. nupta Ludovi: Delphino Franciæ Anno 1680. obiit 20 Aprilis Anno Christi 1690.

Ludovica Margaretha Princ Bav. nata 18. Sept. A 1663. defuncta 9 Novemb. Anno Christi 1665.

Ludovicus Amadæus natus 6. Aprilis Anno 1665. eodem An: 2 Decemb. denatus. Anonymus natus Dachovii 4. Aug eodem die denatus.

Cajetanus Maria Princeps Bavar. natus 2. Maii, Anno 1670. eodem Anno 7. Septemb. obiit.

MAXIMILIANUS EMANUEL Utriusq; Bav. et Superior. Palatinat; Dux S.R.I. Archidapifer et Elect. Landgrav. Leüchtenbergæ, natus 11 July An. 1662. Vienna improviso 9 July Anno 1683, ab Ottomañis circumcincta et paucis inde dieb; formaliter obsessa, Prim; inter omnes Principes Christianos se cu 13 millib; suoru militu Cæsari in Auxiliu obtulit. Primas nuptias cu Maria Antonia Leop. I Imp. Filia celebravit Viennæ 15 July An. 1685, eâ 24 Decemb. An. 1692. defuncta, cu Theresia Cunigunda Ioañis III. Regis Poloniæ Filia Secundas nuptias 1695. inivit.

Iosephus Clemens Dux Bav. Com. Pal. Rheni Natus 5. Decemb. Anno 1671. Elector Colon. Episcopus Leodien. Hildesheimensis, et Ratisbonensis etc.

Violanta Beatrix Duc. Bav. nata 23 Ian. A.C. 1673. desponsata Ferdinando III. Magno Principi Hetruriæ Monachii 21. Novemb. A. 1688.

Leopoldus Princ. Electoralis Bav. natus ex I thoro Monach 22 May A 1689 post trimestre in cœlu abiit

Filius Anonymus natus et denatus Monachii 18 Novembris An 1690.

Iosephus Ferdinandus Princeps Electoralis Bav natus Viennæ 28 Octob A. 1692. ad Regnu Hispaniaru vocatus Bruxellis 6 febr A. 1699. obiit in Regnu Cœlorum.

Maria Anna Carolina Ducissa Bav nata ex II thoro Bruxellis An. 1696 die 4. Augusti.

CAROLUS ALBERTUS Dux et Princ. Electoralis Bav natus Bruxellis 6 Augusti Anno 1697.

Philippus Mauritius Dux Bav natus Bruxellis 5 Augusti Anno 1698.

Ferdinandus Maria Dux Bav natus Bruxellis 5. Augusti Anno 1699.

Clemens Augustus Dux Bav. natus Bruxellis 16. Augusti An. 1700.

Guilielmus Dux Bav. natus Schleshemii 12 July A 1701 denatus 15 febr. Anno 1705. Ioan Aloysius Dux Bav. natus Monach. 21 Iunii An. 1702. denatus 15 Iunii A. 1705.

Ioan Theodorus Dux Bav. natus Monachii 3 Sept. An. 1703.

Maximilianus Emanuel Dux Bav. natus Monachii 21 Decemb. Anno 1704 ob. Annum quintum Agens in Variolis 18 febr. A. 1709.



Cosmas Asam Inv. Monachii

J. Aug. Corvinus Sculpsit Aug. Vind.

MAXIMIL

EMMANUELI

UTR. BAV. AC SUP. PAL. D.
C. PAL. RHEN. LL. &c.
S. R. I.

ELECTORI
ET
ARCHIDAPIFERO,
HEROI
IN FORTUNA UTRAQUE FORTISSIMO

ORATIO.

TAndem longissima PROGENITORUM Series, quâ clariorem in utraque Fortuna Nemo fortassè Regum ostenderit, TUAM AD IMAGINEM sistitur, SERENISSIME ELECTOR; quò enim ultrà progrediantur, cùm in Te Uno videant, quidquid in se mirantur, & optant in Posteris. I...

crepant tarditatem Naturæ, in hæc primùm tempora hanc virtutem differentis. Debebat parturire tam diu, dum HERCULEM pareret; & operæ pretium erat, per tot retrò Heroum exempla ivisse, dum ex collectis omnium lineamentis Unus efformaretur MAXIMILIANUS EMMANUEL, quem Avitarum virtutum Compendium dicerent, nisi viderent in vastissimo animo has omnes extare, non brevibus terminis in angustum coactas, sed cum amplissimo augmento gloriosissimè explicatas: ut, si posita dudum Corpora resumere Majoribus liceat, eos ipsos, quos sequendos sibi proposuerat, INGENTES AVOS, habiturus sit æmulos MAXIMUS NEPOS. Quamvis invidiâ careret æmulatio, dum intelligerent, Unius Gloriam pertinere ad omnes, & in Uno NEPOTE nullum non crevisse MAIORUM. Et quidnî omnium Gloria ex Eo cresceret, qui sic ex omnium virtute concreverat, ut, QUÆCUNQUE FORTUNA Avitæ Fortitudinis experimentum factura accederet, vivere in uno omnes victa intelligeret.

Est sanè aliquid Regum votis, & invidiâ dignum, omnes ejusdem Sanguinis principes in omni Fortuna Magnos fuisse: sed, nescio, quid majus, & supra omnium vota est, unum in omni Sorte omnes æquâsse. Scio: rem magnam dico, quámque, ne adulationis postularetur, metuerem, nisi de Te dicendum esset, FORTISSIME PRINCIPUM, Cujus Magnitudo pridem omnem adulandi facultatem linguis calamisque ademit, maxima semper, nunquam Te majora dicturis. Indignatio potiùs timenda eorum, qui propiùs Tua Decora nôrunt, non æquari à nobis sua de Te sensa querentium. At excusare nos debet ipsa rerum magnitudo. Nam, quæ cum virtute geruntur, non accipere à verbis pondus, sed addere solent. Naturæ tantùm & Fortunæ dona crescere dicendo possunt. Quamvis cùm, quæ Tua in Te vel Natura, vel Fortuna congessit, intueor, nec istud ausim dicere. Nisi enim in Te ornando utramque certâsse, utramque vicisse dicam, utrique injurius sum. Inter

Inter ea quidem bona, quæ in ſui reverentiam ubique gentium mortales cogunt, SANGUIS eſt, qui Regum Liberos, cùm adhuc ſe neſciunt, Magnos facit. Hinc claræ ſtirpes, quæ in felices diffuſæ ramos terras inumbrant, non tam, quàm altè, quàm quâ Radice ſurrexerint, quærunt, aſpernaturæ Stirpis, altiùs quotidie ſe tollentis incrementa, ſi primigenium ignobilis Trunci ſuccum correxiſſet adventitiæ primùm, & ſerò inſitæ frondis nobilitas. Inde Magnorum Genealogias ſcribentium tam operoſi conatus, è ſepultæ pridem antiquitatis tenebris lucem Patrono quærentium. Ut multa in multis valuerit hæc erudcrandæ antiquitatis induſtria; otiari in BOIORVM PRINCIPUM Genealogia cogitur, quorum non interruptam ſeriem tam certis monumentis ad nos venerabundæ transmiſerunt ætates, ut, quæ oblivionem tot alijs induxit ſæculorum longitudo, his ad memoriam valuiſſe videatur. Et quî unquam latere vel in ipſis ignorantiæ ſæculis poterant tot clari facinoribus Principes? qnorum vel ſinguli ingentibus Poſteris ſuffeciſſent ad gloriam: quando ſingulorum vita non privata unius, ſed publica Regnorum Gentiúmque Hiſtoria eſt, quam novâ veluti, multúmque aucta editione legendam Orbi obtulêre Majores, cùm in lucem edidêre MAXIMILIANUM EMMANUELEM, facturum brevì utramque paginam ijs, qui Grandium Heroum Virtuti ac Gloriæ ingenium, ſtylúmque dicarent.

Exceptus eſt hic tantæ expectationis Partus eo non Patriæ tantùm, ſed Orbis Terrarum applauſu, ut jam tunc intelligerent Chriſtiani Nominis hoſtes, non uni ſolùm Genti, ſed univerſo Chriſtianorum Imperio ſalutem naſci. Nec Sapientiſsimo Feliciſsimóque Patri FERDINANDO MARIÆ, viſi deinceps ſunt lenti nimiùm in vota Conjugalia Superi, poſtquàm obtinuit Dignam tot annorum, tot Gentium precibus STIRPEM, Cujus pulcherrimos, maximíſque ſpebus pleniſsimos Flores

 vivus

vivus in Terra, Fructus dein Divos inter è Cœlo vidit; Cùm ætatem Virtute ſuperans in eam Magnitudinem hæc *Arbor* excrevit, ut Ejus umbram non modò Auſtriacorum Alaudæ, ſed Ipſa Imperij Romani Aquila ambiret, conſilio tot ab ipſo Cœlo comprobato ſuffragijs, quot partis deinceps per continuatas Victorias Lauris coronato.

Juvat animo in ea tempora regredi, quorum eò jucundior nobis glorioſiórque memoria eſt, quòd Orbi Chriſtiano tunc è Bojaria Sol, & nova Dies affulſerit, cùm jam occaſum omnia, noctémque ſpectarent, Ottomannica Luna quotidianis Chriſtianorum damnis ad omnium formidinem, terrorémque creſcente. Tibi Soli, INVICTE PRINCEPS, crevit ad Gloriam; & neceſſe erat, Moloſſum Turcicum in tam formidabile robur aſſurgere, ut dignus eſſet, quocum LEO BOICUS aperto Marte confligeret. Rectè etiam Superi prodeunti ſub Mundi oculos Virtuti Auguſtum Theatrum VIENNAM dedére, ut ſua Pugilem Arena deceret: nec niſi Reges Ducésque debebant eſſe Commilitones, tot brevi Triumphis coronando Victori. Quid tunc geſtum, quâ pugnatum Virtute, quâ Gloriâ triumphatum ſit, commemorare hîc velle piaculum ſit, velut ex animis hominum elabi aliquando ea victoria poſsit, quæ tanti intererat omnium. Quòd Patriam adhuc aliquam, quòd vitam, quòd libertatem habemus, Tuum, O PRINCEPS, munus, Tuæ fructus Victoriæ eſt; quæ ſi abfuiſſet, vel Turcia migrâſſet in Germaniam, vel Germaniæ migrandum in Turciam fuiſſet. Iam verò (Cœlo primùm, tum Tibi Dux INVICTISSIME gratiæ ſint immortales) jam ſentiunt Barbari, & obſtupeſcunt, ſuis ſe corporibus excepiſſe vulnera, quæ nobis minabantur, nec de noſtro ampliùs Imperio ſomniant, poſtquàm ſuum ægrè tenuêre.

Nam VIENNENSIS Victoria, quæ ſummus Gloriæ gradus eſſe alijs poterat, Tibi primus fuit, ne medioeri tantùm clade primùm hoſtibus innoteſceret TANTUS VICTOR. Tibi Belli rudimentum fuit

fuit impulsum in ruinam maximum, quod Europa habet, Barbarorum Imperium, cui cùm unum pedem Victor imponeres, supponebas alterum pronæ in casum Germaniæ, quæ tum demum vivere, tum imperare se credidit, cùm Te Publicæ Salutis ac Dignitatis Custodem nacta, curas unà timorésque deposuit. Et quì trepidare potuisset illa, quam Laureati quotidie Nuntij exultare cogebant, non subsidente jam sensim, sed præcipitante in casum hostili FORTUNA, & fatalem Unius Herois Juventam expavescentibûs iis Turcarum Ducibûs, qui inter arma nati, palmas inter laurósque senuerant. Et causas habebant timendi, repetente identidem clades, & in excidium Turciæ cum BOICI DUCIS Virtute conspirante FORTUNA. Munimenta præaltis rupibus montibúsque imposita mortalium oculis subducere Ars & Natura potuit, Tibi, HEROS INVICTE, non potuit, cui in maximè arduis planum æquè, & expeditum erat vincere. Im ò stupebant hostes, facilem Tibi fieri difficultate victoriam; magnarum scilicet mentium more, quæ illas demum res sibi relictas existimant, quarum magnitudo alios de successu desperare coëgit. Inde montes oppugnati ex montibus, & STRIGONIENSIS RUPES ex alia Rupe impugnata simul, & expugnata est. Quas Aër urbes, Arcésque non satis texit, nec erecta in aggeres Terra, nec adducta in fossas Unda, nec coëuntia in Paludem ambo satis elementa texêre. Coactum ad deditionem NOVARINUM est, & ESSECKIUM cum famoso illo PONTE flammarum dicam; An TUO potiùs ARDORI cessit? BUDA elusis dudum exercitibûs ferox eodem, cui Tu mœnia æquaveras, solo arma fastúmque deposuit, suo nunc tantùm Victore superba. BELGRADUM, nescio, an Tua Fortitudine magìs, an Clementiâ nobilitatum inter felicitatis argumenta numeravit, TIBI succubuisse, Tuósque pedes, ut asylum, complexa, lubens unà cum

ſuis CLAVEM obtulit, quâ jam pro libitu reſerares Tuæ Gloriæ, vel clauderes PORTAM illam, è qua per tot ſæcula tot in nos clades, & pejores cladibus terrores eruperant. Jam Adrianopoli trepidabatur, ceu imminente Portis Bojorum Hannibale, MOHAZIUMQUE & BARCANUM non minori horrore appellabantur inter Barbaros, quàm olim apud Romanos Lacus Thraſymenus, aut Cannæ. Cùm verſa repentè rerum facies eſt, Pietáſque ad tuendam Patriam revocavit Heröem, qui cùm unus ubique vinceret, dolebat Germania, quòd uno tantùm pugnare in loco poſſet.

Cum alio Hoſte aliæ ſunt oblatæ Victoriæ & ex recepta MOGUNTIA tantum Tuæ Famæ acceſſit, quantũ qui defenderant, arte Barbaris animíſque præſtabant. Trans alpes, quò Nomen Tuum jam prævolaverat, in ipſam uſque Sabaudiam Pietatem in Patriam, Fidem, Gloriam ſecutus es, cunctis, ad quos acceſſeras, Famæ indignantibus, cùm, quam ingentem Tui ſpeciem ipſa depinxerat, Præſentia ſuperaret. Æternùm in Italiæ Faſtis CARMANIOLA celebrabitur, quòd Tuæ Fortitudinis teſtis ac materies eſſe meruerit.

Et ne BELGIUM, illuſtrium Heroum vetus Theatrum Virtutis, tot jam Nationibus probatæ careret ſpectaculo, quot precibus ac ſupplicijs Te abſentem vocavit, venientem quo Populorum plauſu excepit, cognitum quo affectu, quàm ad Bojariæ Tuæ invidiam pertinaci retinuit? Quid verò aliud expectare poteramus, quàm ut, cùm unum ad NAMURCUM Hiſpanos, Gallos, Anglos, Batavos, ipſóſque Germanos in ſtuporem dediſſet inaudita Fortitudo, in ſui amorem ſimul raperet eam Gentem, cujus gloriæ & commodis à Tanto Duce res tantæ gerebantur. Intelligebat ſanè Hiſpania illi demum Principi ſe nobiliſſimam potentiſſimæ Monarchiæ Partem ſapienter unà glorioſéque committere, quem Orbis Imperio parem Po-

pu-

pulorum voces, & digna ſceptris facta clamarent. Nec tot officiis Leonem Boicum Hiſpania ambiit, ut non majoribus exciperet Belgium, cujus erga Te per tot annos neſcio, an veneratio major, an affectus fuerit, ſtupentibus, quos frequentes ad aulam Tua Virtus attraxerat, Nobilibus Advenis, Principem unum amari tantum ab exteris, ut paucos nôſſent ſic amari à ſuis. Gratulabatur intereà ſibi devotiſsima Tibi Bojaria, gaudebátque affectui ſuo conſentientem videre Orbem Terrarum, moram tamen, ac deſiderium Tui non ferebat, amicè cum Belgis expoſtulans, quòd moroſi debitores longiùs, quàm accenſa vota paterentur, reddere differrent, quod commodatò acceperant.

Reddidère tandèm Belgæ, quod debebant, eo cum fœnore, quod vel longiore morà carò emptum non dicerent Boii, Remisêre Te nobis non ſolum, quod magnum fuiſſet, ſed, quod in Patriæ utilitatem longè maximum erat, non unâ jam Prole PARENTEM; ut, cùm cives præſentem ſuam felicitatem admirarentur in PATRE, futuram ſimul legerent, & amarent in FILIIS, quorum omnium ſpecies & Virtus Principatu digniſſima Germaniam, imò Europam univerſam expectatione ſuſpendit, avidè intentam, quales olim Nationes dignas exiſtimatura Fortuna ſit, quarum Saluti felicitatique Tantorum Principum Virtus invigilet. Nemo tunc erat, SERENISSIME ELECTOR, qui non in BOJCAM DOMUM admirationis unà & ſpei plenos converteret oculos, Téque intuitus, resque Tuas tum Bello, tum Pace cum gloria geſtas florentes Populis opibúsque Provincias, Prolem denique & multam, & (ut verbo dicam omnia) Patre dignam enumerans diceret, Te unum eſſe è Germaniæ noſtræ Principibus, quem Unum omnibus ornandum donis FORTUNA ſuſceperit, quòd animum in Te invenerit ferendæ ſuæ magnitudini parem.

Eſt enim hoc commune quidem omnibus Bojci Nominis Heroibus, ſed Tibi prorſus ſingulare, non tam parare magnam gloriam, quàm ferre poſſe, & Principis omnium Virtutum coloribus illuſtrem Imaginem pulcherrimâ moderationis umbrâ abſolvere. Multis ſat fortitudinis ac prudentiæ ad conciliandam FORTUNAM, paucis ad ferendam fuit: nec eſt omnium, ita temperare Majeſtatis ſeveræ lucem, ut eam ferre mediocris acies poſsit. Bojariæ hæc eſt invidenda felicitas, ut lætos nihilque timentes oculos conijcere in placidam ſui Principis Majeſtatem poſsit, dúmque alij, audito Dominorum nomine, vultum animóſque demittunt, illa erigit plena ſolatio, & de ſuo Monarcha loquens, injuriam Ei ſe facturam crederet, ſi Dominum ſæpiùs, quàm Patrem vocaret. Talis in tanta FORTUNA qui eſt, dignus eſt, qui nunquam experiatur adverſam.

Nec credo, auſurum aliquid in hanc Virtutem fuiſſe nullis aliàs fidum mortalibus Numen; niſi meminiſſet, Heröem ſe formare, qui, cùm una manu injecto fræno exultantē contineret FORTUNAM, alterâ fortiter ſuſtineret irruentem. Quòd ſi verò certum erat, poſt tot in ſecunda ſorte victorias, majores alias in adverſa offerre, debebat ſanè vires FORTUNA colligere, & ex HEROIS magnitudine metiri certamen. Et oſtendit illa, meminiſſe ſe, quocum in arenam deſcenderet, eáſque in iras ſurrexit, ut digna eſſet tot Palmarum DUCE victoria. Diſsimulato Heröe Patrem aggreſſa, FILIVM rapuit, Patris oculum, Patriæ Cor, Delicium & ſpem Europæi Orbis. Gravis pugna, quæ à vulnere tam acerbo ducit initium, quod vel ſpectantibus lacrymas, audientibus etiam procúlque diſsitis gemitum expreſsit? Vulnus, quod multorum pectoribus majus animum petit, ſupra humani Cordis anguſtias amplum, cuíque nemo facere medicinam, niſi Virtus poſsit? Et quidem TUA; quando nemo privatus tam fortiter ereptum ſibi Hæredem fert, ut Tu Tantus ac Talis ereptum Tibi hunc Tantum Talémque tuliſti.

Ceſ-

Cesſiſſe jam Tibi totam cum victoria arenam putabamus attonitam incredibili Virtute Fortunam : cùm ſerò intelleximus , eam per interjectos tot annos tela cudiſſe , quæ , ad pugnam reverſa, in Te torqueret , non jam ſuâ, quam imparem ſenſerat, ſed Martis ipſius manu , quem hactenus ſemper Tuum in ſuas mutabilem partes pertraxerat. Triumphaturam ſe de Tua Virtute credebat , ſi rebus à ſe turbatis , non, quâ , priùs , felicitate Belli alea caderet ; ſed intellexit imprudens , quantum ſui Pugilis Virtus in caſum omnem erecta tam ſtultè ſperantis audaciam ſuperet, cùm vidit, & obſtupuit, HEROEM illum, qui ſic ſemper vicerat, ut nunquam vincendus crederetur , jam adverſam victoriam animo tam præſenti ſpectare, ut ſi nunquam ipſe viciſſet: nec ſibi tantùm ſufficere ad conſtantiam , ſed ſuis quoque impertiri ſolatia , fletum ſiſtere , commendare virtutem. Nemo jam mihi Catones, nemo Brutos vel Caſsios deinceps ut virtutis Magiſtros nominet , quorum animus vni tantùm Fortunæ par , tam diu magnus , quamdiu felix fuit, nec tantum à ſe impetrare potuit , ut adverſarium infelicem incolumis cerneret. Deleantur è fortium Virorum Catalogo , quorum animus (quidquid oblatret impietas) tum depreſſum ſe victúmque oſtendit , cùm, quæ hoſtis retuderat , arma in ſe convertit. Eſt aliquid, Romana etiam virtute majus, vincere, & vinci eodem vultu , eodem animo poſſe, quod ij non poterant , qui olim omnia potuêre. Quòd ſi amiſſæ victoriæ gravior appendix accedat amiſſa Patria, Conjunx, Liberi: quis privatus etiam , non dicam ferendo , ſed explicando dolori ſit ? Privatum autem dico ? imò date ex Gentium omnium Annalibus Heröem unum , qui iniquitatem tam inſolitè ſævientis Fortunæ componere cum animi æquitate potuerit. Expectandum erat , per tot mundi ætates Virtuti , dum in animum incideret ſui totius capacem , quóque majorem nemo peteret, qui adverſa in homines incidere , non in Numina ſciret, quibus ille demum homo ſimillimus eſt , qui fortuná major caſum ſub pedibus , Virtutem in conſilio habet.

Itaque mirabuntur quidem Posteri, cùm HUNGARIÆ, GERMANIÆ, ITALIÆ, BELGII annales evolverint, HEROEM unum tot Regna implevisse Victoriîs: sed unà ipsis ob laudis bellicæ societatem Hannibales, Scipiones, Pompeij, Cæsares, imò Tua etiam ex Gente THEODONES, PIPINI, CAROLI MAGNI, OTTONES, LUDOVICI & MAXIMILIANI occurrent, in quorum comitatu Magnus Tu quidem, sed nunquam Tantus, quantus reverà es, apparebis. At, ubi post secunda etiam adversa perlegerint, ubi Te non de exercitibus tantùm, quos multi vicêre, sed de FORTUNA, qualem pauci sensêre, tulêre nulli, triumphantem aspexerint, tum enimverò timeo, ne fides attonitos, & ipsa penè admiratio destituat; frustra rerum ignaris Tuam Virtutem ad aliorum exempla relaturis. Atque hoc demum est esse Magnum; ferre tantum potuisse, quantum inferre Fortunæ libuit, tantùmque Heroës alios excedere viribus, quantum ista premendo excessit.

Debebat equidem oblatum sibi cum Tua CONSTANTIA duellum declinare FORTUNA, quòd arma sua longè Tuis imparia cerneret. Imò debebat accipere, ne Tantæ Virtutis exemplo careret Orbis Terrarum, & optimam Tui partem ignoraret Posteritas, discerêntque Te Magistro Magni animi, nullam esse FORTUNAM tam GRAVEM, quam superare ipsi ferendo non possint. Prævertit usum Herculei Nominis, ignara, Te secuturum Antiquitas, cùm è Tuis Majoribus unum HERCULEM ALEMANNUM dixit, quem Te nos eramus dicturi, nisi Virtus Tua extra omnem similitudinem Te constituisset. Nam ut illi gloriosum est fictos Herculis labores veris æquâsse factis, ita Tibi est longè gloriosissimum, quòd, qui Tibi paria, paribûs animîs egerit, tuleritve, nullum unquam finxerit ulla Poëtarum audacia. Malè Te inter Fortitudinis Exempla mortales requirunt, postquam inter Prodigia Tua Virtus Te posuit, Orbémque coëgit, quoties in claros Utrâque Fortunâ Heroas intuebitur, Bojos quidem Principes inter omnes; Te etiam inter Bojos mirari.

FORTITUDINIS LEONINÆ GLORIA BOJCA

A

MAXIMIL. EMMANUELE

S. R. I.

ARCHIDAPIFERO,

ET

ELECTORE &c. &c.

DE


UTRAQUE FORTUNA

FELICISSIME REPORTATA

AC

XXIV. Symbolis Heroicis

adumbrata.



I.

Trepidate Canes: LEO arenam ingreditur
Non Lybicus ad ſpectaculum: ſed Boicus ad prælium.
Nec quem Aſia in Europam miſit,
Sed qui Europam immittere in Aſiam poſsit.
Nam præeuntem non Exercitus, ſed nationes ſequentur,
Nec ad bellum, ſed ad triumphos ire ſe credent:
Quando, DVCE LEONE,
Etiam Cervi ſperare victoriam poſſunt.
Fruſtra, dum jacent Valla, vos in tumorem aſſurgitis:
Non eſt nuda VIENNA, quam ille tegit,
Qui Vnus non Vrbi, ſed Germaniæ tegendæ ſufficit.

d Ma-

Manum admovente MAXIMILIANO
Novi aggeres veſtris impenſis ſurgent,
Quos parvo tempore ingentes facietis,
Non vivi, ſed mortui.
Vivos, quos pedes non abſtulerint, ferrum auferet;
Qui aliena rapturi venerant; ſua dabunt.
Vincula, quæ ſervitutem minabantur, Dominos prement.
Qui in Triumpho nos erant Ducturi, ducentur
juſtiſsimâ Metamorphoſi,
Qua per tot annos raptis pennis ſuperba
Imperii Æmula
Ad aquilæ latus incedens cornicula,
Nunc iis evulſis converſa in aliam,
Aut rectè in ſe reverſa,
Et tam præcipiti caſu admonita, volatum dediſceret,
Quem ſuprà Iovis alitem ſecundis ventis elata tentabat,
Donec jam ipſum AQVILÆ nidum inſeſſuræ
LEO ungues injecit,
Et in utramque alam invectus
Vix tantum vitæ, ac vigoris reliquit,
Quod ad fugam ſufficeret:
Duas imò alas ſic fregerat,
Vt actum fuiſſet de ſalute
Niſi novas Timor affixiſſet,
Quibus ad Plutonem dico, an Platonem effugeret,
Agmen Platonicum
Exercitus implumis Bipes.
Sed volantis terga continuo Victoriarum curſu
Velox æquè, ac felix LEO preſsit
Qui, cùm alios præcedere ſoleat,
Solos hoſtes, ingrata Barbaris civilitate
Amat ſequi.



II.

Componite lites Philoſophi :
Nec Copernicum ultrà, nec Ptolomæum audite,
Dum vel Cælum ſtare, vel terram dicunt :
Ambo vertuntur.
Quin Cœlos intelligentiâ regi vertigo probat :
Caderemus nos, ſi ſtarent ſidera.
Hæc Cœli mobilitas terram ſtabilit, & excuſat:
Quid enim expectes à terra non mutabile,
Cùm in Cœlo omnia vertuntur?
Proſunt minùs tarda ſidera,
Quæ ſolo immobili vicina non ſentimus moveri.

Hinc nemo Bootem præfert LEONI,
Quòd, dum pedem ille moveat, hic curſu abſolvat Orbem.
Non ſtationem ſiderum, ſed curſum miramur.
Quòdſi inter Mortales Immortalibus eſt propior,
Qui Cœlis ſimilior,
Nemo Dignior Sideribus inſeri
LEONE BOICO,
Qui præter Corpus terreſtre nil habens
Cœleſtem refert in terra
Splendore, Motu, Virtute.
Imò, quem ſplendore æquat,
Ordinato Motu, ac Virtute ſuperat.
Neſcio enim, quid cœleſti motu difficilius terreſtris habeat,
Nec tam eſt arduum ſequi regentem Providentiam,
Quàm regere, & corrigere deviantem Fortunam.
Hoc inter omnes fortunatos potuêre pauci,
Moveri à fortuna loco, & non unà moveri animo.
LEONINO hîc opus Pectore, & Sanguine,
Qualem à ſuis accepit, in ſuos transfudit
MAXIMILIANVS EMMANVEL,
Quem everſura fortuna ſe vertere, non Ipſum potuit,
Niſi more Siderum.
Nam & Sol Sidus Principum, & Princeps Siderum
Cùm poſcunt tempora, Domos mutat.
Cur non & Principes Terræ Soles?
Quos tunc ad cœlum meritò extuleris,
Cùm ſtare, & moveri didicerint
Vt MAXIMILIANVS EMMANVEL,
Qui ſolus in Mundo potuit, quod mundus non poſſet:
VERTI, ET NON EVERTI.



III.

In ſua tantùm commoda fortem eſſe, privatum eſt:
In aliena Regium.
Etiam animantium Rex, ut nomen impleat,
Non ſe tantùm, ſed alios protegit,
Quos natura tueri, vel nobilis ardor jubet.
Excubitore Leone
Aperta ſpecus pro munimento eſt,
Et ſecuram omnium quietem
Vnius vigilia facit.
Qui cùm ſua omnia exponit pro omnibus,
Omnes ab omnibus tutos reddit.

Quod in Africa ſuis catulis eſt terror Lybiæ,
Hoc in Europa Chriſtianis omnibus eſt Leo Boicus,
Terror Aſiæ.
Nam hujus terror ut eſſet, amor fecit,
Quo Chriſtianæ Communitati, communia ſua omnia,
imò ſe ipſum fecit.
Nullam hodie haberemus Hungariam,
Si nullum habuiſſemus Maximilianum.
Munimenta voràſſet ignis;
Fames Exercitum;
Niſi militem armis Regna ſervaturum
ſervàſſet commeatu,
Verus Chriſtianæ militiæ Pater, & Dux
Vtroque titulo benè de militibus,
benè de Civibus meritus;
Cùm iſti lubenter ſervarent milites,
Ne ſe ipſos perderent,
Illi, ut parentes, defenderent eos,
Qui Exercitum alerent.
Ita Danubius brevì Hungariæ pro Nilo,
imò præ Nilo fuit,
Cùm non jam undam in ſitientes agros,
ſed meſſem in famentes effunderet.
Reducere Dux novus videbatur antiqua tempora,
Queîs panibus per caſtra pluebat.
Quod bis factum legimus:
Semel Iſraelitis Duce Moyſe,
Iterum Germanis Duce Maximiliano.
Tanti intererat Iſraelem curari
à Moyſe,
Tanti Germaniam amari
à MAXIMILIANO.



IV.

Quem nos
Iratum aërem terrâ exterritâ ſuſpicimus,
Leo cœleſtis deſpicit,
Secura turbinum Serenitate,
Qui nubes miſcere, non ſtellas poſſunt,
Quæ non ſerviunt Elementis, ſed imperant.
Sive collecti in agmen venti ad bella ſurgant,
Sive colliſi pugnando, fractíque
Sibi ac mundo inducias faciant,
Sive atræ nubes triſtem, quam faciunt, noctem
Triſtiori flammâ diſtinguant,

Sive purgato aëre ſolem terris,
Terras Soli oſtendant,
Eodem vultûs ſereno ſpectat, & deſpectat,
Leo altior ſubjectis tumultibus,
Qui eripere terris ſidera poſſunt, non lucem ſideribus,
Quæ terrarum haud indiga ſibi ſufficiunt
ad ſplendorem.
Quem augent, cùm micant, fulmina,
Dum inferiora ſe tantùm feriunt, ſuperiora illuſtrant.
Quibus ipſa altitudo altiſsimam quietem facit;
Quam nec afflantibus Favoniis debent,
Nec dormienti Boreæ;
Sed ſibi, & inſitæ virtuti,
Quæ moveri neſcia meruit promoveri,
Vnde, ſuperis proxima, aſcendere altiùs non poſſet.
Inde, quæ aliis ad terrorem micant fulmina,
Soli Virtuti
Fulgent ad ſplendorem,
In utroque Cælo Iovis & Martis:
Nam & Mars nubes ciet, & fulmina,
Quæ plùs cœleſtibus timent Mortales:
at non Heroës:
Non immortalis inter Heroës
MAXIMILIANVS
Marte non ſemper, Virtute, ac arte nunquam non
Victor.
Nam licèt campeſtrium fulminum æquè, ac cœleſtium
incerti ſint ictus;
Hoc tamen certum eſt, tot Lauris contecto Bellatori
cædat, ſive cedat,
Ex bellicis fulminibus lucem ad ſe pertingere,
Non violentiam poſſe.




V.

Frustrà ituro in armenta Leoni
Sudes objicis.
Non morabitur virtutem seps lignea,
Quam ferrea non tardaret.
Invitant ardua Magnos animos, non terrent,
Quærere laborem Virtus, non fugere solet;
Et LEONINVM est,
Frangere obstantia, non frangi.
Ergo LEONIS BOICI Virtutem
In novam lucem profertis, dum intra valla vos absconditis

f Te-

Cum noctivago veſtro ſidere noctis amantes
Tenebriones Barbari.
Tot millium Talparum labores evertet, cùm volet,
Vnus LEO,
Aut certè vertet in ſuos uſus
Illuſtri Victoriâ
Ac docebit cæca animalia,
Bellicos aggeres non talparum eſſe cubilia,
Sed Leonum.
Paludes, quas objicitis, non tutos vos, ſed timidos probant,
Quíque ſurgunt inde vapores, non obſcurabunt victoriam,
Sed illuſtrabunt,
Quando in fulmina coactos accendet
LEONIS BOIGI ardens Virtus,
Quæ trepidante ad fragorem Turcia, veſtris cervicibus illapſa
Lucem in Victores,
Vim & terrorem in victos divident.
Clarúmq; Barbarorum tam animis, quàm oculis argumentũ ingerent,
Non debere LEONI BOICO obſtare hoſtes,
Qui nolint illuſtrare,
Et novis arcibus non adverſam potentiam
Sed ejus famam & gloriam muniri.
Nec eſt arduum illi,
Qui vivos perrupit, mortuos aggeres penetrare.
Inutili conſilio medias Lunas illi objicitis,
Cui tota pridem jam impar fuit.
Ergo parcite, Ottomanni, non profuturo labori,
Nec alibi novam Domum pro Luna conſtruite,
Niſi velitis poſt Lunam tantiſper hoſpitem ferre;
Inquilinum videre LEONEM.



VI.

Queîs herì valediximus, ſalutamus hodie ſidera,
Eodem vultu ad nos redeuntia,
Quo diſceſsére.
Eorum curſum, dum oculis ſequi non poſſumus,
Malè credimus, ea lucere nullibi,
Dum lucent alibi.
Moventur, non mutantur:
Locum dimittunt, non Lucem:
Imò nec locum.
A nobis, ad nos iter inſtituunt,
Dum abeunt, ut redeant,


Circulo tam non vitioſo,
Vt vix aliud illuſtrius argumentum Lucis Fontem
Ad oculum demonſtret,
quàm ſiderum fixìs legibûs errantium
ſtabilis circuitus,
Quæ tunc ſolidiſsima claritate demonſtrant rerum Principiũ,
cùm ſuum perpetuò repetunt.
Et cùm finire creduntur, incipiunt,
Regis ad exemplum, Solis inquam,
Cujus cùm in ſuas domos lucem admittunt,
Morem ſequuntur,
Vt oriantur occidendo,
Sic Leo cœleſtis, dum horizontem exit,
In ipſo occaſu meditatur ortum,
Certus eò referre lucem, unde jam auferre putant,
Cùm differt tantùm,
Simillimus LEONI BOICO,
Qui ab Horizonte ſuo talis abiit, qualis rediit,
SERENISSIMVS.
Tales in ortu Fortunæ ſolent eſſe omnes:
In occaſu pauci.
Ipſe ſidereus Leo, dum in occaſum abit,
Alius eſſet, ſi eſſe poſſet,
Tantùm laude inferior LEONE BOICO,
quantùm ſtatione ſuperior.
Nam ille cœleſtis æquale ſerenum neceſsitati debet,
BOICVS Virtuti.



VII.

Non per imbellia minorum animantium veſtigia graditur
Dignus Patre Leone Catulus;
Impreſſos in arena legens ungues,
Diſcit in quantos creſcere & Seipſum deceat,
Sive in prædam eundum, ſive in Prædones fuerit.
Nam turpe Magnis, moliri parva,
Et in poſteris minoris animi confeſſio eſt,
Non æquâſſe Majores.
Quæ labes ut frequens non unum inficit ſanguinem:
Ita in BOICO invenit neminem
Degeneris vitij capacem.

HIC SANGVIS, quò fluxit longior, ivit purior,
Magnorum fluminum more
Auctîs eundo viribûs
Superavit originem.
Argumenta non petet: nisi qui nullum intelligit,
Vnum dabo.
Aures tantùm: imò oculos affer;
Nam hæc veritas etiam videri potest.
MAXIMILIANVM intuêre, & responde,
Nisi admiratio te mutum fecit,
Quid vides?
Hominem, ais, SICVT ARBOREM, ambulantem.
Sic est, ut vides:
In uno Homine tota arbor ambulat.
Dum AVOS omnes circumfert unus NEPOS
MAIORIBVS MAIOR.
Illis enim Magnum fuit esse Maximis similes:
Hic parvum se crederet, si parem haberet,
Hinc cum Natura & arte suam virtutem commisit,
Et in uno Strigonio utramque vicit.
Ex ipsis rupibus, quæ propugnare munimentũ credebantur,
Idem impugnavit.
Vt tum primùm THOMÆ nomen meruisse videretur
Mons THOMÆVS,
Cùm ea in ejus vertice
Virtuti tantùm Boicæ non invio gererentur,
Quæ, nisi quis viderit, non credat.
Nec jam timeo, ne fidem non habeas
Asserenti magna,
Postquam Eum vides, qui Virtute BOICA
Supra fidem majora gessit.



C. Remshart Sculps. A.V.

VIII.

Neſciremus, orbe majora eſſe ſidera,
Niſi toto plusquàm orbe removerentur.
Tantam à tam diſsitis videri lucem,
Sentiri virtutem,
Magnitudinem probat altitudini parem;
Nec quidquam cœleſtia corpora
Non tam loco, quàm virtute
Supra terram eminere probat,
Quàm in tanta locorum diſtantia
In ſubditæ telluris viſcera
Tanta vis.

g 2 Præ-

Præſentia ſolùm urere vulgaris flammæ virtus eſt,
Abſentia incendere, cæleſtis,
aut eorum,
Quos Cœlum ſibi proximos
Terris indulſit.
Et horum enim radiis abſentia vim affert,
Non aufert.
Et quiſque tunc maximè præſentem vim ſentit,
Cùm ſuſpirat abſentem,
Diſcítque, & probat fidelibus ſuſpiriis,
Etiam terrarum ſidera in diſtans agere,
inſtar cœleſtium.
Ita Leonem in cœlo adeſſe novimus,
Cùm abeſt maximè.
Tunc ejus ardor noſtris capitibus magìs imminet,
Cùm magìs eminet.
Clara Imago clariſsimi terrarum Sideris,
LEONIS BOICI,
Qui abſens corpore, non virtute,
Semper fuit præſens luci; quia ſemper ſibi.
Nobis eripere ſors Principem:
Non ſibi potuit.
Adfuit, cùm abfuit,
Præſens Patriæ auxilium ab abſente venit:
Nec enim poterat Patria excidere Principi,
Qui nunquam exciderat ſibi.



IX.

Magnanimus Leo
Venantûm turbam videndo vincit;
Malunt ipſi exſertos ad pugnam ungues
Eminùs intueri, quàm cominùs experiri.
Robur ſurgentis Feræ
Ex ſuo terrore metiuntur.
Stans Leo curſum imperat oculis,
Ad quorum ignes frigent animi,
Rigent manus;
Omnis ardor in pedibus eſt,

h Qui

Qui ſalutem illi tantùm afferunt,
Quem auferunt.
Nullus tamen unquam Leo Lybicus tantùm valuit corpore,
Quantum BOICVS animo,
Terrere illos aſpectu ſolitus,
Qui ſine terrore non poſſunt aſpici.
Magìs pallent exercitus,
Cùm LEONINA VIRTVS ex oculis fulminat,
Quàm cùm accenſus Marſpiter
Ex ignivomo metallo ſupra Iovem tonat.
Buda, Exercitus terrere ſolita
MAXIMILIANVM timuit,
Tunc deſperare ſalutem cœpit,
Cùm ex Tormentariis ſuggeſtibus primam ei ſalutem
LEO BOICVS dixit,
Aut veriùs rugiit.
Fabula ſit: trepidare terram,
Cùm rugit Rex animantium;
Veritas eſt, trepidâſſe Turciam,
Cùm vocem contra ſe tolleret Rex *cæruleus* Chriſtianorum,
Ad ejus vocem,
Quæ hactenus trepidare neſciebant, corruerunt mœnia.
Qui accurrerat, ut ſuccurreret hoſtilis exercitus,
Cadente Budâ, attonitus ſtetit.
Donec, viso LEONE
Idem timor, qui preſſerat, gradum accelerare compulit,
Et obſidionem, quam finire debebant,
Finiendam relinquere VIRTVTI BOICÆ,
Quæ quantum valeret,
Vulnera apertiùs, quàm ora,
Mortui certiùs, quam vivi loquebantur.



X

Si, quæ Leonem in cælo illustrant, stellæ in unum coëant,
Sidus facient, non Leonem.
Pares virtute, loco dispares
In hanc figuram divisio composuit,
Et absque hac sine nomine futuris
Nomen fecit.
Quotquot Iupiter ex Heroibus sidera,
Vel ex sideribus Heroës fecit,
Sejungendo, arctiùs conjuncta fecit;
Nec quidquam clarius Magnum Orionem
à Lepore vicino distinguit,

Quàm

Quàm divisa in Giganteam latitudinem
Grandium membrorum distantia.
Naturæ in cœlo inter sidera ludentis spectacula
Imitatur in terris, haud otiosa cælestium
Spectatrix virtus.
Et theatrum instruente Fortuna, scenam vertit,
Dúmque huic initium indulget,
Exitum servat sibi.
Quæ sidera in cœlesti Leone natura,
In BOICO disjunxerat Fortuna;
Non jam Domo tantùm, sed Regionibus integris divisa.
Monitus à Virtute domestica
TVLIT ignaram, quid ageret, gnarus Suorum
MAXIMILIANVS,
Vidit, quod cæca non viderat,
Eam augere tunc lucem, cùm vellet minuere.
Debuit tanto Magistro vel invita discere,
Quod hactenus ignorabat,
Aliquid se supra naturam posse,
Et, cùm minimè vellet, fecisse
Nam illa multas conjungere stellas debuit.
Dum unum Leonem faceret:
Hæc, dum LEONIS BOICI disjunxit sidera,
Quot diversa diversis sedibus astra collocavit,
Tot orbi ostendit LEONES
Obstupescentibus populis
Miram Fortunæ ac Virtutis Arithmeticam;
Cùm illa tota esset in dividendo,
Hæc tota in multiplicando.



XI.

Animantes omnes Leoninæ Virtuti eſſe impares
Par omnium probat exitus.
Congrediendi audaciam timore expiant.
Læſus temerario aſſultu Quadrupedûm Princeps
Ius ungue dicit, & exequitur,
Dum pro negata reverentia cruorem poſcit,
& recipit,
Cæsósque ſuper ſtans
Vitam ſimul malè aggreſsis,
Simul animos adimit aggreſſuris.
Vera effigies VIRTVTIS BOICÆ,

Niſi hæc ſæpè minor viribus, viris major,
Tot ſtraviſſet Exercitus, quot ille Cervos.
Mohazienſium in campis peracta eſt
Cruenta Venatio;
Vbi canes, qui agitaturi Leonem advenerant
Agitati à Leonibus ſunt.
Et qui alienum ſitiebant ſanguinem,
Biberunt ſuum,
Propinante largiter LEONE BOICO.
Donec ingenitæ ſitis immemores
Suo in ſanguine exangues corruerent.
Et jam terra cruore lubrica
Inter cadaverum ruinas vix ſtare Victorem ſineret.
Quamvìs ſtare quî poterat,
Quem perpetuo curſu plus ultrà cogebant pergere
Continuatæ Victoriæ?
Vt jam non unum in uno Herculem timeret
Hydra Turcica,
Quæ hactenus vulnerata ſæpè, vulneraverat ſæpiùs,
Inflictas ſibi plagas ſanans populorum excidiis,
Iam ipſa excidio proxima,
Tot minuta capitibus, nunquam renaſcituris,
Poſt repetita toties clavæ victricis vulnera
Faces expectabat,
Queîs funeralem rogum ſuccenderet mortuæ
Et pereuntis cruore expiatos cineres
Euxinum in mare ſpargeret
Illa è Domo Heros,
In qua olim vixiſſet, nunc mortuus;
Imò jam viveret, nunquam moriturus
HERCVLES ALEMANNVS.



XII.

Æſtuante Iulio,
Queîs Cœlum & Terra conflagrat, ardores,
Vtriſque communes ſunt.
Ingreſſo Leonem Sole non ſoli
Portamus diei pondus & æſtum;
Quos in terram dejicis oculos, in cælum conjice:
Et Leo ardet, dum nos ſudamus.
Quos ardores remoti querimur, ille ſentit propiùs:
Nos terminus ſumus, in illo Principium.
Vnde rudis eſt, qui ſub ſidere Leonis poſitus
Dum ardet ipſe,

Frigere putat Leonem ſidereum :
Rudior, qui BOICVM.
Hic vel remotus in ſuis vixit, in ſuis arſit.
Nam Fortuna Virtutem illuſtratura,
Qui ignem daret, Marti, chalybem rapuit:
Mox è colliſis inter ſe gladiis flammas eliciens,
Incendia ſparſit
Quæ multorum, queîs reſtinguenda crederes, vorârunt
Sudorem, lacrymas, ſanguinem.
In domum Cereris,
Poſtquam vacuam Succeſſori Gradivus fecerat,
Migravit Mulciber; nec emigravit;
Donec redactam in pugillum cineris
Difflandam Æolo relinqueret.
Sic primùm ædes inquilinus, mox inquilinum ædes deſeruêre,
Et multis pro anguſto tugurio, tectum quàm vellent amplius,
Cœlum fuit.
Fortunam noſtram ſub Cœlo Patrio,
Senſit ut ſuam Pater Patriæ ſub alieno.
Nemo ardebat, quin ipſe ureretur,
Quæ non vidit oculus, ſenſit animus,
Qui frigere non poterat ad eorum incendia,
Quos non poterat non amare.
Adeò LEO BOICVS,
Dum ardendo amat, & amando ardet,
Verè Leonem Cœleſtem in terra retulit
Ardore, & Splendore
Dúmque faces ardentibus membris Fortuna ſubderet,
Arſit præ omnibus, & eluxit
COR LEONIS.



XIII.

Curam victoria, victoriam cura ſequitur;
Victor incurius
Plus hoſtibus prodeſt, quàm ſuis,
Nec meretur victoriam aſſequi, qui neſcit proſequi
Quin cooperabilis Hoſti victor eſt,
Qui cùm tenet plurima, pauca obtinet,
Parere multa doctus, non tueri.
Indignus, qui vel quadrupedibus imperet,
Quorum Regi
Nemo unquam, quod rapuit, eripuit.
Leo ad prædam æquè, ac prædæ cuſtodiam vigil

Curâ

Curâ ſibi ſecuritatem præſtat,
Et cavendo inſidias ſpem inſidiantibus adimit
Vincendi Victoris.
Quidſi diſcere providentiam non vis à Leone Bruto;
Diſce à BOICO,
In cujus omni victoria
Fortitudo & Providentia de Palma certârunt.
Illa Victorem, hæc invictum reddidit.
Vtraque ſuis numeris Heroëm abſolvit,
Dignum, qui nunquam eſſet ſine victoria,
Quando poſt victoriam nunquam erat ſine cura,
Quâ non tam ſe ſolicitum, quàm hoſtem reddidit,
Qui, quoties MAXIMILIANVS victo detraxit ſpolia,
Non rem duntaxat omnem, ſed ſpem amiſit.
Magnæ Virtutis Magnum Teſtem ſiſto
Grandem Vezirium.
Qui MAXIMILIANVM ſe Majorem fugiendo confeſſus
Magnæ Victoriæ magnam appendicem
Ingentia caſtra reliquit,
Et quod grandem victum oſtenderet, grande tentorium.
Digna Præda,
Quam & Victor acciperet, & victus repeteret,
Niſi idem, qui ademerat, unguis ſervaret.
Sed viſum non eſt ad novas victorias LEONEM cogere,
Quem tacente hoſte ad majores lauros major quotidie
Vocabat Gloria;
Quíque probro ſibi duceret ſterilem peperiſſe victoriam,
Quæ non aliam mox gigneret ſe majorem,
Ac dignam MAXIMO PARENTE.



Carl Remshart fec.

XIV.

Nec à ſe, nec à tramite ſuo abit Cœleſtis Leo,
Cùm it per Monſtra.
Non glacialis Vrſa degeneri frigore pectus inficit,
Ingenito ardore tutum,
Non ponè repens Draco terret ſibilis,
Cor nulli veneno penetrabile.
Monſtrante dentes utroque cane, ſecurus à morſu,
Imbellem latratum ſurdus præterit,
Monſtrísque omnibus, atque chymæris major
Eodem omnia vultu aſpicit, & deſpicit.
Didicit hoc ipſum, vel docuit LEO BOICVS.


Monſtroſa vulgi judicia eodem pede proterens,
Quo cœptis inſtitit.
Eſt nimirum cœleſtium æquè ac terreſtrium ſiderum
Commune Fatum,
Vt tunc allatrentur frequentiùs, cùm fulgent pleniùs.
Ipſa Phœbi ſoror, regníque ſiderei conſors Luna
Cùm pleno vultu nobis placet,
Moloſsis diſplicet,
Qui laudem meritæ iraſcuntur,
Et, quâ poſſunt, voce, convitiantur.
Non tamen ideò vel ponit radium, vel turbat ſerenum
Placidiſsimus Planetarum,
Noctis oculus Cynthia:
Sed ſui decoris retinens, furoris alieni negligens
Pergit, & cœptum illuſtri tramite finit iter.
Summorum nempe eſt, nil infimis moveri.
Hoc nôrunt Superis propinqua ſidera,
Hoc, qui Divos repræſentant, Principes, terræ Numina,
Hoc dignus cœlo inſeri
LEO BOICVS,
Qui neſcire quidem voluit,
Quid rerum ignari dicerent,
Contentus nôſſe, quid ipſe ſui gnarus faceret.
Eorum, qui omnium neſcij omnia judicabant, inſaniam
Vindicavit neſciendo;
Probè gnarus,
Fortem contemptum eſſe regium ultionis modum,
Et Principem non ſolùm nomen ſupra vulgus gerere,
Sed ANIMVM.



XV.

Fruſtra ſalutem,
Quam terra negat, ab undis ſperat præda,
Cui Leo Prædator inſtat.
Facilè, qui cuneos rumpit, undas dividet,
Et fortis contra ferreum torrentem,
Validior contra inermem erit.
Adversùs hos ungues nimis molle vallum undæ ſunt,
Quæ, ſi frigido fugientis timori cedunt,
Certiùs ad inſequentis ardorem diffluent.
Bellicos quidem ardores
Interfluens unda ſæpè reſtinguere,

Siſtere ſemper ſolet,
Nec raró Fluvius exercitus concurrere paratos
Intercurrendo dividit,
Dum utrósque inter medius, amicus unà & inimicus
Armiſtitium opportunè, importunè,
Volentibus facit, nolentibus imperat.
Donec conſpirante cum Virtute ingenio,
Qui vi non poterat, arte vincitur,
Et queîs caput objecerat, Victoribus,
Tergum præbet,
Ac pervicaciam emendans obſequio,
Quos ſejunxerat, conjungit.
Ita *Savum* in hoſtium commodum obſiſtere auſum
Parere in horum damna coëgit
MAXIMILIANVS Archiſtrategus,
Indignè ferens, ab uno fluvio Victoriarum torrentem ſiſti,
Ac triumphale ferrum, quod muris non poſſet, ripis arceri.
Nec tulit, quas hactenus ſine mora retulit,
Differri victorias.
Animavit difficultas, quæ alios abſterruit,
Viam, quam dies clauſerat, nox aperuit,
Conſilia nec Solem ſcire, nec Lunam paſſus
Quidquid à tam claro facinore lucis accrevit Nomini,
Sibi debuit.
Fluminis beneficium, quo hoſtis fruebatur, ſuum fecit,
Spes Barbarorum in undas, queîs nitebatur, diffluxit.
Superatus denique *Savus* ſub ipſum maris ingreſſum
Oceano Patri nuntiare juſſus,
Poſt ſuperata flumina, proximum Victoris Præmium
Oceanum fore.



XVI.

Leonem Cœleſtem non ſuſpiceret totus orbis,
Niſi totum ipſe inſpiceret.
Tot inter populos à nullo ignoratur,
Quia nullum ignorat ipſe.
Sed minus eſt, aſpectum ferre, quàm mores.
Illud Leo Cœleſtis facit: hoc BOICVS.
Eädem oris ac mentis ſerenitate
Diverſiſsimi oris ac mentis populis illuxit,
Quorum adeò non diverſa de Illo judicia fuêre,
Vt, qui odiis inter ſe diſsiderent,
In amore tamen erga unum omnes conſpirarent.

Primos affectus huic suo Delicio impendit Germania,
Cui primos impenderat Ipse
Patriam hanc suam professus.
Quæ deinceps ubique forti, ubique fuit.
Martia Hungarorum indoles, cùm tantum Martis in uno vidit,
Invidit Alemanniæ,
Et Heroëm, qui semper vinceret, deberi credebant sibi,
Qui semper bellarent.
Italia Belli Ducum ingeniis & artibus inclyta
Apertum in uno mirabatur Martis Gymnasium,
Nec discere renuebat, quæ tantus doceret Magister.
Sed Belgico theatro debebatur
Fortitudinis vel Magnos inter Heroës Maximæ spectaculum,
Quod ita in plausus ora, animos in affectus solvit,
Vt stringere non possent arctiùs,
Corpore à discedente, non animis divisi,
Vicaria in comitatum suspiria mittunt.
Nec minoris Heroëm fecit Heroüm Mater & Nutrix Gallia
Oblita *Turrenios*, cùm *Maximilianum* videret.
Nec sola fortitudine memorari dignus,
Meruit tot populorum amores
Varios diversarum gentium tolerando mores,
VLYSSEM non militaris tantùm Prudentia,
Sed civilis probavit.
Vnde nemo VLYSSIS nostri circuitus errores dixerit,
In quibus tot mundo edidit documenta Prudentiæ,
Vnus tolerans mores omnium,
Dignus, quia ferebat omnes,
Efferri ab omnibus.




XVII.

Terrere, non terreri Leones nôrunt:
Objectæ telorum cuſpides acuunt animos,
Non retundunt.
Creſcente hoſtium numero, creſcunt iræ,
Et in ſummo certaminis calore ardent pulchriùs.
Vires ex vulnere veniunt,
Fusóque cruore proprio, accenditur alieni ſitis.
Quem coguntur extinguere,
Quotquot obſtare auſi Leonem cogunt pugnare.
Suorum Principum ſuis in armis expreſsit Imaginem
Vates Boiaria

m Cùm

Cùm impreſsit Leonem,
Sive videns, ſive prævidens ſuorum merita Heroum.
Quorum vel unus inſtar omnium
MAXIMILIANVS
Non uno Leone ſignari meruit,
Qui loco non uno, pluſquam Leoninum robur
Orbi probavit.
Primos auſus Leoninâ indole, virtute, Proſapiâ dignos
Hungaria vidit,
Vetus Chriſtianorum Athletarum, & nobilis Palæſtra,
Hæc quot vidit ſub Duce Bojorum pugnas,
Tot recenſuit victorias.
Fruſtra Barbari poſt cæſa agminatim corpora
Salutis aſylum ultimum, petiêre mœnia.
Ceu, qui fugaverat Duces, timeret lapides:
Et qui ſternere Exercitus potuit, muros non poſſet,
Mutare ſententiam Belgradum coëgit,
Quod cogi, ut ſe dederet, non potuit,
Ne quid laudis detraheret incomparabili victoriæ
Ignavia hoſtium.
Qui quid pro muris egerint, ac tulerint,
Iudicet, qui intelligit, quid in animo barbaro
Ira, odium, deſperatio poſsint.
His Ducibus pugnatum in obſeſſores eſt
Telorum, glandium, ſaxorum imbribus,
Quibus nihil unquam turbatus, ſemper ſerenus
Atque ipſis periculis animoſior ſtetit
LEO BOICVS, probè gnarus,
Nuſquam pulchriùs, quàm in medio diſcriminum
Stare Virtutem.



XVIII.

Quantum Leo in cœlis ardeat, tellus docet,
Quam non ſic ureret, niſi ſic arderet.
Queîs abundat, calores depluit,
Et quibus agros coquit, flammas
In ſe excoquit,
Friget tamen Cœleſtis Leo, ſi conferas BOICO,
De quo dubites,
Suíne magìs abſentem arſerint, an Ipſe ſuos.
Nunquam quid junctis facibus amor ac deſiderium poſsint,
Patuit clariùs.
Obſtupuit orbis,

Sine exemplo ardores eſſe,
Quos orbi in Exemplum Boiaria proderet.
Cujus fides quotidie ut magìs arſit, ſic magìs ſplenduit.
Et antiqua Gentis decora nova luce illuſtravit.
Vt cùm aliis ornamentis nationum nulli cederet,
Fide & amore erga Principem omnes ſuperaret.
Hujus unius memores ſeipſos oblviiſcebantur
Ex tot calamitatibus, quæ Patriæ Corpus vexabant,
Dolebat una,
Quæ Caput involverat.
Si quas dedêre lacrymas, non ſibi,
Sed Principi dedêre,
Amiſſo, & recepto.
Illas dolor, has gaudium elicuit, ſemper uberes,
Ac dantis pariter, & accipientis pietate dignas.
Nam certi erant,
Non amare ſe magìs, quàm amari,
Et quî poterat unus omnes accendere,
Qui non arderet?
Mutuus calor mutuos fovit ignes,
Diviſio conjunxit arctiùs,
Regionum diſtantia locum flammæ majori fecit,
Quæ continuis exſuſcitata ſuſpiriis
Excrevit in incendium,
Quod extinguere nemo unquam potuit, nemo voluit.
Adhuc flagrant Boij omnes,
Accenſi à ſui Leonis ſidere.
Vtriſque gratulare, qui vides:
Eſt dignus Princeps, qui ſic accendat,
Dignus populus, qui ſic ardeat.



XIX.

Leonem eſſe, ſe meminit Ferarum Rex,
Et cùm ferit, & cùm parcit.
Lædente nemine iraſci nec ferarum eſt:
Si provocaris, Regium.
Et refert, in quos iram Princeps colligat,
Collectam dividat,
Ne, quæ Majeſtatem tueri decóra poterat,
Indecóra deprimat.
Minores feras, magnitudinis ſuæ memor Leo
Indignas judicat, queîs indignetur.

n Nec

Nec in magnas ſurgit, ſi non inſurgant ipſæ,
Illæſus illæſas præterit:
Vrſi, Tygrides, Moloſsi eandem, quam catelli habebunt pacẽ,
Niſi bella malint,
Quæ Leo, quàm difficilis init, tam finit facilè;
Nec ab ullis faciliùs, quàm à victis
Poſt victoriam vincitur;
Vitam concedens cedentibus gloriam,
Ac tantùm iraſcens iraſcenti.
Niſi tam ſapienter iraſcentem ſapere natura vetuiſſet,
Crederem iræ ſeu admittendæ, ſeu remittendæ
Magiſtrum habuiſſe LEONEM BOICVM.
Præ cujus ira, neſcio, an aliam
Vel magis hoſtes, vel minùs formidaverint.
Nunquam ille, niſi cùm Honor poſceret,
Iraſci vel cœpit, vel deſiit,
Indignationi locum, tempus, modum virtus præſcripſit,
Quam in ipſo victoriæ tumultu pacatam
Semper cum Victore, imò ſupra victorem eſſe
Non aſſueta his ſpectaculis Barbaries obſtupuit.
Capti Belgradi triſtes reliquias in arce timor clauſerat:
Qui ſuo merito, vel furore ſpem metiebantur Barbari,
Salutem deſperaverant,
Sed cùm Barbarum nihil in vultu Victoris legerent,
Cujus fortitudinem exploratam jam habebant,
Explorârunt Clementiam.
Qui proſtratos erigi, vivere ſemi-mortuos juſsit,
Nec aliud jam dolentes,
Quàm quòd victoriam diſtuliſſent,
MAXIMILIANO VICTORE
Etiam victis optabilem.



XX.

Leonem cœlestem sua luce dignum
Luce indigna probant.
Si hæc declinans, avarus luminis prodesse paucis vellet,
Obesset omnibus.
Nec digna super astra tolli liberalitas esset,
Quæ vellet deberi.
Deberi autem beneficium creditur, cùm meritis datur.
Nec gratiam facit, qui gratìs non facit.
Terræ est, gravi laborum pretio favores vendere,
Cœli, vel in otiosos spargere.

Solem omnibus cognitum quàm pauci nòſſent,
Si tantùm luceret luce dignis.
Iam, quia inæqualia promeritis æquales indulget radios
Æqualiter amatur ab omnibus;
Nam nemo certiùs invenit favorem omnium,
Quàm qui ſua non quærit commoda,
Sed omnium.
Tunc in ſupremo culmine conſiſtit gloria,
Cùm ſummum gradum conſcendit Virtus
Faciendo benè, vel malè merentibus.
Tunc ſupremam accepit manum Liberalitatis Regiæ Imago,
Cùm lucem illuſtriorem reddit umbra,
Et dantis dignitas creſcit ab accipientis indignitate.
Ita ſæpè crevit, quæ creſcere non poſſe viſa eſt.
BOIORVM PRINCIPVM Liberalitas & Clementia,
Quàm magnis Majorum exemplis claram accepit,
Majoribus auxit MAXIMILIANVS,
Qui cùm in rebus aliis teneret modum,
In animi amplitudine non tenuit
Complexus non tantùm, quos debebat, benè meritos,
Sed, queîs ipſa Virtus nihil debere videbatur,
Etiam nihil, vel malè meritos.
Ne ſoli decus eſſet ſingulare Soli
Bonis oriri, ac malis,
Effecit MAXIMILIANVS EMMANVEL.
Qui cœlum terris inferens, benè merendo de malè meritis
Inſtar Numinis agnoſcitur ignoſcendo.
Privata ſolitus donare Publico,
Et bonus eſſe non aliorum virtute,
Sed ſuâ.




XXI.

Dominum Populi, Regem Virtutes faciunt.
Etiam in Quadrupedum Republica
Eædem dotes Leoni Regnum, quæ reverentiam conciliant,
Dum, quæ in ſe vident, non vident in illo vitia,
Ac virtutes, quas fruſtra optant, in uno mirantur,
Facilè uni parent omnes,
Tótque virtutum ſuffragiis contradicere velle
Rem vel brutis indignam putant.
Quæ ornamenta ſuo in Rege amant pecudes,
Sæpè in ſuis Dominis ſuſpirant homines.

O Qui

Qui ſuffragium ad dignitatem multi nullum haberent,
Si à virtute peterent.
Adeò, quibus pretium facit Purpura,
Non ſemper faciunt Purpuræ.
Privilegium eſt,
Paucis commune Gentibus, Vni ferè BOIARIÆ proprium
Principes ſibi omnes naſci, dignos ab omnibus,
præ omnibus eligi,
Quique naturæ nomen Principis,
Dignitatem Virtuti debeant.
Felix arbor, quæ pro radice virtutem habet,
Quod fructus tot ſæculorum cenſurâ laudati,
Et nunquam ſibi diſsimiles probant.
Digni, qui excitarent tot populorum orexin
Paſsim SVRCVLOS ab hac ARBORE poſcentium.
Celebriores per Imperium Romanum Infulæ,
Nunquam ſibi videntur ornatiores,
Quàm cùm BOIOS ornant Principes.
Ipſa Bojaria ſe credit mortuam,
Cùm abeſt ille, pro quo mori vitâ dulcius,
Sine quo vivere morte durius omnes putant.
Redeunte uno ad ſe redeunt omnes,
Ad unum omnes abituri,
Niſi incertos firmâſſet certa ſpes,
Cum PATRE PATRIÆ redituram Patriam,
Quam non Terra Boijs, ſed Princeps facit.
Belgarum Populi
Dum videntur Principem dividere cum Boijs velle,
Penè totum retinuêre.
Tam glorioſè BOIVM PRINCIPEM ab aliis
Summa Principum Gloria,
Populorum amor diſtinguit.



XXII.

Cometarum eſt, incerto per cœlum errore
Certa erroribus denuntiare ſupplicia,
Et fuſis ſine lege comis, Præficarum more
Præire ad luctum.

Meliorum ſiderum, certo tramite
Certam mortalibus ſalutem ferre.

Talis in cœlo, talis in terra
Fauſtum utrinque Boiariæ ſidus LEO,
Neuter unquam mutare tentavit iter,
Quod immutabilis præſcripſit;

Nec errantia ſecutus ſidera, ſuo uterque in gradu ſtat,
Etiam cùm cedere videtur.
Tanti refert, humanos inter errores, Ducem ſequi,
Qui, quòd omnia ſciat, errare neſcit,
Et voluntatem videntis omnia & providentis Numinis
Feciſſe ſuam.
Huic uni Ariadnæ
Planus eſt Labyrinthus omnis,
Nec fallere te poterit à manu falli neſcia porrectum filum,
Niſi rumpere malis, quàm tenere.
Huic quiſquis confidit Theſeus,
Nil opus habet Dædalo,
Aut malè ceratis Dædali, nec duraturis artibus,
Quæ cùm ad Solem te lucémque eduxerint,
Præcipitant
In ſalſas tandem aquas defluente artificio,
Nullo alio artifici relicto laboris pretio,
Quàm, ut quæ de alio cantatur fabula,
De ipſo olim legatur hiſtoria.
Quamvis & Boicam quondam qui legerint Hiſtoriam,
Fabulam ſe credent legere,
Quia ſupra fidem videbitur eſſe virtus,
Quæ ſine exemplo fuit.
Hæc, turbatîs omnibûs imperturbabilem reddidit,
Quia in DEum tranſtulit,
MAXIMILIANVM.
Qui ad Majorum imitationem, Poſterorum admirationem
Oppugnantibûs fatîs inexpugnatus conſtitit,
Quia ei, cui fruſtra obſiſtitur,
Nunquam reſtitit.



XXIII.

Prædaturo Leoni viam
Non aliena infirmitas, ſed propria Virtus facit:
Exercent virtutem objecta repagula,
Non coërcent.
Quod nunquam ita mundus vidit in Leone Marmarico,
Vt obſtupuit in BOICO,
Quem arte naturam non imitari, ſed vincere docuit
Naturâ & arte major Indoles,
Et ſupra Indolem Magna Virtus.
Præruptâ Rupe
A ſuperimpoſitis munimentis manus,

Ac penè oculos arcere tentavit,
Naturæ & artis ſociata potentia;
Sed artibus artem aggreſſus, & ſupergreſſus eſt
MARS BOICVS.
Namurcenſes Foſſæ & aggeres,
Seu valles dicere, ac montes mavelis,
Claudere LEONI BOICO potuerunt aditum,
Non occludere.
Inſilire ſuos valla eo loco juſsit,
Vnde alii reſilirent omnes,
Quibus pro Duce & exemplo non eſſet Exemplar Ducum
MAXIMILIANVS.
Hunc præeuntem ſequi ad ardua
Nemini arduum,
Hoc difficultates exemplo complanante, invicta vincere
Nemini difficile fuit.
Terras, undas, ignes,
Accenſa Gloriæ facibus Virtus domuit,
Elementis adversùs Elementa uti,
Aggeres aggeribus dejicere,
Ignes ignibus reprimere,
Pridem didicit, pridem docuit.
Germani, Hungari, Belgæ, Itali, Galli,
In dejectis munimentis, ceu monumentis legunt,
LEONE BOIO tentante viam, nihil eſſe invium.
Hannibali parem dicerent,
Niſi diſparem in uno cernerent.
Nam rupes Hannibal aceto,
MAXIMILIANVS
VIRTVTE ſolvit.



XXIV.

Dum Cœlum ſtetit Virgo Leoni adſtitit,
Et Leo Virgini,
Non avellendus
Niſi cùm convelletur è ſuis cardinibus evulſus orbis.
Niſi ſolutâ rerum naturâ, non ſolvitur nexus,
Quo ſtringit VIRGO LEONEM, LEO VIRGINEM,
Cœleſtis Cœleſtem, BOICVS BOICAM.
Nam
Cur BOICAM verear dicere VIRGINVM VIRGINEM?
In qua una ſperat, & ſpirat
Boiariæ Cor & Caput
MAXIMILIANUS. Qui

Qui, ne Mars, vel Matres à filiis dividere solitus
Leonem separare à Virgine posset,
Secutus Martem, quocunque vocaret,
Vbique LEONEM in pectore,
VIRGINEM in Vexillo circumtulit;
Imò & Hanc LEONI in pectore ardenti conjunxit,
Non gestaturus in labaris, nisi in animo gereret.
Hunc animum ab iis hausit, à quibus sanguinem,
Bojos Principes tunc verè confessus Parentes,
Cùm VIRGINEM hanc Matrem dixit.
Cujus ut digno pretio affectum Majores emerent,
Obtulerunt sanguinem suum & suorum.
Qui etiam largus in calamum fluxit,
Cùm olim suo, & suorum nomine
Mutui affectûs contractui subscripsit
MAXIMILIANVS
Hoc Nomine,
Imò plurimis nominibus, & præsertim Boico in Virginē affectu
Vel inter BOIOS PRIMVS
Nisi hoc etiam Titulo secundus esse nolit
Noster ille, rebus gestis, & omnium votis Secundus
MAXIMILIANVS.
Cui ut se probarent Patre dignos
Serenissimi Filij,
DOMVM suam redire jussi, OETINGAM ivêre.
Vel hinc nôsses ad DOMVM LEONIS hęc pertinere sidera,
Non cœlestis illius, sed BOICI.
Nam ille, viciniâ contentus, non cedit Domum Virgini.
Iste suam, quanta est, & erit, offerens,
(Vt Dominam, non Inquilinam scias)
Vult esse DOMVM VIRGINIS.

EIDEM

EIDEM
VTRIVSQVE FORTVNÆ
DOMITORI
MAXIMILIA-NO
EMMANUELI.

CARMEN
EPICVM.

NIL TRIBUAT FORTUNA SIBI. Quem, Patria, SOLEM
Aſpicis ex longa tibi denuo nocte reverti
Formoſum, ſimilémque ſibi, vultúque priore
Spargere honoratum per Boica rura ſerenum,
Ac Urbes intrare Tuas non impare greſſu,
Quô Superi incedunt, non hunc Fortuna reduxit,
Non Fatum, Caſúsve. DEUS, DEUS arbiter Orbi
Præſidet, & ſortem populis diſpenſat utramque.
Si neſcis, jubet ille tibi Dominúmque, Ducémque
Reſtitui, qui dura ſolet miſcere ſecundis,
Læta malis, in utrisque Pater. blandùm ille ſeverus

Et ferit, & parcit. Complectere, Patria, Dextram
Tam placidè fortem; cujus jam ferrea pulſu
Sæcula formantur, mox, ſi lubet, ære recuſo
In pretium, meliore ſolent ridere metallô.

Ecce autem, ut pleno tibi gaudia cæpta favore
Continuant Superi! poſt vulnera MAIOR & iras
ÆMILIANUS ADEST. qualem, qui creſcere duris,
Inque ſuas odium novit convertere laudes,
Alciden rediiſſe ferunt, poſtquam aſtra Deóſque
Imponens humeris, feſſum ſupplevit Atlantem,
Et vinci didicit cœlum quoque poſſe ferendô.

MAIOR ADEST. quid lenta ſtupes? quid credere tanto
O felix nimiùm dubitas, Boiaria, voto?
Vox populi diverſa ſonat, ſed vox tamen una eſt:
Ipſe venit, MAIORQUE venit. Sic plena loquuntur
Mœnia: ſic tremulæ ſpectantûm pondere turres.
Hoc loquitur natis, & in hæc ſibi gaudia vitam
Lætatur durâſſe parens: hoc mixta puellis
Narrat anus, reducémque intento pollice monſtrat.
Tu dubiis ultrà torquebere, Boica, votis?
Aſſurge, & quantus redeat, quo, ſuſpice, curru;
Quæque triumphantem præeat, quæ pompa ſequatur.

An potuit major Capitolia ſcandere MAGNUS?
Sic ad Tarpeias Numidis comitantibus arces
Scipiadæ potuêre duces, Mariíque reverti?
Ipſa ſuum potiùs tunc viſa egiſſe triumphum eſt
De tantis Fortuna viris: cùm non ſine rixa,
Quas ſpargit, rapuêre nuces, & mille ſubirent
Tam turpis Dominæ miſeri faſtidia ſervi.

At nunc ſciſſa comas, & utroque miſerrima vultu
Ante coronatos reducis FORTUNA curules
Principis ingreditur: qualis Capaneia Conjux
Ante tuos ibat, Theſev, cùm victor Athenas

Lau-

Laurigeris veherêre rotis. Flens lumina retrò
Sæpè refert; &, quanta ſuo res acta ſit Hoſti,
Aſpiciens, tacita incuſat ſeſeque, Deósque,
Quos ſenſu ambiguo vel nullos antè putabat,
Vel noſtrî ignaros. Sic mutis luctibus iram
Succendit, rurſumque dolorem exaſperat irâ:
Ut dubites hoc in vultu, magìs ira dolere,
An dolor iraſci diſcat. Sed denique rumpunt
Cordis iter, vocíque viam ſuſpiria laxant.

Dicam, inquit, Te, méque invitîs: Feſſa jubendô
FORTUNA eſt, non Tu, PRINCEPS, defeſſus agendô.
Sic Superi juſsêre: lòquar. Vix quattuor ibant
Luſtra Tibi, prima inſcripto lanugine malas:
Perpetuos vitam cùm diſpoſiturus in annos
Jam tentas tentanda viris; parvúsque videri
Sentiríque ingens, dignum alto ſanguine robur
Exeris; immanes jam tunc ſub corde fatigans
Curarum fluctus, jam tunc meditatus aperto
Credere te campo, mediíſque inferre periclis
Cœlo teſte caput. Qualis Maſſylus ab antro
Dum catulus prodire ſolet, primæque laborat
Veſtibulum ætatis magno tranſcendere paſſu:
Cui juba jam denſis circùm ſublimia villis
Incipit intonſam ſuſpendere tempora nubem;
Erigitur, generíſque memor, ſua reſpuit antra,
Reſpuit imbelles latebras, campíſque minatur,
Et prædam, quam neſcit adhuc, avido impedit ungue.

AUSTRIACIS primam in campis tibi GLORIA palmam
Sevit, ut in ſilvam tecum creſcente vireret,
Totáque victricem properaret tangere dextram.
Quantus eras, dum vel media formoſus in ira,
Huc obverſus & huc, partes diviſus in omnes
Thracica fulmineô ſecuiſti cornua ferrô,

Æquâstíque suis ingentia vulnera membris!
Vidit, & obstupuit, per te jam libera, PRINCEPS,
Austriaci regina soli, agnovítque VIENNA
Heroas reliquos Heroe latere sub uno.
Vidit, & invidit robur FORTUNA. Fatendum est!
Ipsa ego tunc mediis, quà Mars densissimus urget,
Mista viris, ut plura darem vincenda, Getarum
Hos illósque tuis objeci sæpiùs armis.
Sed magìs incaluit fuso tua sanguine virtus:
Inque cruentato pulcher tu navita campo
Insolitæ laudis meruisti tangere portum.

Quid plures doleam non longo tempore messas
Laurorum per te segetes? STRIGONIA, rupe
Ac animìs dejecta, cadit; CASTROQUE jubentur,
Quod tenuêre, NOVO, veteres migrare coloni.
BUDA ruit, meruítque capi sub PRINCIPE TANTO,
Quæ sic restiterat. qui solvere debuit urbem,
Obsessæ spectator erat, testísque subactæ.
Decolor inde tibi, PRINCEPS, fumantibus ivit
DRAVUS aquîs, PONTEMque suum indignatus & ignem
Prælusit vicina tuis, ESSECKIA, fatis.

Sensisti crevisse tuos ætate triumphos
Et famâ. hæ peragunt ambæ tua bella sorores:
Agnosci vicisse tibi est, crevisse triumphus.
Postquam SICLOSIIS senior jam miles in arvis
Ipse tuo partas aspergens sanguine lauros,
Me quoque cum Turcis superâsti, Maxime; Victor
*TAURUNUM ingrederis, quod sub te milite captum est
Et Duce. Conveniunt hæc in te munia, PRINCEPS:
Tu tua jussa subis; præscribis agenda, facísque.

Atque hæc tanta brevì. quæ cernis mœnia, cingis;
Expugnas nutu: cunctatorémque Gradivum
Pertæsus, lapsam pugnandô restituis rem.

* Taurunum veteribus, quod nobis Belgradum. Ptolomæus vocat Taururū. Plinius Taurunum.

Et

Et vinci, hoc pugnante, juvat, qui cætera vicit,
Nunc ſeſe, quæ reſtat adhuc victoria, vincet.
Dum Tuus, O PRINCEPS! murîs ingreſſus apertîs
Jam captam miles (neque tunc ſine lege) per ALBAM
Funditur, & Bavari volitant per compita Rhombi:
Incertas, peteréntne fugam, veniámve, Getarum
Triſtes relliquias valida timor abdidit arce.
Hîc trepidant miſeri, & mentem pallore fatentur,
Exſpectántque ſui gladium Victoris & iram.
Velle putant, quodcunque poteſt. Sed more Leonum
Parcere proſtratis ſolitus, Tù vivere victos
Juſſiſti. graviora potes, ſtatuíſque minora.
Quid quòd turba tibi, viſu miſerabilis, altum,
Quem nec ego potui, nec tot potuêre labores,
Excuſſit gemitum, & victo tu victus ab hoſte es!

O! cui vel rigidum didicit manſueſcere ferrum,
Inque ſua gladios Clementia cote retundit,
DUX melior, meliórne PATER! Tu, Magnus ubique.
Viſus es hîc Major. per Te Victoria victa eſt.
Hæc ſoli tumidos novit tibi ponere fluctus,
Cùm domitæ plenis torrentibus incidit Urbi
Littoris impatiens. Geſtorum hæc ſumma tuorum eſt,
Hæc tua laus: vincis, PRINCEPS, ut parcere poſſis.

Quid reliquas, veniam vel deditione merentes,
Vel dignas cecidiſſe mei Victoris ab enſe,
Et ſuper everſis tumulatas mœnibus urbes,
Quáſque magìs, DUX SUMME DUCUM, tibi vincere promptum eſt,
Quàm mihi de victis lugere, & perdere fletus,
Commemorem? partem refero? quodcunque tacebo,
Majus erit. totum, Superi, meminiſſe jubetis?
Obruor, & laudum decumanis mergor ab undis.
Ah ſatìs in noſtros hæc ſit narrâſſe dolores,

Cætera nunc ipsi referant miracula Thraces:
Dignáque si cupitis, Superi, de PRINCIPIS actis
Ora loqui, centena loqui permittite, Victor
Quæ meus in victis feriendô fecerat ora.

Quæ Rhenus memoranda dedit? quæ Scaldis? ubique
Destinor infelix aliis FORTUNA triumphis:
Dum nihil, O Princeps, actum tibi credis, agendum
Si quid adhuc superest. Cùm tot mihi Principis acta,
Tot mihi pro lacrymis undas suffecerit Ister,
Quid Scaldin Rhenúmque peto?

Plura loqui voluit: lacrymæ vetuêre volentem;
Lacryma nunc vox est, oculorum labra loquuntur.

Nec desunt flendi Sociæ. non debuit omnî
Tanta satellitiò vel nunc Regina carere.
Insequitur, vitium rebus solenne secundis,
Tristè gemens Tumor, & vultum pro tempore vertens.
Tum, manibus vinctis, & compede tracta sonanti,
Absque supercilio, nullis effulta cothurnis,
Spectantes in semet agit, propiúsque jugales
Ingreditur, fracto peritura Superbia collo.
Ponè METUS, fratérque PAVOR, vigilésque QUERELÆ,
Ac molles GEMITUS (blandam dum fortè retorquet
Perfida sors faciem) timidóque IGNAVIA vultu,
Planctibus unà omnes implent muliebribus auras.
Cætera quid memorem longis innexa catenis
Agmina, & ultrici Virtutum cæsa flagello:
Quæ meus è curru Victor dum despicit alto,
Tot testes, hostésque sui simul ire triumphi
Spectat, & ex fremitu satìs arguit ille dolentûm:
Esse aliquid sibi grande, quod hostes urat, & ægris
Luminibus nimia Virtutis Luce resistat.

Tu

Tu mihi nunc oculos unus, qui pectora pridem,
ÆMILIANE rapis, Quæ mundi digna Theatrô
Ora refers! prô quale decus, quantúsque serenæ
Majestatis honos! facili quàm grandia risu
Gaudia dispensas! quæ mansit gratia fronti,
Qui soles ardent oculis! Vos O mihi Soles
Este boni! dum, quos olim spectâstis & ipsi
Et primi, grandes animos, vestríque LABORES
HERCULIS in cavea velut, ingentíque Theatro
Luctantis cum SORTE MALA, nunc impare versu,
Cantare aggredior. tot noctes inter & umbras,
Quam mea non possunt accendere carmina lucem,
Vos date; vos nigro radium indulgete theatro:
Ut meus è tenebris illustrior emicet *Heros*.

Altera fortunæ nunc panditur; altera versis
Rebus adest facies, vincas PATIENDO necesse est
MAXIME! nunc tanti mensuram Nominis imple,
Nunc agitur, qui sis. nullos tibi fama curules
Instruet; impositam repetet Victoria Laurum,
Si nescis adversa pati. TE PRINCIPE dignus
Hostis hic, hæc pugna est; tibi factum ad vulnera pectus,
Fatorúmque capax. Tua nunc, Palinure, procellas
Inter, & à propriis eversum sedibus æquor
Ars pateat. Tuus iste dies est: exere vires,
Utere Te toto, PRINCEPS; ingentia quæque
Ni tuleris, reus es famæ, sortisque prioris.

Sic VIRTUS hortata DUCEM, clypeúmque dedisse
Creditur, & clavam: quantam nec gesserat, ille
Regibus & populis, & tota major ab Hydra,
Amphitryoniades. neque enim de quolibet illa
Trunco cæsa fuit, plebeiæ filia silvæ:
Sed palmam, matrem: patriam sibi novit, Idumen.

Quam tibi dum Virtus clavam (ſua ſymbola) tradit,
Addidit & Lemma hoc: *Erit hæc quoque cognita Monſtris.*

Jámq; horrendum, ingens, duplex cui lumen ademptum,
Nudatæque rigent conſumpto pectore coſtæ,
Falce minax, informe genas, vivúmque cadaver,
Huc gradiens, lentos ſuſpendit in aëre paſſus:
Improba SORS cultu, SORS voce ſimillima Morti
Dira tuo, PRINCEPS, intentat funera NATO!
Illa rotat ferrum, teneróque fluentia byſſò
Penſa ſecat. Joſeph tuus occidit! occidit eheu,
Vix benè qui cœpit vivendô noſcere vitam!
O fluxæ, ſempérque breves, & labilis ævi,
Nec ſoli jam, Roma, tibi, Flaviíſque dolendæ,
Orbis deliciæ! tot regnis natus & aulis,
Et ſceptrum jam tunc meritus; jam vincere viſus
Uno *Patre* minor Proavos, virtutibûs annos:
Patris amor, Patriæ ſpes unica: dignus, ut olim
Germine magnanimo ſolem complexus utrumque
Reginas pareret, Reginarúmque maritos:
Nil peperit præter lacrymas! O cura PARENTIS!
Heu nimis aut ſerò aut citò nate! O ſæcula dignus
Vivere: nunc tantùm ad luctus oſtenſe tuorum!

Par dignum ſpectante Deo: VIR FORTIS iniquæ
Compoſitus SORTI! Te, Te per vulnera Nati
Impetit, O PRINCEPS, & in uno funere duplex
Molitur: de Mente tua FORTUNA triumphum
Ducere, vel funus ſperat. Sed neſcius umbris
Cedere Tu, & pulchri pretio percuſſus Honeſti
Objicis incoctam generoſo robore mentem,
Téque tua virtute tegis. Tu te ipſe minaris,
Et ſolus tibi caſtra facis, nec pluribus impar,
Nec quidquam mortale ſonans: poſt funera vivit
Illé meus, vivit. ſteriles procul ite querelæ,

Ite

Jet leves gemitus: ridet vos ille, nihílque
Ex vobis, niſi cauſa, placet. ſi navita tutus,
Mollia quid proſunt fractæ lamenta carinæ?
Illum Portus habet; nos altum ſcindimus æquor,
Nos inter cœlum medii jactamur & undas:
Quid juvat ex oculis quoque, fluctibus addere fluctus,
Et gemitu duplicare Notos? His vocibus aulam
Erigit, & ſolus non flet. per damna necésque
Creſcit, & in quovis didicit ſuus eſſe tumultu.

Huc, O Fama, tubas, huc, Gloria, verte jugales,
Túque novam Domino, Victoria, necte coronam!
Non niſi paucorum eſt decus hoc: in morte ſuorum
Vivere, & in vultu nullas oſtendere noctes;
Indignum nil poſſe loqui; non prodere vulnus,
Et qui ſolari veniunt, animare dolentes.
O PRINCEPS mundi famam conſumere dignus,
Dignus in unius tu nati funere, QUINTUS
Ut ludat Bavara tibi MAXMILIANUS in aula.

Qua dignum te laude feram, dum cernis eodem
Quo nati mortem, Patriæ quoque fata ſereno,
Compoſitus, ſempérque tuus? Sileámne labores
Quos tecum tulimus: lædi ne triſtibus auris
Se putet? an potiùs dulce eſt meminiſſe? canamus.
Horrida quæ nuper te, DUX, abſente fuerunt,
Te redeunte placent: ſunt ipſa pericula tanti!
Sic poſtquam rebus nox abſtulit atra colorem
Sole ſuum mergente caput, quot fingimus umbras?
Quot manes patimur? croceo ſimul atque cubili
Surrexit, puróque caput Sol pexuit auro,
Ridemus, noſtrósque metus narramus & umbras.

Quis tibi poſt fortem, DUX ingenioſe, receptum,
Qui nunquam minus artis habet, quàm vincere, ſenſus:
Dum medios ſecuit pejor FORTUNA triumphos,

Túque procul patriæ gremio, amplexúque tuorum,
Inciperes alio ſub Sole ſeneſcere, PRINCEPS?
Sunt mihi, ſunt, inquis, comites bellíque, fugæque
Atque inſtar Patriæ: mea me, quà tendo, ſequetur
Virtus & Ratio, Recti tenor, ardor Honeſti,
Frónsque, ſuô nubes inter riſura ſerenô.
Sic nuſquam privatus ero. latiſſima mecum
Regna fero, quocunque feror. ſi patria deſunt
Mœnia, ſi mundus fugienti deficit, in me
Mundus erit; teneo, quidquid non ambio; quidquid
Sperno tui, Fortuna meum eſt. Everte penates,
Externas populeris opes, nihil abnuo. Tolle
Quod breve depoſitum dederas: mihi grandior intùs
Et Dux, & ditio, quàm tu mihi tollere poſſis.
Nil agis, ipſe mihi ſum Dux, ſum Patria, & à Me
Poſſeſſus mihi ſufficio. ſi plura requiris,
Sunt gnati, eſt Conjux. Cur non ego fortiter orbus
Dimidia poſſim noſtrî quoque parte carere.

O animum! O voces, hoc ore, hoc pectore dignas!
Quas per utramque domum, quà Sol oritúrque, cadítque
Altior ingeminet vivaci murmure Fama.
O ſortis cujuſque capax, O nuda videri
Pulchrior; O mundi civis, nihil indiga *Virtus*,
Sed propriis animoſa bonis! nunc denique mundus
Et quæ ſis, & quanta, videt; velóque remoto
Aſpicit, & laudat formam. *Fortuna* receſſit,
Sola places: jactura lucro eſt, & plaga decori.
Omnia tu tecum portas; tu quolibet orbe
Aut patriam facis, aut reperis: Ithacúmque ſequenti
Pars laudum eſt errare tibi, tu littora quævis,
Tu Libycos æſtus, & quos tibi Thabraca ſaltus
Objicit, & gelido damnatam ſidere Thulen,
Tu nondum poſiti tangas diſcrimina mundi:

Orbe


Orbe tuo ſemper, mundi ceu nobile Sidus
Verteris, éque tuo ſpectas mortalia cœlo.

O igitur *geminæ* Domitor fortiſſime *Sortis*,
Nulla parte tui major, cùm blanda faveret;
Nulla parte minor, cùm ſummis verteret ima:
Scande triumphalem, quem vel tibi Fama paravit,
Fortunâ jungente rotam, vel *Gloria* currum.
Aut potiùs, quem noſtra tuis ſpumare lupatis
Muſa jubet, famulas indulgens Pegaſus alas
Sentiat, O PRINCEPS! tua verbera: ſentiat, aurô
Inſtratus, quantùm Domino portetur in uno.
Sic Feſtos inter fremitus, lituóſque ſonantes,
Martiáque artifici diſploſa tonitrua nube,
Inter & effigies, deſcriptáque facta tuorum
Et Tua, pérque ipſis æquatos nubibus arcus
Ingrediêre Tuam, PRINCEPS, ſublimior aulam:
Non qualem in medias tectis immanibus auras
Magnificus ſuſpendit avus, quam mille ſedentem
In trabibus, poſtquam multo veſtiverat auro
Picta pati juſſit Sinici quoque frigora ſaxi.
Eſt aliquid majus, quod nos DOMINOque, PATRIque
Offerimus: dignam Te PRINCIPE pandimus aulam,
PECTORA. Quid melius poſſis, aut poſcere PRINCEPS,
Aut dare nos? multi affectant hæc atria Reges,
Sed pauci reperêre viam. non fraude, nec armis,
Quiſquis es, huc ibis; non extorquebis amari,
Incuſſóve metu tibi ſubdita pectora pandes.
Qui terret, plùs ipſe timet, Ducibúſque ſeveris
Nulla minùs tuta eſt, alieni pectoris aulâ.
Solus in hanc perducit amor, vultúſque ſerenus,
Et quæ ſola Diis æquat Clementia Reges.
Huc eadem ducit te, PRINCEPS optime, *Virtus*;
Hîc ſolium tibi ſtruxit amor, plenáque timendus

Excubitor pharetrâ te, DUX, ſtipabit, & unus
Grande ſatellitium faciet: quo tutior uno
Milite, tu magnum fatis oſtendere pectus
Fortunæque potes: ſeu te mollire ſecundis,
Frangere ſeu duris, & perdere cuncta laboret;
Quàm ſi mille viri, ſi circumſtantia tela
Defendant utrumque latus, ſubitíſque jubenti
Surgat ad obſequium campus bellator in armis.

Ergo ſi quis amor noſtrì Te, *Maxime*, tangit:
Quò Patriæ te vota vehunt, Superúmque favores,
Ingredere, ínque animis pompa meliore triumpha.
Hæc, quò grandis eas, tua ſint Capitolia, Victor;
Æternos hîc vive dies; hîc vota tuorum
Hîc PATER audire, hîc PRINCEPS, hîc fortior Atlas
ÆMILIANE velis, qui cœlo colla ruenti
Subjiciat, pulchrô mundum fulcire paratus
Vulnere; *Fortunæ* ſcopulus, ſed proximus aſtris;
Præteritis major Ducibus, venientibus auctor:
Quem deceat blandæ, quem triſti porgere vultum
Fortunæ; quos ferre animos, quas mittere voces
Te PATRE, Te PROAVO dignas. hîc denique ſupplex
Alciden Te Terra ſuum miratur, amátque;
Et quæ ſit laudum, PRINCEPS, ſuprema Tuarum:
Tam Tua, quæ pateris, quàm quæ facis, Orbis adorat.

THE-



...smus Asam delin. Monachij. *Johañ Iacob Kleinschmidt Sculps Aug. Vind*

THERESIÆ KUNEGUNDI,
REGIÆ POLONORUM PRINCIPI VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, ac ELECTRICI, &c. &c.
HEROINÆ,
IN VTRAQVE FORTVNA CONSTANTISSIMÆ.

ORATIO.

ADes & Tu, Magnarum Mentium Idæa, Maximorum Heroum Filia, Conjunx, Mater, KUNEGUNDA THERESIA. Ades, & omnium Principum Fæminarum una locum inter Heroas cape; poſtquam animos gerere Te fortibus Viris dignos probavit invicta, & longè ſexum ſupergreſſa Virtus. Invidebit Te nobis, tot virtutum ſpectaculîs plus, quàm theatrorum ſuorum pompîs capta Venetia, quæ, ex quo Te Hoſpitem accepit, non habuit, quod admiratione dignius monſtraret ſtupentibus exteris. Niſi forſan hoc ipſo nomine Te minùs ægrè dimiſit, ne poſthac eſſet aliquid, quòd Venetiis homines ſupra Venetias mirarentur; quamvis non ita totam Te dimiſerit, ut non in tua Te ſaltem retineret Imagine. Imò tot apud ipſos tuæ vivunt Imagines, quot homines, in quorum omnium animis veram Tui effigiem vivis Heroicarum actionum colori-

bus Tua Virtus expreſſit, digna, quæ poſterorum exemplo in ære vel marmore vivat in medio Adriæ, niſi minùs convenire videretur, in inſtabili elemento velle ſtatuam collocare CONSTANTIÆ. At diu ſatìs peregrinos oculos animósque tenuit Domeſticum Boiariæ Decus: rediit cum ſplendidiſſimo Patriorum Numinum choro ſuum ad Cœlum coronata oleis Minerva, quæ pace non magìs, quàm bello ſe dignam probavit, quam Jupiter Polonus gigneret, Mars Bojus ambiret in Conjugem. Nempe ut ſecundus iſte noſter MAXIMILIANUS, Primum illum non manu tantùm, ſed conſilio repræſentaret, SALOMON eſſe debuit, qui eam ſibi MULIEREM quæreret, CUIUS PROCUL, & DE ULTIMIS FINIBUS PRETIUM eſſet. Quòd ſi fortis eſſe debuit, alia, quàm KUNEGUNDA THERESIA eſſe non potuit, cui Natura, Heroëm datura in Fæmina, animum indidit, qui ſolus fidem facere priſcis Amazonum fabulis poſſit. Uſque adeò verum eſt: non IMBELLEM FEROCES PROGENERANT AQUILÆ COLUMBAM, & non degeneris partûs Majores in vultu leguntur. Omnibus Regiam Te Poloniæ Principem non tam Corporis, quàm animi ſpecies loquitur. Nam quæ alia Gentilitiam Poloniæ Aquilam, cruento in campo erecto vertice ſtantem meliùs referret, quàm quæ media cruentos inter Martis furores, cùm corpore plurimi, animo omnes conciderent, ſola animo ſemper erecto ſtetit? Sed quâ demum premente fortuna inclinari ad caſum Indoles poſſit? quæ cum eſt nacta Genitorem, cui vitam per triumphos agenti, nihil tam erat familiare, quàm ſtantem intueri cadentes exercitus. Peregrina non loquimur. Dum ſtabit orbis, JOANNIS TERTII Poloniæ Regis nomen omnium auribus ingeret relata ad Viennam incomparabilis Victoria, quâ cadere ſuperba Turcia, reſurgere afflicta Europa cœpit. Vereor, BONAM BOJARIÆ FORTUNAM dicere, quæ tunc fortiſſima duo Eur pæ pectora virtute, felicitate, affectu conjunxit, poſt annos haud ita multos arctiſſimo affinitatis nexu coitura in unum. Non Fortuna, ſed Numinis, in Boicæ Domûs incrementa nunquam non

vigi-

vigilis Providentia fuit, quòd paribus animis, eventu, gloriâ JOANNES & MAXIMILIANUS pugnârint, ut hic ex Patre disceret æstimare sobolem, nec olim dubitaret, quánam ex arbore peteret surculum, qui Boicæ insertus Stirpi dignos Christiani Orbis expectatione fructus progigneret. Debebat MAXIMILIANO, qui jam tum supra Heroëm se Magnum probaverat, sociari Conjunx, quæ esset supra fœminam FORTIS. Et quænam alia succedere in Bojariæ Fortunam audeat, quæ sive prospera, sive sinistra semper suos Principes se majores invenit. Rectè igitur & Polonia, & Boica tot suos, qui multos ornarent, titulos in Te contulit, quæ una implere tot nomina posses, & exemplo placidissimæ Majestatis orbi ostendere, habere altissimam Fortunam aliquid, quo Te Magnam, non quo superbam faceret. Nunquam Te parvam Mundus vidit, Nascentis cunas Corona texit: Nomen Tuum priùs, quàm Ipsa nôsses, terrarum Orbis audiît: qui obsequia prensabant, Magni, qui thalamum, Maximi erant: nihil tamen in his omnibus majus Tuô, O PRINCEPS! animô, quem dum Fortuna congestis undique honoribus efferret ad summa, nunquam reddere elatum potuit. Habet hoc Majestas Principum, ut severa & intractabilis avertat, etiam non intuentium vultus: facilis ac temperata etiam dissitos in amorem sui ac desiderium trahat. Expectabat viduus Bojariæ Thronus sociam aviti Diadematis Principem, quæ sic Boica fieret nomine, ut re jam esset, Principem, dico, dignam ea sede, in qua semper felicissimo Connubio Majestas & Amor consederant; & noluit, hac in re errare posse: Eam elegit, in qua Regias istas magnarum mentium Dotes non jam sperabat, sed amabat. Accenderat enim ingens MAXIMILIANI cor Virtutis supra suam Fortunam magnæ amabilissima lux, quæ, ubi posteà vicina Bojariæ, ac domestica fulsit, continuò subditi, quàm sui Principis Amorem probarent, suo monstrârunt. Nec debebat ultrà potentissima Septentrionis Regia claudere maturam in vota Regnorũ Principem, cujus magnitudinem tot gentibus optabilem Virtus

effecerat. Imperare debebat humaniſſima Virtus, quæ blandiſſima vi Majeſtatem non jam vereri, ſed amare cogebat: & debebat imperare Bojariæ, ne per Fortunæ aberrantis injuriam in gentes incideret, quæ Principum ſuorum Virtutem minùs, quàm Boii amarent. Quòd ſi felicitatem ſuam boni Principes ſubditorum affectu metiuntur, jam nihil ad Tuam addere mortales poterant: Superûmerat, eam in poſterorum ſolatia facere immortalem. Fecerunt; Sereniſſimos Liberos ſubmisêre, in quibus etiam poſt fata ſuperſtes tuæ morti ſuperviveres, in quorum ore, indole, moribus ita certant virtutes Regiæ cum ſplendore proſapiæ, ut nemo ignorare Matrem poſſit, cujus nomen vivis characteribus in ſingulorum frontibus legitur. Ipſa Virtus ſi naſci debeat, hos habere Fratres, hanc Sororem, hanc Matrem velit. in corpus verò migrare cùm nequeat, migravit in animos, toties naſcitura, quoties THERESIA KUNEGUNDA pepererit. Sereniſſimarum Prolium Divinæ Indoli, O Berecynthia melior, imputa, quòd Virtutem ego Tibi filiam fecerim, quæ Mater fuit. Debuit enim ante Te Virtus exiſtere; Nam quæ alia formare huic animo corpus, huic corpori animum potuit, qui ſe uno armatus eam, quæ tot victorum colla preſſit, Fortunam premeret, & altiſſima felicitate hoc maximè ſe altiorem probaret, quòd altè de ſe nec ſentiret, nec vellet ſentiri. Vidit Te in Bruxellenſi Regia Belgium, in Monacenſi Bojaria Principem Principum, Matrem Matrum feliciſſimam: Vidimus omnes Titulis omnibus Magnam, Superbam non vidimus. Ferre ſummam Fortunam, non ferri à Fortuna conſueviſti: nec majora Tua ſunt Ornamenta, quàm exempla, quæ vel privatos doceant pacatiùs uti ſorte ſua; cùm tu tam placidè utâre ſupremâ. Eſt hæc Fortitudo vel in Virorum fortiſſimis rara, ut modum ipſi teneant, cùm Fortuna non tenet, & magnos ſæpè animos magna Fortuna minores fecit, ut neſcias, pluréſne fregerit, cùm ſecunda iis, an cùm adverſa incubuit. Tu una es, SERENISSIMA PRINCEPS, cui uni creſcit gloria, unde multis decreſcit; dúmque alios vel ſecunda inflat, vel adverſa exanimat

nimat, in Tuum unius vultum nihil licet Fortunæ : Eodem utramque excipis. Eodem dico? erravi. Qui Fortunæ notas Tuo legere in vultu vellet, ſecundam Tibi riſiſſe putaret, cùm adverſa infremuit. Tam alto Te loco ſupra rerum humanarum turbines Tua Virtus conſtituit, ut ſolis inſtar inviolabilis, objectas à lunatica ſorte tenebras tam ſerena intres, quàm exeas. Fruſtra ſim, ſi ſperem, tua facta æquare verbis. imò, cùm infra meritum omnia, verborum inops, collocârit oratio, adulationis eã poſtulabunt ſecuturæ ætates, apud quas fidem vix habitura eſt Virtus, quæ per tot antè lapſa ſæcula exemplum non habuit. Placuit ludenti cum rebus hominum Providentiæ Numinis in Boiariæ theatro Virtutem cum Fortuna committere, quod quidem certamen, ut Te minus non eſſet, eſſe maximum debuit. In ea rerum vertigine, fatorúmq; conflictu eadem, quæ tuum animum, Rem quoq; publicam Fortitudo ſuſtinuit, nil jam mirantibus poſteris, olim defeſſi Atlantis onus ſubiiſſe Herculem, cùm jam in Herculis abſentis munia viderent ſuccedere Fœminam. Sed invidit jactatæ Patriæ ſuffecturos ad quietem humeros irata Fortuna, quam, neſcio, graviúſne ſenſeris, cùm ſuſcipere Te publicum onus, an cùm ponere cogeret. Fallor : cùm ad regna natis regnare decus, non onus ſit : ſciebat, iſto non poſſe te deprimi, quia noverat Principem; aliud ergo impoſuit, quo ſperabat, Te poſſe opprimi; quia noverat hominem. Matrem ſeparavit à Liberis: proh! qualem Matrem à qualibus Liberis! Debebat per ætatū omnium repetitas tragœdias Fortuna exercere ingenium; dum in hunc torquendi modum incideret, nunquam eo uſura, ſi cæca vel hanc Matrem videre, vel hos Liberos potuiſſet. Tu una ſentire potuiſti dolorem, quem alii videre non poterant. Nec unquam ita patuit, Virtutem Tibi eſſe pro anima, cùm iis carebas, in quibus vivere videbaris. Si quam humanorum affectuum imaginem ſine veritatis injuria Poëſis pinxit, Niobem pinxit, quæ, ex quo temporis momento eſſe ſe ſine liberis ſenſit, in ſaxum obriguit. quid enim aliud fieri vel debebat, vel poterat, quàm ut reliquus maternis in venis cruor obrigeſceret, cujus pars

maxima jam diriguiſſet in filiis. Hiſtoria videri hæc fabula maternum dolorem ex amore æſtimantibus poſſit: Tuo dolori Virtutis inſolentia penè fidem adimit, dum in emortua Matre plus cernunt infirmitatis, in incolumi plus vident doloris. Illa doloris magnitudinem, cùm ſentiret, non tulit: cùm marmor eſſet, non ſenſit. Tuum unius pectus & ſentiendo huic dolori & ferendo ſuffecit. Majori animo tuliſti abſentiam Liberorum, quàm nos Principum; qui ex noſtris deſideriis tuam fortitudinem æſtimantes, mirabamur quotidie, ſine iis valere te poſſe, ſine quibus nos ægrè vivebamus. Ita calamitas privatis animis pro ſcopulo eſt, ad quem franguntur; regiis pro Lydio lapide, ad quem probantur. Nec aurum, credo, ullum habuit tam purum probatúmq; opulenta Venetia, quod Tuæ Virtuti conferret, in qua nos idem ferè, quod in ſole ſuſpeximus, cujus remoto per tot ſpatia corpore, vicina tamen ac domeſtica lux eſt. Fruſtra inutilis Fortunæ diligentia vel ex undis, vel ex terra montes nos inter, Tuámque Virtutem poſuit, quæ utriſque altior tam potentis exempli radios per obductas cœlo patrio nubes ad nos tranſmiſit, ut in Te maximè intuentes, jam pacatè domeſticam ſortem domeſtico ferremus exemplo. Et quidnî hæc omnia poſſet in civium animos, quæ tantum in exteros potuit? Stupebant Antenoris Nepotes Veneti, cùm hunc animum cum hac fortuna conferrent, tantum eſſe conſtantiæ in una Fœmina, quantam in tota quondam urbe fuiſſe vix credit poſteritas. Nec jam tanti eſt, referre ad Trojam antiquæ gentis originem poſſe, dum, quod in tot Dardanis Ducibus ſerò deſiderant, in una vident Bojorum Principe, quam fatali decennio cum gloria ſuperſtitem victrix fortitudo ſervavit, obſidionem ſolvere coactâ fortunâ. Atque hæc porrò quid ageret, vincentis magnitudinem cedendo confeſſa? pudebat concutiendo firmâſſe animum, quem ſperabat convellere, & quæ dejecta cupiebat, ſuis armis ornâſſe trophæa. Jámque inter difficillimos eventus ſimillimam ſibi ſemper ſerenitatem intuita, dubitare videbatur, an incidiſſet in hominem? cùm, qui propriis nequibant, alienis

malis

malis expreſſi gemitus facillimam ad ſenſum virtutis prodidêre humanitatem. Sortem tam malè de ſe meritam, fortiſſimæ manſuetudinis Heros miſerata in aliis eſt, & eam, quæ ſæviendo ſua ſibi abſtulerat, egentem juvabat in plurimis. Nemo in accedentibus minùs dedignabatur humilitatem fortunæ, quàm cui fortuna averſo ſuperbiſſimè vultu proterviùs indignabatur. Cujus furorem in virtutis experimentum provocare auderet in ſe, ejus iram mitigare conabatur in alios, ut afflicti apud nullum tribunal utiliùs quererentur infeſtæ ſortis injurias, quàm apud Tuum, in quo, Virtute Judice, & miſeri injuriâ, & fortuna abſolvebatur à culpa, quam in reæ defectum Munifica Virtus inuſitata liberalitate præſtabat. Brevì, non Principem ſe, ſed indutam Principis ora virtutem, excepiſſe hoſpitio intellexit Venetia, cùm mox, quam Tibi tradiderat, ſedem, migrâſſe cerneret in Chriſtianæ Charitatis Palatium, quod ij maximè ſuum crederent, quos maximè ſuos eſſe, hæc virtus ducit.

Talis Regia, talis Princeps cùm eſſet, ij potiſſimùm Aulici valebant gratiâ, quos à mundi fortunati ſtultitia deſpectos Incarnata Sapientia adoptavit in fratres, teſtéſque nobilitatis, Divino Spiritu ſubſcribente litteras dedit: ſed quas Tecum legunt multi: nemo tecum intelliget, niſi cui Tuam Tu Virtutem pro interprete miſeris. Adeò nihil deeſſe Tibi putabas, ut abundare Te crederes; nec ſatìs magno animo ferre imminutum prioris opulentiæ ſtatum; niſi in fortunæ deſpectum in malè fortunatos effunderes, quod ipſa nolebat eripere; longè glorioſior, cùm Te pauperes Matrem, quàm cùm Dominam opulenti vocarent. Tum verò quàm penè Teipsâ major apparebas, cùm, quos accedere ad Te vetabat morbi miſeria, Tu accederes, veluti non ſatìs magnum eſſet, tua dare, niſi, quò majus dare nil poteras, teipſam adjiceres. Fuit Sereniſſima illa ad ægrotantium cubilia demiſſa lux nō tam ægrorum corporibus ſalutaris, quàm valentium animis, quorum non paucis, quâ laborabant, virtutis nauſeam abſtulit, ut, quam animi demiſſionem faſtidire tantùm hactenus ſuperbè di-

Venetiis mirè benefica in pauperes, in orphanos, in ægrotos.

Viſitabat Noſocomia publica, carceres, triremes, captivos liberabat, aut cibis & veſtibus juvabat.

dicerant, eam tanto exemplo victi christianè nunc amare, ſaltem æſtimare inciperent. Id ſolùm, qui ad tui ſimilitudinem omnes uno animo virtutes complecti non poterant, dubitare videbantur, in cujus potiſſimùm lucem defigerent oculos, quos ſibi omnes impendi ab omnibus ſingulæ merebantur. Una tamen apertos non tulit, ſed omnium vultus in ſui venerationem demiſit Conjugalis Sanctitatis candidiſſima Lux, cujus vel levis intuitus ſic ad fidem omnes pudorémque hortabatur, ut jam erubeſcere Italia Lucretias inciperet, & tranſmiſſum ex Ithaca caſtiſſimũ Penelopes Nomen infra meritum duceret, acciperet tamen; non, quod virtutem æquaret integritas nominis, ſed quod caſtius non haberet, quod afferret antiquitas. Veſtam dixiſſet, niſi Matrem eſſe ſciviſſet, ſacrum vetuſtiſſima Religione nomen non alteri datura rectiùs, quàm eo ſanguine ac Domo Principi, quâ nulla unquam veteris Religionis ſanctior cuſtos fuit. Et ſanè opus haud erat Venetis à ſuſpenſis in palatij fronte ſignis Inquilinæ Principis Nomen diſcere, quam, quoties domo prodiret, Boicam eſſe, non tam Aulicorum, quàm Virtutum Comitatus loquebatur. Nolebat ſcil. ab ea Aula Virtus abeſſe, cui non, ut alibi, ſervire, ſed imperare cogebatur, neminem ipsâ Dominâ habens obſequentiorem. Aliis novum inuſitatúmque ſit extra culpam, publicámque morum offenſionem vivere, Tibi inſolitum eſſet, exempla non edere, ut, cùm paucæ Principum extiterint, à quibus Tu vivendi normam accipere poſſes: nulla deinceps exiſteret, quæ accipere nõ poſſit à Te. Talem in tali rerum ſtatu cùm exteri Te ſuſpicerent, novo utique argumento probâſti, eſſe ſemper in Boici Nominis Principibus Virtutem ſanguine auguſtiorem, cui reverentiam apud nullas gentes adimere ulla Fortuna poſſit, quæ idẽ illi præſtat, quod adamanti malleus, ut fortem probet. Et implevit profectò ſupra morem egregiè ſuas partes Fortuna, quæ, ſeu ornare Te, ſeu ferire contenderet, vires omnes exeruit. Debebat ſcilicet in utroque pugnæ genere tam clarum offerre certamen, ut conſtaret, Te nõ partem tantùm infeſti Numinis, ſed totum viciſ-

ſe;

ſe; nec poſſe jam aliud, quàm pacem ſequi, poſtquam nihil in omni Fortuna vincendum ſupereſſet. Jugum, quod ſubire victam oporteret, ſibi Boica poſtulat, quod libertatem rectiùs, quàm ſervitutem meritis quadrare, ferendo didicit. Et quæ Princeps eorum felicitatem certiùs firmet, quàm quæ ſub pedibus Fortunam habet, quæ tum demum altiſſimis mentibus pro gloriæ fundamento ſervit, cùm inſurgens oſtendendæ palàm fortitudinis campum aperuit. Ex hoc te reducem excipiunt publica populorum gaudia, longo deſideriorum ardore, vel ſoluta in lacrymas, vel in ſonoras paſſim voces erumpentia, queîs non tam ſuum Tibi affectum, quàm Tuam Virtutem Famæ comendant, cujus lingua pridem Bojariæ Heroibus ſacra, rerum ſupra veritatem auctarum ſuſpicione tunc laboratura eſt maximè, cùm veras narraverit. Nos à Fama propulſuri injuriam publico hoc illam teſtimonio inſtruximus, duraturo ad poſteros: qui, cùm veniā noſtris conatibus dederint, indignabuntur tamen, ære digna & marmore duntaxat in charta legi. Majus illi, Tuáque dignum Conſtantiâ Monumentum erigent. At poſtquam certum erit, Tibi ſtatuam ponere, in eo dubitabunt; cùm in Te omnia ſupra ſexum, plurima ſupra virum ſint; an virtutum inter, an Heroum Imagines Tuam oporteat collocari.

EIDEM PRINCIPI AC HEROINÆ THERESIÆ KUNEGUNDI,

ODE.

NOn bella ſolus Marſpiter intonat,
Enſesque & haſtas, ſcutáque concrepat,
Et fulminantes Scipiones
Incitat in cuneos cruentos.

Sunt & Dolori claſſica Martia,
Et ſunt Amori prælia maxima,
Incurſiones ſunt feroces,
Vulnera ſunt, licèt incruenta.

O quantus arcem pectoris arietat
Inſultus, Hoſtis cùm Dolor obſidet!
Heu! conglobatim tela torquet,
Exitiúmque animæ minatur.

Quid ſi ſubornat perfida copias
Sors fœderatas? milléque machinas
Dextrâ, ſiniſtrâ parte trudit,
Deditio ut citiùs ſequatur?

Vul-

Vultis Doloris triſtia claſſica?
Fortíſque Amoris maſcula prælia?
Aut bella Fortunæ novercæ,
Inſolitis fabricata technis?
Huc ad Duellum! Proſtat Amazonis
Virtus virilis, neſcia proteri,
Jurata quamvis fata totam
Iliadem glomerent malorum.

En! agminatim provolat hoſtium
Confæderatus turbo: Cor impetit
Telis acerbis, illitíſque
Gorgonei colubri veneno.

Verùm arcis inſtar Pectus Amazonis
Stat, turbulentis quidquid ab artibus
Sortis malignæ, víque aperta
Ingruat, & cumulet furores.

Stat, dum ruentem linquere Patriam
Mars ingruentis militis impetu
Urget: ſed exul cedit ultrò,
Secum habitans Patriâ relictâ.

Stat, Filiorum dulcia Principum
(Cogente Fato) corcula deſerens
Afflicta Mater: quod vel alpes
In lacrymas potuit liquare.

Stat deſerendo dimidium ſui,
Quem cariorem luminibus ſuis
Conjunxit Almi lex amoris
Fœdere Connubij perennî.

O! quanta ſunt hæc vulnera amantium,
Quæ tam profundè preſſa ſub intimas
Cordis medullas jam parabant
Inferias animis dolentûm.

Verùm Illa cunctis fortior hoſtibus,
Sortíſque technas, vincit & impetus
Non vi Doloris, non Amoris,
Se patitur ſubigi, capíque.

O! impudentis perfidiæ Dea
Nil perſequendo proficis improba,
Nil blandiendo: Perduellis
Strata jaces in utroque campo.

I! victa bellum fraudibus innova,
Vincenda rurſum, ſeu malè rideas,
Seu vultuoſa fronte pugnes:
Ridet utrumque potens Amazon.

Alto locâras Eximiam Throno,
Summo beatam Conjugij thoro,
In Dignitatis Principatu,
Ut pareres animos ſuperbos.

Huic Potoſinis Divitiis pares
Gazas paraſti, munera Principum,
Aurum, uniones, atque gemmas,
Ut caderet dominante luxu.

Huic delicatas illecebras domi,
Et quas propinant Regna Volupiæ,
Largè miniſtrabas volenti,
Quæ flueret nimiâ voluptá.

Sed nil agebas. Pulchra modeſtia
Faſtum jugavit, dignáque Parcitas
Luxum peremit, temperavit
Sobrietas nimiam voluptam.

Captiva tandem perfida da manus
Fortuna! dentes exere lividos,
Perfer lupatum cum flagello!
Ibis Amazonio in triumpho!

Huc

Huc, huc jugales ite pediſſequæ
Sortis Novercæ! colla tumentia
Lunate! currum laureatum
Ad Capitolia promovete!

Utrinque ſtipent, & Latus eſſedi
Palmis coronent hinc Dolor, hinc Amor,
Funeſto amictu deſtituti:
Rideat hîc Dolor, aut recedat!

Vos Gratiarum, vos Charitum Chori,
Anteite currum! ſpargite per vias,
Quidquid roſarum, liliorum
Ver parit Elyſiis viretis.

Pindi Choraulæ vos Cytharas, tubas
Et quæ Bivertex organa circinat,
Aptate! Pæan eſt canendus,
Dignus Amazonio Triumpho.

Jungat ſerenis Patria plauſibus
Plauſus! triumphum Martiæ Amazoni
Aggratuletur, quo LEONUM
Emicuit ſuper aſtra VIRTUS.



SERENISSIMA ELECTRIX SERENISSIMUM *In Serena & Nubila Fortuna* SPECULUM.

ODE.

QUis novus ſplendor, ſubitúmque fulgur?
Quanta Majeſtas SPECULO reſultat!
Major humanâ eſt, SPECIES nitentis
Æmula Cœli.

Fallor? an ternis Dea de Deabus
Una, quas Judex Paris arbitratus,
Aureo quænam magè digna Pomo,
Prodit Olympo?

Aut novam terris nova Pax reduxit
Cynthiam? mœſtæ Patriæ levamen
Cœlitùs lapſum, redeant ut orbi
Aurea Sæcla?

Sed procul ficti tituli Dearum!
Vana ſint vanis! Melior Deabus
Vincis, O PRINCEPS! duplici nitore
Cordis & Oris.

Si quid eſt artis, geniíque docti,
Eja cœleſtes ferat huc colores
Zeuxis, & tanti ſocium laboris
Jungat Apellem!

Pingite Heroam faciem, procellis
Sortis adverſæ malè fulminatam,
Quæ tamen conſtans ſine nube ſervet
Juge ſerenum.

Pin-

Pingite afflictâ Patriâ exulantem,
Orphanos Natos, Thalamíque luctum:
Abſit Eclipſis ſed ab ore ſudo;
Nam ſibi conſtat.

Pingite ardentes Patriæ Penates,
Stagna cæſorum ſanie cruenta,
Martis irati mala mille, quæ fert
Omnia victrix.

Eſt IDEM SEMPER SPECULUM: ſerena, &
Nubila acceptat benè lævigatum;
Nec tamen vulnus patitur: Colores
Suſtinet omnes.

Jam novos poſco SPECULO colores,
Floridæ Lauro ſimiles, nivíque
Primulæ, quæ ſit ſine fæce, & ipſa
Lilia vincat.

Pingite illæſum Thalami nitorem,
Et Fidem raram, niveam, virentem,
Quam tenax caſtis adamas catenis
Sanciit olim.

Gratias vultu, Charitésque blandas,
Lacteis albas, roſeiſque rubras
Ductibus, nullo malè ſordidatas
Pingite nævo.

Stet procul jactâ pharetrâ Cupido
Impudens, effrons, caperando frontem:
Frendeat Pupus ſua tela fracta,
Porrigat herbam.

Nempe non fallit SPECULUM FIDELE
Pura præſentat ſine labe purum:
Pectoris caſti, maculâ carentis,
Symbola præbet.

Nunc peto verti Speculum ſub aſtra,
Aut adorandas Superûm ſub Aras:
Aureo proſtet Pietas colore,
Aurea Virtus.

Quanta non arſit pia vis Amoris
Cœlici! quantos calor entheatus,
Neſcius claudi, tacitis favillis
Prodidit Ignes!

Vos volo Teſtes Venetos, & alta
Templa, PATRONO celebrata MARCO,
Quæ peregrinæ ſtupuêre ſanctos
PRINCIPIS actus.

Solus aſpectus SPECULI nitentis
Cor movet: tardos rapit ad ſequelam:
Vis ineſt ingens, tacitúſque Magnes
Principe dignus.

Ergo inauratos date penicillos!
Pingite ardorem mihi ſingularem:
Fulgurent raræ Probitatis Ignes,
Aſtráque tangant.

Vertite in terras SPECULUM; benignis
Recreet preſſos Radiis egentes;
Quidquid accepit, Speculum refundit:
Cuncta reflectit.

Pingite auratam, patulámque Codris
Dexteram, largo facilem beare
Munere, & causâ famis allevandæ
Prodigat aurum.

Hæc tua eſt, PRINCEPS, miſeris benigna
Dextra: Tu præſens medicina preſſis
Aureum Codris RECIPE obtuliſti:
Vita, Salúſque.

O Stupeſcendum SPECULUM! videri
Sæculis dignum! Radios ſerenos
Explicet totum rutilans in orbem,
Ut trahat omnes.

Fama jam latum volita per orbem,
Et tubas infla! Populis propina
Ectypon Rarum: meruit notari, &
Dicier: HÆC EST!

THE-

THERESIÆ KUNEGUNDIS SERENISS. BAV. ELECTRICIS

AD

SERENISSIMUM CONJUGEM SUB SCHEMATE PENELOPES

AD

ULYSSEN

Scribentis

EPISTOLA HEROICA.

HAnc tua Penelope; quam fata probare volebant
Eſſe Tuam, duras perpetiendo Vices.
Dum mihi plusgemino ſervant mea Pergama luſtro,
Ut Viduos ducam non Viduata dies.
Dum mihi te rapiunt, ſine te dum vivere cogunt,
Qui tamen es, ſine quo vivere non poteram.
Altera Penelope noſtri levis umbra doloris
Tantùm, nec fati vera figura mei eſt.
Non niſi bis denos luxit miſeranda per annos,
Nec fuit æterno proximus ille dolor.

At noſtri numerare cupis ſi tempora luctûs,
Pro geminis luſtris ſæcula ſcribe duo.
Non gemuit natos alia regione relictos;
Telemachus Patris non leve pignus erat.
Inque ſua ſaltem genitorem prole videbat;
Hoc mihi, prö! quantum, ſi licuiſſet, erat.
A patria abſentem conqueſta eſt illa Maritum:
Abſens à patria non tamen ipſa fuit.
Sequana ſed medium, medium tenet Adria noſtrî.
O magìs hoſpitibus flumina fauſta ſuis!
In mare conjunctas vos ſaltem truditis undas:
Iungere ſors nobis quid niſi vota dedit?
Non tamen, ùt gemino potuit ſejungere Cœlo
Corpora, ſic animos, & pia corda poteſt.
Tecum animo vixi, tecum moritura fuiſſem,
Et dixi, cur non quæ tulit ille, feram?
Sub galea forſan noſter modò ſudat Ulyſſes:
Fortè modò gelido ſub Iove caſtra locat.
Aut modò fortunam quacunque ex parte prementem
Suffert, Alcides quô tulit aſtra, modô.
Talia dum meditor, quamvis non abſque dolore,
Fiebam exemplo fortis & ipſa tuo.
Unde etiam gemitus ſæpè, & ſuſpiria preſsi,
Dicerer ut ſimilis Conjugis eſſe mei.
E cujus vultu nemo diſcernere ſortem,
An ſit amica, vel an non ſit amica, ſciat.
Dum tandem ſatiata malis fortuna quievit,
Et gravis abſumptis conſtitit imber aquis.
Nam tuus ad noſtras pervenit nuntius aures:
Cum pace hîc propiùs, quem cupis, inquit, erit.
Huc te præcipuè, quò ſemper pronior ibas,
Optatam, ajebat, ferre potenter opem.

Et

Et per te Magnum, quocum potes omnia, Regem
   Persuasum positâ fœdera velle morâ.
Hæc ubi; cùm totam rapiunt mihi gaudia mentem,
   Exilio nec sum degere visa meo.
Lætitiam; jam nunc animo præverto futuram,
   Et jam nunc video te, videórque tibi.
Jam puto me rursum Bavaram regnare per aulam,
   Quæque dedi, tecum pristina jura dare.
Jam modò Penelopen stringis victricibus ulnis,
   Et stringis Natos, ordine quémque, tuos.
Qui facili scena fors possent fallere Patrem,
   Quósque iterum posset fallere forte Pater;
Errorem faciente mora: nisi mutua flamma
   Impatiénsque sui proditor esset Amor.
Felices! tibi quos peperi Terduplice partu,
   Quósque iterum reditu tu paris ipse tuo.
Intereà vises proprios quacunque Penates,
   Occurret reduci Bojca tota Duci.
Vive Pater Patriæ, dicet: præsentia cujus
   Immemorem damni me facit esse mei.
Patria millenis resonabunt compita votis;
   Mixtáque erunt lacrymis gaudia mille suis.
Vivere tunc cupiet vita meliore Senectus,
   Vel præ lætitia, te veniente, mori.
Non te quadrupedes, sed nobiliore triumpho
   Te Vice quadrupedûm subdita corda trahent.
Móxque ad Paciferi ducent palatia Jani,
   Cui mille injicies vincula, mille feras.
Nec tamen intereà posito nova Gloria ferro
   Nullum, quo vincas, suppeditabit opus.
Fertur ad Euxinum Messis pulcherrima pontum
   Surgere, qua semel est messa, metenda manu.

 Mu-

Musulmanigenas nimirum Europa Phalanges
Audiit armatis bella movere globis;
Et quanquam Venetis tantùm sua tela minentur,
Ulterior tamen est meta, vel esse potest.
Forsan Teutonicos designat Turcia fines,
Exitio quamvis ipsa premenda suo.
Tunc potes antiquæ majorem jungere Laurum,
Antiquâ major si tamen esse potest.
Tunc ibunt solitæ toties vicisse Cohortes,
Et Duce patrabunt, cum Duce, digna suo.
Hoc minùs invita pugnabis Conjuge bellum:
Scimus ad hoc tantâ non opus esse morâ.
Turca vel aspectu victus tibi porriget herbam,
Vel celerem capiet, te veniente, fugam.
Cùm te prima dies pugnantem objecerit hosti,
Proxima, victorem quæ mihi reddat, erit.
Sed quid ego bellum, quid rursus cogito pugnas?
Vanus hic in vestra est pace timere timor.
Ecquod enim surget, dum stant hæc fœdera, bellum,
Aut hostis triplici quis velit esse Deo?
Lilia juncta Aquilis, & nostri utrisque Leones
De toto possent ferre trophæa solo.
Hoc opto, quondam cum Rege & Cæsare vince:
Nunc autem, longè quod magis opto, REDI.

MAXIMIL. EMMANUELIS SERENISSIMI BAVARIÆ ELECTORIS

AD

SERENISSIMAM CONJUGEM SUB SCHEMATE *ULYSSIS* *AD* PENELOPEN Rescribentis

EPISTOLA HEROICA.

QUod mea Penelope mea manserit, atque fideles
Servârit nullò tempore victa faces:
Quódque velut medijs se major Luna tenebris,
E Veneto plenum sparserit orbe diem:

Nec cum fortuna pectus mutârit, Ulysses
Nil, quo lætetur, majus habere potest.
Non ego nunc fatis, non sorti irascor acerbæ:
Est tanti, tantam non latuisse fidem.
Quæ, ne Penelopen antiquam fabula laudet
Ampliùs, exemplo nobiliore facit.
Gloria fortunæ soboles amat esse sinistræ,
Et magìs illa levat, quò magìs ista premit.
Gaudiáque elapsi pariunt majora dolores,
Lætitiæque novæ semina luctus habet.
Pulchriùs evictâ se reddit nube serenum:
Dulcior è media est morte redempta salus;
Ignorant, nequeúntque bono gaudere recepto,
Amisso nunquam qui doluère bono.
Non ego nil dolui, non vestra absentia telum
Quod cor, quódque animam non penetraret, erat.
Sensimus, haud renuo; nec opus sit dicere quantum!
Tu potes è sensis discere nostra tuis.
Nam quis amet, patiensq; ferat, quod amatur, abesse,
Et non unâ animi parte carere sui?
Nempe dolent in prole patres, in prole beantur;
Hac, in quo vivant, quo moriantur, habent.
Nunc autem mea damna probo, proprióque dolore
Gaudeo: habent lucrum damna, dolórque suum.
En! redeunt nostri, dulcissima pignora, Nati,
Sed redeunt titulis nobilitata novis.
Non abijt fulvo ditatus vellere noster
CAROLUS: at fulvo vellere dives adest.
Vix poteras Patrem, vix risu agnoscere Matrem,
E nostro fugeres cùm THEODORE Sinu:
At modò nec clypei, nec nostræ cassidis impar
Ad capulum forti diceris ire manu.

Plus

Plus propè quàm tulerat, reddit nunc Auſtria: Natos
  Dum mihi poſco MEOS, dat quoque prompta Suos.
Nam cupiet, poteritque Suos hos dicere, magna
  Parte, quibus Mater, vel propè Mater erat.
Hac tantùm fuit illa tenus, nunc dulcia Matris
  Nomina Penelope, tu tibi rurſus habe.
Diſsimula lapſos, te judice, triſtiùs annos:
  Quod tibi non aufert una, dat una dies.
Quidquid habet, reddit fortuna: revertimur omnes
  Nec pars ad numerum deficit ulla ſuum.
En quinos (tot erant) fratres fratrûmque ſororem,
  Quémque tibi pluris novimus eſſe, Patrem.
Sic reduces ſimul ipſa redux amplectere: & uno,
  Tanto diviſos tempore, junge ſinu.
Nec metue, abjungi funeſto poſſe Gradivo
  Aut fieri, fieri quod potuiſſe doles.
Fœdera ſtant Superis nimiùm firmata ſecundis;
  Frangendus, quiſquis frangere tentet, erit.
Sepoſitis Oleam firmabunt Numina bellis,
  Ut nec bella, niſi pacis amore gerant.
Scilicet eſt Superis etiam ſua Mentibus ira,
  Sed nec fine ſolet, nec caruiſſe modo.
Quos ſemel adverſos ſpectârunt Pergama divos,
  Unanimes porrò vidimus eſſe Deos.
Tu modò quod ſolum reſtat, ne differ adeſſe,
  Et præſcinde omnes, quas fugis ipſa, moras.
Me meus urget amor, tua me Cariſsima Conjux,
  Et populi impellunt vota ſecunda mei.
Reſponſum intereà, dum ſe quoque reddat, Ulyſſes
  Reddit: erit chartæ proximus ipſe ſuæ.

MARIÆ ANNÆ
SERENISS. BAVARIÆ PRINCIPIS PRIMOGENITÆ
AD
SERENISSIMUM FRATREM
CAROLUM ALBERTUM
PRINCIPEM ELECTORALEM
Scribentis
EPISTOLA HEROICA.

NOn iterum triſtes tibi fert mea Charta querelas;
Læta loquor, poſtquam triſtia bella ſilent.
Fatorum cecidêre minæ; Patientia Victrix
Emicat, & meritis ſors favet æqua Tuis.

Cer-

Cernemus reducem reduci cum Fratre Parentem,
Hæc revehent pulſam Lumina Bina Diem.
Poſtquam Luſtra duo jacui ſub nocte ſepulta,
Matre carens, & egens fratribus, orba Patre,
Spes mihi ſola ſuper tantos extenſa per annos
Manſerat, haud ullis extenuanda malis,
Nunquam ceſſerunt dubio mea corda timori,
Tam fuit in meritis ſpes mihi firma tuis,
Innocui pro te mores, pietáſque perorant,
Non poterant Superi non meminiſſe tui.
Nec Deus hunc animum fruſtrà, formámq; genúsq;,
Cuncta gubernandis gentibus apta dedit.
Talia fata tibi non fruſtrà deſtinat æther,
Vult Dignum ſummis, qui tibi Summa parat;
Magnanimos fortuna premit, tollitque probatos;
Fortiaque ACTURUM, fortia FERRE decet.
Fortunam vincis, ne quid tibi vincere reſtet,
Et quæ FERS, eadem Te ſuper aſtra FERENT,
Non per delicias, ſed multa per ardua ductus,
Debebas Magnis Creſcere Dignus Avis.
Extra quòd Patriam juvenes transegeris annos,
Eſt hæc Magnorum Gloria Summa Ducum,
Amphytrioniades cunctis celebratus in oris,
In ſola Patria rarùs & hoſpes erat.
Nec dedit Aſcanius promiſsis jura Latinis,
Quin priùs exilij tædia longa tulit.
Ipſe Deûm Genitor patrijs procul ædibus actus,
Curetum ſonitus inter & æra latet.
Et tibi Cæſarea licuit latitâſſe ſub umbra,
Intra alas AQUILÆ quàm bene tectus eras!
Et benè tutus eras. Multùm fortuna favebat,
Quæ dedit Auſtriaco Te placuiſſe Jovi.

Fallimur? aut Fratri geminò favet Auſtria Votô?
Et Magna in Magno Cæſare, Neptis amat?
Exîſti fauſtis Aquilis, taliſque redibis,
Te ſibi quæ voluit, Te mihi reddit Avis,
Majorem ac fueras, quamvis Tu Magnus ubique,
Et Magno in cunis jam Patre dignus eras.
Ipſa tuam Pallas fertur coluiſſe juventam,
Theſpiadum toto ſubveniente Choro.
Et formâſſe Ducem Populis, ſeu Pace regendis,
Sive armis, quanquam te minùs arma juvant.
Hæc Dea Styriaca nuper præſedit in urbe,
Cùm Sophiæ Pugili plauſit arena tibi.
Plus tamen illa ſibi tam docto Milite plauſit,
Læta venire novum ſub ſua ſigna Ducem.
Quin ſibi detractâ Lauro tua tempora fertur
Cinxiſſe, & ſimiles Ore dediſſe ſonos.
Felices Bavari, felix quæcunque propago
Philoſopho fuerit Principe digna regi!
Me quoque felicem, ſeu pax, ſeu bella gerantur,
Semper ego tali cum Duce jura dabo.
Ut cui nec docti deerunt, nec Principis artes,
Cujus in ingenio cum Iove Muſa ſedet.
Hæc Pallas. Styrias portat te fama per Urbes,
Nuntia Doctrinæ fama futura tuæ.
Auſtriacæque tuas laudes modulantur alaudæ,
Illas aure avida Boijca terra capit.
Iámque exſpectat ovans illo præſente beari,
Quo ſine lux illi nulla beata fuit.
Gratior apparet terris poſt nubila Phœbus,
Plus cupiunt homines, quo caruêre diu.
Sic ego te didici majoris habere carendo,
Gratior es Patriæ poſt duo luſtra redux.

Ergo

Ergo orere & Patrium Frater rediturus in axem,
Illuſtres Tecum fer ſine nube dies.
Tunc iterum credam magno me Principe natam,
Tunc iterum videar Principis eſſe ſoror,
Cum læta Populi circumplaudente corona,
Cernar Germanis aſſociata meis.
Obvia Phœbeios ſic ſpectans Cynthia vultus,
Ipſa etiam lucem fratris ab ore capit.
Cùm mihi fraternas rurſum comprendere voces,
Et vultus dabitur cernere, qualis ero?
Non ita de fratris reditu gaudebat Electra,
Quem tandem incolumem Phocidos aula dedit.
Non ita detectum fratrem Caſſandra recepit,
Dum capit abjecto Troica ſceptra pedo.
Ille tamen Phrygijs meliùs latuiſſet in antris,
In cladem patriæ fax malè nata ſuæ.
Fax hæc, ſi Graiis nunquam luxiſſet in oris,
Luxiſſent fatum Pergama nulla ſuum.
At Tu fax Patriæ nulli funeſta, tenebras
Pellis, & innocuus non niſi corda cremas.
Corda tui populi, fidelis corda ſororis,
Conſumit reditus quæ mora longa tui.
Tandem ergo Germane redi, cupidæque ſorori,
Adſis, nec durâ longiùs ure morâ!
Quò populi te vota vocant, patriæque, venito,
Utque brevi venias, non tibi dico, Vale.

CAROLI ALBERTI
ELECTORAL. BAV. PRINCIP.
AD
SERENISSIMAM SOROREM MARIAM ANNAM
Reſcribentis

EPISTOLA HEROICA.

MAgna quidem, vel viſa mihi Tua Littera, crede,
Gaudia, ſed longè maxima, Lecta dedit.
Singula Magnanimam produnt mihi Verba ſororem,
Heroum pectus fortia ſenſa probant.

Cla-

Clara DUCUM ſoboles ſcribis tanta indole digna,
Fortunam & ſexum Vincere ſueta Tuum.
Quantum Tanta meam recreat Conſtantia Mentem!
O nullis vinci caſibus apta ſoror!
Námque (fatebor enim) tua tantùm fata dolebam,
Te modò fraternus Plangere juſsit Amor.
De me, quod placitum, Superi decernite: dixi,
Omnis in his Noſtrî Cura relicta manet.
FATA VIAM INVENIENT, Cœlo ſperavimus æquo,
Huic curæ noſtram novimus eſſe DOMUM.
Sic, licèt infelix potui quandóque videri,
Sed tamen in quavis ſorte Beatus eram.
Etſi me patriæ potuit fortuna negare,
Me tamen à Patrio non prohibere ſolo.
Non Boicis Patriam nos circumſcripſimus Oris;
Námque tenet Patriam FORTIS ubique ſuam.
Adde, quòd Auſtriaco ſemper ſub nomine tutis,
Nil cur de fatis conquereremur, erat.
Fauſtis Auſpicijs Aquilæ nos ala tegebat,
Si favet hæc, LÆVÆ cur metuantur AVES?
Sævierit Mavors, Styria nos urbe quieti
Viximus, huc bellum nonniſi fama tulit.
Hanc etiam potui contemnere, dummodo ſalvam
Te ſoror audierim, cúmque ſorore Patrem.
Nec tamen intereà ſteriles traduximus annos;
Nos etiam Nato Principe Digna juvant.
Iam numeris aptâſſe pedes gravitate decora,
Iam preſsiſſe placet terga ferocis equi.
Nunc ſaltus, nunc luſtra placent, nunc fræna gaballi
Flectere, nunc vario diſcimus ore loqui.
Parva hæc ſunt fateor, nec magnæ ſemina laudis,
Hæc tamen Heröum ſuevit amare genus.

Parvulus ad Satyri cytharam ſaltabat Achilles,
Et lætus tumidis ibat Julus equis.
Lauſus equûm domitor, debellatórque ferarum,
Enſe uno Rutulos vulnerat, atque feras.
Inde artes belli, cingendos milite muros,
Formandásque acies edidiciſſe juvat.
Campum Charta refert, validas cum turribus urbes
Valláque cum foſsis ſepia pauca notat.
Lata per exiguam decurrunt flumina Chartam,
Et prohibent tumidis agmina picta vadis.
Hîc ſtruxiſſe acies, adversáque rumpere caſtra.
Diſcimus, & quâ fas mœnia parte premi.
Sic Pater Hungaricis præluſerat ipſe triumphis
Parvulus, umbratili prælia Marte ciens.
Quíque olim verſurus erat trucis agmina Lunæ,
Sueverat in Charta pingere valla puer.
Collegit pictas Tritonia ſedula Chartas,
Hæcque exempla mihi nunc imitanda dedit.
Utque magis ſtimulet, Genitoris plura recenſet,
Et notat in tabula, facta notanda Cedro.
Ut Scythicas acies, & caſtra inimica Viennæ
Sternat, & AUSTRIACAM ſervet ab hoſte DOMUM.
Qualis ad Harſannum ſimul arte & Marte triumphet,
Ut Buda bis flecti neſcia, fracta cadat.
Ut per Bellgradum gradiatur Belliger Heros,
Détque novum victus murus ad aſtra gradum.
Nec ſe Strigonium tutatur montibus altis,
Alta Patris Virtus ardua & alta petit.
Hæc oculis animisque meis Tritonia Pallas
Ingerit, hæc belli nos Elementa docet.
Nec fugiunt doctæ conſortia noſtra Sorores.
Magna mihi ſemper gaudia Muſa dedit.

Seu

Seu poſt luſtra duo reducem narraret Ulyſſen ,
   Eſt ſimilis reditûs ſpes quoque facta mihi,
Sive Anchyſiaden caneret ſua fata ſequentem ,
   Sat curæ Superis diſcimus eſſe pios,
Seu mihi Magnanimûm laudes celebraret Avorum,
   Incendunt animum fortia facta meum.
Grandior aſſurgens Sophiæ dum dogmata dictat ,
   Caſibus humanis altiùs ire jubet,
Ut ſervare pios , ut debellare ſuperbos ,
   Ut fas ſit populis dicere jura docet.
Sic mea cùm pulchris imbuta ſit artibus ætas ,
   Haud ſortis fas eſt inſimulare vices.
Hæc ſi viſa fuit patriam rapuiſſe Patrémque ,
   Jam duplicem Patriam dat, geminúmque Patrem.
Cum Carolo Em̃anuel gemini ſunt nempe Parentes,
   Cum Styria Patriam Boica terra dabit.
Et geminas in te reddet Germana Sorores ,
   O mihi præ gemina chara ſorore ſoror !
Noſter enim pro te ſemper creſcentibus annis ,
   (Si quid adhuc potuit creſcere) crevit Amor.
Hic noſtros urget reditus , ſtimulatque volantem ,
   Reſponſo veniam fors prior ipſe meo.
Atque ideò lætum Patri populiſque tibique ,
   Mox dicturus Ave , dicere nolo Vale.

CAROLO ALBERTO ELECTORALI BAVARIÆ PRINCIPI HEROI IN VTRAQVE FORTVNA MAGNANIMO CARMEN EPICUM.

EJa age, magnificos celebra Gens Boia triumphos!
Feſtivos duplica ter feliciſsima plauſus!
Lætitiis expande ſinum! nam Tecta reviſit
Patria, quem ſuſpirâſti, tua maxima Cura,

CA-

CAROLUS: implevit tot millia mille Tuorum
Vota Polus! Rediit (quid plùs tua vota petebant ?)
Non tantùm Incolumis, rediit ſed Fortior Illo,
Quem denos jam ſurripuit Sors ante Decembres,
Sors inimica tibi: Bojas modò CAROLUS urbes
Illuſtrat, Major priſcis Heröibus HEROS.

Deſine jam falſis temeraria laudibus Argo
Semi-deos celebrare tuos, quos Tiphys in alto
Reddidit audaces pelago! Iactare triumphos
Æripedum nolito Boum, Scythicique Draconis
Confecta, Æſonide, ceſſa memorare trophæa!
Perſeus, Alcides, Patroclus, Paris, Hector, Achilles,
Pyrrhus, Alexander, Marcellus, Scipio, Cæſar,
Et quoscúnque alios Heröum priſca tulêre
Sæcula, Bojugenûm Magno jam cedite plauſus
Principi, & ALBERTO veſtras ſubſternite Palmas!
Cedite Majori! qui fortior Hectore, Achillem
Vincit, & Æſonio eſt longè præſtantior Heros,
Et cui nec quidquam finget par tota vetuſtas.

Eſt aliquid veterum clareſcere Semi-deorum
Factis magnanimis, feralia monſtra domare,
Lernæas ſuperare Hydras, Rictúsque ligare
Cerbereos, Aprósque truces, rabidósque Leones
Vincere, & optatam Populis dare poſſe quietem:
Eſt aliquid veteres iterum renovare triumphos,
Debellare hoſtes, altos tranſcendere muros,
Pro Patria effuſo pugnare cruore, ſolóque
Figere in hoſtili dextrâ victrice trophæa:
Sed mihi Major IS eſt, Sortis qui fata ſiniſtræ
Expertus, Ridet, contráque audentior ire
Heros non trepidat, fatîsque oppreſſus amaris
Concutitur nunquam, ſed caſus deſpicit omnes;

Hic Vir, Hic eſt Major, quàm qui fortiſsima vincit
Mœnia, & hoſtiles ſuperat, vincítque phalanges:
Talem ſe Princeps, Heros ipſo Hercule Major,
Quem duo luxiſti abſentem per luſtra, probavit
Patria Boja, Tuus; docuit nam CAROLUS Orbem,
Inferiùs ſe fata trahi, dum avulſus avitis
Sedibus, & juſſus patriis excedere terris
Noluit iraſci fatis; licèt impete toto
Irrueret Fortuna, TULIT, riſitque prementem.
Quin etiam adverſas docuit ſuperare procellas
Illuſtri Exemplo Fratres, quos Hectoris inſtar,
Per denas qui ſervavit ſua Pergama meſſes,
Fortunam Invictos juſsit ridere malignam.

Sæpiùs in mentem (quis enim prohibere volucres
Affectus poterit? tantóque quis ebrius hauſtu
Letheas ſiccârit aquas, ut talia nunquam
Cogitet, æternos Charorum oblitus in annos?)
Et Patrij rediére Lares, Magnique Parentes;
Et tamen haud unquã Fortuna Noverca vocata eſt
Heröi, quamvis Matrémque, Patrémque negaret:
O quoties animô, dulci ſtimulatus amore,
Liligeras, viram Magnum queîs vivere Patrem
Noverat Heröam Princeps, inviſit ad urbes,
Et ſeſe pedibus ſubſternens MAXIME SEMPER
ÆMILIANE! Tuis, damnavit ferrea fata,
Atque tuas, Fortuna, vices! mox Fortior Ipſo
Se tamen ad ſeſe rediit, ſtatuítque virili
Pectore Fortunæ Caſus tolerare ſiniſtros.
O quoties ſubitò Venetam translatus in Urbem
Materno innexus collo, pia Baſia ferre
Jam ſibi viſus erat, donec procul eſſe remotum
Se cernens, Vento, non Matri, chara dediſſe

Oſcu-

Oſcula deprêndit? lacrymas tamen altus, & Iram
Preſsit, & adverſis Heros ignoſcere fatis
Magnanimus potuit.Quoties malè fallereMorpheûs
Heröem eſt auſus per amæna ſilentia noctis,
Dum Patriam exhibuit, Bojásque reduxit in urbes?
Verſari quoties propria ſibi viſus in Aula,
Magnificis Laribus, pulchrámque videre Sororem?
Schleishemium quoties conſpexit mente,Domúmq;
Nympharum celebrem, circum-Sylvasq;-jacentes,
Audax Heröem tentat dum ludere Morpheûs;
Nec tamen, expulſo ſomno, per inania ſeſe
Somnia deluſum doluit; ſed Stirpis Avitæ
Heröem ut decuit, geſsit ſe CAROLUS, alto
Deſpiciens animo, quidquid Fortuna vocatur.

Eja ergò omnigenos celebra Gens Boja triumphos!
Heröem venerare tuum! quem Cæſaris Aula
Mirata eſt, Ipſus pro Nato AUGUSTUS amavit.

Tu verò Heröum ſanguis! quem Patria tandem
Suſcepit Reducem, qui Major es omnibus Heros,
Solo Patre minor, quem vix non Dotibus æquas,
Quíque tuo Auguſtus multùm ſe immiſcuit ori,
Jam radios diffunde tuos! veſtigia Magni
Patris perge ſequi! famula nunc utere Sorte!
Cum Patre, cum Proavis, FORTUNA MAGNUS UTRAQUE
Ut ſis, fata volunt: Viciſti adverſa, redibunt
Proſpera, & aurato remeabunt ſæcula fluxu.
Noſtra THEODONES in Te regnare videbunt
Sæcula: Tu Proavûm, Magnus quàm Carolus Ille,
CAROLE Major eris; per Te mirabitur Orbis
OTTONES vixiſſe iterum; Te Principe, rurſus
Auguſtum credent LODOICUM vivere Gentes:

Ipſa reviviſcet per Te Sapientia, Magnus
Quâ fuit ALBERTUS: miſeris ſuccurrere pronus,
WILHELMUM Dux Munificus ſuperare ſtudebis.
Tu plures Pronepos, quàm MAXIMUS ÆMILIANUS
Subijcies Boijs Dux invictiſsimus hoſtes:
Te Duce, Bojugenùm niveis Pax vecta quadrigis
Inviſet terras, & FERNANDEA redibunt
Tempora, Pacificis felicia tempora Boijs.
Tu PATRIS æquabis Palmas, magnósque triumphos
Augebis. Genitor Scythicæ nigra Cornua Lunæ
Confregit, Victor toto celebratus in Orbe;
Quaſſatam Tu comminues, tenebríſque ſepultam
Perpetuis Lunam, Princeps Invicte, vetabis
Sanguineas renovare faces, Hydrámque Paternâ
Boſphoricam novus Alcides virtute domabis:
Tu Patris Exemplo (ſic vox præſaga futuri
Eſt Populi) Auſtriacam Bojæ connectere Gentem
Auguſti per Vincla Thori poteriſque, voléſque.

Ergo Redux jam vive diu! ſuprema Parentum
Gloria, Solamen Patriæ, Spes Urbis & Orbis!
Vive diu! Mundúmque Tuis Virtutibus imple,
Spémque ipſam ſupera, quam de Te concipit orbis,
Si tamen illa poteſt, cùm jam ſit maxima, vinci.



CAROLO
ALBERTO
AUREI VELLERIS EQUITI GLORIOSO.

ODE.

Quid lætum reſonat Danubius Pater,
Promiſſam ſolitô lætiùs explicans
Barbam? floridulis undique muſcida,
Frondent graminibus littora: limpidi,

Non ſpumant latices, ſed placido pede,
Cryſtallo ſimiles, corripiunt iter.
Res mira! En ſaliunt undivagæ Deæ,
Nympharum Comites, Naiadûmque Grex:
Plauſus inſoliti latiùs ambulant,
Et cognata trahunt flumina: ſubſilit;
Quæ non ex minimis, Iſara Filia,
Conteſtata novis ſaltibus omina,
In terras Patrias omina proſpera.
Quid fert Mercurius? Quídve celeuſmata
Tam feſtiva volunt? Cantica talia,
Si rectè memini, cum Minyis dabat
Iaſon & Telamon, Orpheus, Hercules,
Pollux, Caſtor, Hylas, dum mare Colchicum
Argo vecta Cohors Martia traijcit,
Intendens ſpolio Velleris aurei.
Audin? Vatidicus rem video propè,
Quæ tandem nova ſint, colligo, Mercuri.
En! par Iaſoniæ Navis Eteſiis
Huc vecta Auſtriacis Danubio Patre
Succollante ſubit: promicat eminus
Auguſtum ſpolium VELLERIS AUREI.
Si fas eſt ſpolium dicere, quod venit
Donum gratuitum à CÆSARE MAXIMO,
Te dignum ſpolium Principe, CAROLE!
Salve delicium CAROLE, CAROLI,
Aptum gemmiferi Iaſonis Auſtrij
Vinciri Pedicis, quas Amor inijcit,
Quas ſudavit Honor, quas ſibi vendicat
Virtus Iaſonijs digna Favoribus:
Hanc in Te teneram Patria primitus
Suſpexit, ſimiles jam Tibi Glorias

Olim

Olim vaticinans: Auſtria Græcij;
Virtutem hanc Genitrix nutriit altera,
Quam Sol Imperij reſpiceret ſuis
Auguſtis Radiis, & Patrio Polo
Fulgentem faceret, Sideribus parem.
Vivat Metropolis Colchidis Auſtriæ,
Tam fæcunda Parens Velleris Aurei,
Quàm profuſa novos tollere Iaſonas,
Pro Gentilitijs Auſtriacæ Domûs
Staturos Aquilis, fulcra Potentiæ
Romano Imperio, Sidera Principum.
Vivat Metropolis Patria Cæſarum,
Quæ tam magnifico Munere fulgidum,
In terras Bavaras mittere Iaſonem
Eſt dignata. Genu flectit, & oſculum
Dextræ Cæſareæ libat humillimum,
Æternáſque canit Bojca gratias,
Tot devincta Aquilæ Nominibus novis.
At Tu Bojugenûm tam nova Gloria
Salve Iaſonij Velleris Aſſecla!
Ter fauſtis Aquilis huc bene veneris!
O quantus roſeo vertice promines!
Quantúsq; ingrederis? Sta Iuvenis Gigas!
Indulge populis Ora fidelibus,
Indulge Patriæ lumina ſubditæ!
O quantùm radiat frontis eburneæ
Majeſtas, tacitis vivida Gratiis!
Binis ex oculis aurea Sidera
Inſtar flammiferi fulguris emicant,
Nec terrent animos, alliciunt magìs,
Gratis compedibus pectora faſcinant.
Quid multis? habitus Corporis arduus,

 Mem-

Membrorúmque ſitus, geſtus, & actio;
Et vox ipſa gravis, ſuavis, amabilis.
Bojorum loquitur ſanguine Principem.
Hæc laus ſola forìs: Pectoris intimi
Ornamenta petis maxima? Totus eſt
In NATO GENITOR: Spiritus unus eſt,
Innatus Patrijs nempe LEONIBUS:
Par eſt ille Togæ Spiritus, & Sago,
Par eſt Iaſonijs ille periculis,
Par ſortis geminæ, ſuavis, & aſperæ
Structis inſidijs, caſibus omnibus,
Quotquot fata ferant: proſpera, triſtia.
O & Præſidium, & dulce Decus meum!
O Princeps Bavaræ ſpes nova Patriæ,
Quas ſpes non generas melleus, aureus!
Spem primam Domui Bojcæ, & alteram
Subjectis populis: aurea ſecula
Spondes Bojugenis, Cornua copiæ.
Hic pendens ARIES AUREUS omen eſt,
Sub cujus populos Vellere protegas,
Et centum recrees aurifluus bonis.
Ergo (quod ſupereſt) Gratulor aureum
Munus Cæſareum CAROLE Bojce!
Annos tot, quot habet circulus aureus
Nexus, Vive virens auree CAROLE!
Sed fors pauca precor? circulus, è Tuo
Qui pendens rutilat pectore, non habet
Finem: perpetuos ergo precor dies,
Quos Felix numeres calculo in aureo,
Oblatum quoties Vellus Iaſonis,
Reſpectans, memor es CAROLE CAROLI:
Sed ſemper memor eſt conſcia grata Mens.

CAROLO ALBERTO THESIUM PHILOSOPHICARUM PROPUGNATORI CELEBERRIMO.

EPINICION.

Post tot Majorum Decora aurea, pôstque triumphos
Cedro æternandos, quibus extulit ardua cœlo
Gloria Bojugenas Abavos Proavósque Leones,
Magne Nepos, nostris celebrande Camænis,
Carole, Princeps dignus ades: quamquã non passibus æquis
Pegasus alatus vestigia tanta sequatur,
Ætatis transgressa modum, atque æquanda Giganti.

Musa Maronæam Generosi in bella Nepotis
Stringe tubam! Non Ille minor Majoribus altis,
Et pace & bello claris, pulchrísque Sophiæ

Artibus, invicti præludia digna Gradivi
Orbi in prodigium dedit, exemplúmque minorum,
Ut præmaturo nosses ex ungue Leonem.
 Non pugnæ genus ærisonum, quod Pallas in armis
Hastáque & galeâ & clypeo ferrata ciere
Suevit, sed placuit certaminis alea, quali
Exercet doctos pugiles in pulvere Pallas
Mitior, atque Togâ florens, plaudente Coronâ
Pegasidûm & Charitũ, & quotquot Sapientia pulchro
Cincta Satellitio secum hæc in prælia ducit.
 Circus Athenæum Græcense, ubi structa futuris
Scena Palæstritæ post prælia docta triumphis.
Ingens Aula patet, quam Luxus Principe dignus
Vestit inauratis Phrygia circùm arte parergis,
En conopeum in medio, cui multus ab auro
Sanguinéque Oebalio splendor rapit ora tuentûm;
Hic locus, hæc statio Pugili contra hostica tela,
Tela repercussis cuneis latura triumphos.
Non ita conflictûs sitiens formosus Iulus
Pruriit in prædas quondam per tesqua Dianæ,
Quo caneret Victor silvestri ex hoste triumphum.
Iámque aciem contrà direxit densâ Sophorum
Turma, nigris galeis, bifidóque ab acumine fraudum
Terribilis, quantam vix alta Stagira, Stoæque
Ambitio in campum eduxit: quin fama ferebat,
Hos Gentilitia Stoicorum ex gente creatos,
Partim & Aristotelis jurâsse in verba Magistri,
Non expugnandos mille ictibus, atque dolosis
Artibus, auxilium si vel fabricator Epeus
Attulerit. Contra hos Pugilum fortissime pugnam
CAROLE non renuis? Non est (ais) istud Aviti
Sanguinis ingenium, malè formidare: pavere

Ne-

Neſcit magnanima Pullus de ſtirpe Leonum.
Rectè ais, O Heros, nulli expugnabilis hoſti,
Quem vel ſponte vocas, & ad horrida bella laceſsis.
Qualis in Hircanis movet aſpera prælia campis
Indocilis trepidare minor Leo, fortia PATRVM
Pridem exempla premens, atque æmulus acer avitæ
Indolis, in ſummis ſpernendo perîcla perîclis.
Claſſica jámque novæ ſonuêre præambula pugnæ,
Campeſtres intérque tubas in bella caleſcunt
Corda Virûm: metus & ſpes alternatur utrinque:
Nec mirum hoc, vitiúmve putes, quando Hañibal ipſè
Palluit, & magnus ſub pugnæ exordia Cæſar,
Ambo Victores, immortaléſque trophæis.
Exoritur clamórque hoſtis, murmúrque faventûm:
Móxque faces, & tela volant, ſed fortis & audax
CAROLVS aut frangit, belli aut bene cautus in arte
Eludit dextrè, meritúmque retorquet in hoſtem.
Ter conatus erat violento ſternere niſu
Intrepidum Pugilem, ſed ter vaneſcit in auras
Impetus, elumbes frendens ſine vulnere vires.
Sed nondum pugnæ finis: primo hoſte repulſo,
Hem! ſuperingreditur caperata fronte tremendus
Athletes, barbâ natâ ſub naribus horrens,
Qui nova tela movet pridem veteranus in arte.
Haud ſecus ac Golias rigidis metuendus in armis
Ieſſeum contra Pugilem ſtetit, ante triumphum
Iam pæana canens, donec Paſtore tenello
Victus in adverſa ſiluit porrectus arena.
Mitiùs at lapidem torſiſti CAROLE citra
Lethiferum vulnus: ſat erat, depellere campo,
Et mutum feciſſe hoſtem, jam doctus ab ungue,
Parcere devictis, & debellare ſuperbos.

Sed debellatum necdum : velut agmine facto
Supra alios alii quærunt dare vulnera : punctim
Cæsimque ingeminant gladijs radiantibus ictus.
CAROLVS at contrà , scutum impenetrabile dexter
Objicit , inventáque celer ratione prementis
Dissipat insultus hostis , par omnibus unus.

Obstupuit dudum , & subrisit amabile Pallas
Prospiciens tacitè orchestrâ, pugnæ arbitra : quantus,
Inquit, erit Pugil Hic quondam crescentibus annis,
Si Iuvenis jam tanta patrat ? Majoribus ipsis
Hic aut Major erit, nulli aut virtutibus impar ,
Annuit huic stans ponè latus Sapientia , toto
Tum Charitum grege, tum Pindi spectante corona ;
Quam stupor altus habet, vixque eminus ora refrænat,
Quò minùs in plausus ruat , atque silentia rumpat.
Ecce LEONINAM Sobolem ! (Sapientia subdit ,
Ora premens digito, ne seque suásque Sorores
Prodat, & ingrato garritu prælia turbet)
Ecce LEONINVM specimen ! quàm fortis in hostes
Assurgit ? quàm dexter agit sua tela , retortis
Impugnantûm armis ? Non expugnabile scutum
Circumfert, vitátque ictus animosus & audax.
Sic Gentilitius Leo dat rugire Leones ,
Nusquam degeneres , Patrum in vestigia natos.
Intereà Læto jamjam Victoria circo
Promeritum pæana tonat, statuítque triumphum.
CAROLE vive Pugil ! vive invictissime Miles !
En tibi Palladiam substernit Gloria palmam ,
Victorique parat devicto ex hoste coronam.
Vive diu Victor ! succresce in millia mille !
Atque Leoninas cumula cum tempore palmas,
In Patriæ Pacem , Stirpísque perenne trophæum.

PHILIPPO, FERDINANDO, CLEMENTI
ET
THEODORO,
SERENISSIMIS FILIJS
MAXIMILIANI
CAROLI FRATRIBUS

ijsdémque

Fortitudinis & Gloriæ Leoninæ Hæredibus.

PROSDECHTICON.

NUnc bifido Parnassus eat de culmine totus
In vota nostra mobilis!
Huc omnes invito Deas, Phœbíque Ministras
Quotquot Bivertex excolit.
Eja agite auricomam Charites celerate quadrigam!
Sic mandat alta Gloria.
Bellerophonteus gemmâ nectente Jugalis,
Citatus alis advolet.
Fortè rogatis adhuc, quò Pompa hæc spectet, Honórque?
Silete! dicam protinus.
Ecce quaterna subit Soboles Electa Leonum,
Pulchrè jubata crinibus.

O Soboles Magno Patre digna LEONE! vel ungue
Hos noveris Leunculos.
Digna tuis ſtudijs, Parnaſſe tuóque favorē
Novena Turba Apollinis.
Digna tuo transferri olim ſuper æthera curru,
Ubi Leonis Semita.
Quantus in ore Lepos, ſed Majeſtate verendus?
Omnes ſedent hîc Gratiæ.
O! quantùm radiant oculorum Sidera? Pollux
Et Caſtor aſtra promicant.
Fronte, genisque roſæ niveo cum lacte duellant,
Inviderit Volupia.
Pone novum Pomum: Paris arbiter hæſerit ipſe,
Quis ex quaternis dignior.
Sed leviora hæc ſunt laudis monumenta: petendi
Poſt corticem ſunt nuclei.
Pró Decorum quàm lata ſeges mihi naſcitur! umbra
Tam pulchra prodit Cynthium.
Quanta vel in tenera reſidet Prudentia mente?
Magiſtra Solers omnium?
Hæc Superûm docuit, verique Tonantis amorem;
Religio quidquid præcipit.
Hæc docuit, primas Cæli deferre Monarchæ,
Cui ſtant, cadúntque Principes.
Hæc docuit, quotquot Sapientia Suggerit, artes,
Dignas Avito Sanguine.
Vis ſpecimen linguæ? facundia mira ſalutat
Gallos, Etruſcos, Cantabros.
Aurea Romanæ poſcis documenta loquelæ?
Non deprehendes Hoſpites.
Vis ex arte melos? Tyrij modulamîna plectri?
Orpheus, Arion obſtupent.

Vis

Vis dociles ſaltare pedes, pulchróſque Mæandros!
Numeros ad artem circinant.
Vidi ego,cùm canerent,Muſas,Charitêſque ſtupere,
Genióſque Pindi cedere.
Et muſſare : Iſtos Cytharœdus Apollo Deorum
Dignos Choraulas adlegat!
Ultrò deferrent faciles ſua Barbita Muſæ,
Caſtum prementes oſculum.
Scilicet hoc artis, quò ſpectet, fama loquetur
Ad Poſterorum gloriam.
Nunc facienda canunt Heröum facta, ſed olim
Facient canenda poſteris.
Immò rudimentum præbent Illuſtre Gradivo,
Vel detonandum Statio.
Huc agite Hippomachos circo ſpectemus equeſtri,
Et fulminantes Pegaſos!
Curſibus antevolant Auſtros, cervôſque Dianæ,
Turcíſque colla demetunt.
Mox poſitam feriunt accenſo pulvere metam;
Feruntur inſtar fulminis.
Mox ſcopus eſt longâ Draco debellandus in haſta;
En vulneratus palpitat!
Cernite jam ſolos gladios, pugnâmque pedeſtrem,
Quàm dexter enſis emicat?
Et punctim & cæſim, quando res poſtulat, arma
Oculis acutis dirigunt.
Nunc medium cordis ſignant, nunc colla, capûtq;,
Partes in omnes ductiles.
Quisquis ades timidus, nolim,hac ſtatione propinques:
Mirare tantos Spiritus,
Ludicra quantumvis, Trojanáque prælia tractent;
Ex Ludicro fit ſerium.

Et tener Afcanius quondam irritatior urfos
Fixit calente Spiritu.
Tantáne vis teneris innata Leonibus ardet,
Et Fortitudo Martia?
Sunt hæc Heroum, funt hæc documenta Leonum
Olim in falutem Patriæ.
Huic enfes haftásque facrant, & mille triumphos,
Ipfámque vitam devovent.
Non renuunt algere tuis, ardeŕeque caftris
Gradive, Numen Fortium.
Plaudite Græcenfis latè amphitheatra Lycei,
Dignas Coronas nectite!
Jungite bellicrepos Monacenfia Mœnia plaufus
Veftro quaterno Principi!
O vos delicium Patriæ! Vos Patris ocelli,
Matrisque chara Corcula!
Gloria Bojugenûm, Tantæ fpes altera ftirpis,
Aulæque clara Sidera.
Crefcite mille bonis, & fpes fuperate Parentum
Orbisque vota fubditi.
Vobis fubfternit dulcifsima Patria collum,
Suósque adorat Principes,
Séque fuasque offert Res & fpes, fique cruore
Opus, paratum confecrat.
Vivito Bojugenûm Decus immortale, Perenna!
Salúsque vivet Patriæ!
Junge triumphalem modò Turba Novena Jugalem,
Sertisque currum cingito!
Hos Genios Patriæ fuper æthera ferte, locandos,
Ubi LEONIS Gloria!

DEO,
DEIPARÆ,
DIVISQUE CÆLITIBUS BAV. PATRONIS
Nec non
Aug.mo Rom. Imperatori
CAROLO VI.
Regíque Galliarum Christianissimo
LUDOVICO XIV.
Ob restitutam cum pace communem felicitatem,
BAVARIA
EUCHARISTICON.

O Passis graviora, dedit Deus His quoque finem!
Tandem Portus adest! Decumani turbine Belli
Surgentes fluctus posuerunt, luxáque Navis
Collectis tabulis sub amico littore sistit!
PACEM, PACEM habeo! Vox optatissima Pacis!
Aurea PAX salve! PAX digna Auróque, Cedróque
Quin adeò Europæ dignissima Pectore scribi!
Me fortunatam! redierunt omnia tecum,
O mea Pax, quæcunque mihi longi alea belli
Detinuit, jam multiplici cum fœnore reddis.
Quàm tristis rerum facies, & fata sinistra
Me tenuére priùs! (juvat hos meminisse dolores)
Heu ANTIQUA DOMus ruit alto à culmine, stragem
Tractura (at vetuit Superûm miseratio) Tantæ
STIRPIS, in immensos dignæ florescere Ramos!
Heu à Matre Pater vulsus, dulcesque vicissim
Deserti Ambobus Nati: quin scissus in ambas

 Par-

Partes Natorum numerus: demum Unà relicta
Nata sibi, ut gemeret solos cum turture soles.
Haud secùs Eustachius, Theopistáque mellea conjux
Quondam in diversum rapti post perdita dudùm
Pignora, quæ mortis spolium, prædámque ferarum
Crediderant, junctos sese melioribus annis
Dulcè salutârunt: simili revocavit amantes
Vos ratione Deus, cara cum Prole Parentes;
Hic Patri Matrem, Natósque parentibus unà
Restituit, gemitúsque stitit, lacrymásque calentes
Afflictæ extersit Patriæ. Sic nempe placebat
O Deus Alme tibi, cujus mens provida nutu
Cuncta regit, quem Bellorum Pacísque veremur
Supremum Dominum, à quo pendet machina mundi,
Cui soli terrena cadunt, cui Regna resurgunt
Lucis ad Auroram post tristem noctis opacæ
Eclipsin. Solenne tibi est res spésque profundo
Mergere mortales, quò lætiùs eruta fundo
Naufraga spes solem repetat rediviva serenum;
Mos tuus ille tenet variare pericula spebus,
Fellea mellitis confundere, tristia lætis.

Quid modò pro tantis, Deus Optime, maxime, donis
Quid potero præstare Cliens servata sub armis
Heu me oppressuris? Quo nomine nomina solvam?
Magne Deus! Tibi debentur, quæcunque sereno
Sidere prospiciunt, quæcunque è fluctibus altis
Lecta, improvisum repererunt prospera portum,
Transcendunt benefacta meas, tot tantáque vires,
Æternis nunquam obsequijs solvenda! mereri
Patria si nequiit, Patrona potentior axe,
Cælicolúmque favor, quos Boica terra veretur
Indigetes sibi propitios, potuêre mereri.

Tu

Tu Tu Augusta Parens; cui Nati sceptra Tonantis
Prona inclinantur, qua supplice vota precantûm
Accipiunt faciles aures, cœlúmque triumphant,
Tu Superûm Regina Potens, mollita gementis
Bojariæ lacrymis (cujus devotio constans
Virgineis jurata aris) cynosura salutis
Belli ex Oceano post tanta pericula portum
(Nempe sinum Matris) Materno more dedisti.
Ante suum cursum Monacensi ex Littore vertet
Isara, quàm Matris subeant oblivia mentem;
Stat, stabitque dehinc aurata in marmore moles,
Magnificum complexa forum, cœlóque minata,
Cui superimpositum Virgo cum Virgine Nato
Nacta situm, totam sceptro dominante per urbem
Et Patriam, tua dispensas donaria cælo.
Hoc monimentum esto cultûs priscíque, novíque
In Te, Magna Parens, nec deleat ulla vetustas.
Et Tu, sancte Pater Patriæ, mihi Tutor ab astris
Indultus, BENNO, Misnensis gloria mitræ,
Sanctior ad malum residens Palinurus in undis
Navifragis dextram remis velísque sacrâsti,
Ut transversa irent directo carbasa cursu;
Æternas repeto tanto pro munere grates,
Tum Tibi, tum reliquis Genijs, Patriæque Patronis
Æthereis, qui convulsam, si dicere fas est,
Tritones Navim contis, remisque levârunt.
Sunt quoque, queîs tantæ jam debeo munera Pacis
Semi-Deique Homines, Augustáque Numina terræ.
Pax opus est cœli; cœli verùm Arbiter ipse
Maximus, in terris tractanda negotia Pacis
Talibus imponit, queîs regna regenda relinquit.
En tibi Semi-Deos, & Terræ Numina nostræ!

CAROLUS AUGUSTUS, Solis Regnator Eoi,
Occiduique alter LODOICUS MAGNUS, ab aſtris
Traxerunt Pacem optatam, terræque dederunt.
ANGELUS his eſt cuique ſuus, paciſque ſequeſter,
Angelus Imperii EUGENIUS, VILLARSIUS alter
Angelus, æternis digniſsima nomina faſtis!
His ego poſt Superos, immenſas debeo grates.
O Mites AQUILÆ, tulerunt quæ Pacis olivam
Tam mihi fæcundam, poſt horrida bella revectam!
Diluvio veluti ceſſante, Columba Nöemo
Pacificum advexit ramum frondentis olivæ,
Sic mihi ab Auſtriacis Aquilis defertur Amicæ
Pacis Oliva virens, quæ nullo marceat ævo:
Quanta Nöemigenûm tunc gaudia, tanta meorum
Gaudia Bojugenûm ſunt, AUGUSTISSIME CÆSAR,
Per quem certa Salus miſeris cum Pace revixit.
Iam Ver Pacificum Bavaros exſuſcitat hortos,
Flore novo jam gaudet ager, jam lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ Calathis, quæ Francia ſevit,
Francia noſtrorum Mater pulcherrima florum.
Quid Vobis igitur, duo maxima Numina terræ
CAROLE Bojugenûm Pater alter, & æmulus alter
Servator, LODOICE, meus, quid reddere dignum
Bojca ſub cœlo poterit? Si digna putatis
Obſequia, en totam me veſtris conſecro ſceptris.
Stare LEONINAM ſtirpem, Rhombóſque vetuſtos
Induxiſſe novam faciem, & renovâſſe colores,
Veſtræ ſunt Pacis fructus; quos conſecro totos.
Teſtis Amor memori benefacta adamante ſigillet,
Ipſus & hoc Votum Deus annuat, atque coronet!

FINIS.